Cahier e A partie
A Ambrois
du bois 1661

Jaymes Delorme Docteur Medecin



ANTONII MVSAE BRASSAVOLI MEDICI FERRARIENSIS,

De medicamentis tam simplicibus, quàm compositis catharticis, quæ vnicuique humori sunt propria, Tractatus insignis.

Omnia sedulò castigata, & Indice copiose illustrata.



A POCO POCO

LVGDVNI,

Apud Sebastianũ Barptolomæi Honorati.

M. D. LV.


ECOLE DE MEDECINE DE PARIS.
ΙΠΠΟΚΡΑΤΗΣ

INDEX LOCVPLETISSIMVS VOcum & rerum insigniorum, quæ hocce Tractatu de medicinis purgantibus continentur, alphabetico ordine digestus.



Lens

FINIS.



INDEX SIMPLICIVM OMNIVM *educentium quemlibet humorem.*

Pituitā educentia

Cucur

Atram bilem subducentia

Aquositates vel ichores educentia

Sanguinem educentia

Col

Emollientia, & fæces educentia

Ius

Bilem & pituitam educentia.

Salis

Bilem,& atram bilem educentia.

Pituitã & aquas educentia.

Pituitam & sanguinem educentia.

Bilem, pituitam & aquas educentia.

Bilem, pituitam & sanguinem educentia.

Alandaal Trochisci
Colocynthis
Scammonium
Trochisci alandaal

Bilem, & atram bilem, & ichores educentia.

Helleborus albus
Helleborus niger
Serum

Bilem, atram bilem, & sanguinem educentia.

Bilem, ichores, & sanguinem educentia, composita sunt.

Pituitam, atram bilem, & ichores educentia.

Alsebram
Cyparisias

Irinum oleum
Oleum irinum
Paralios
Pytiusa.

Pituitam, atram bilem & sanguinem educentia, cõposita sunt.

Pituitam, ichores & sanguinẽ educentia, cõposita sunt.

Atram bilẽ ichores & sanguinem educentia, composita sunt.

Bilem, pituitam, atram bilem & ichores educentia.

Capillus veneris
Colutea
Epithymum

ANTONII MVSAE BRASSAVOLI MEDICI FERRARIENSIS,

De medicamentis tam simplicibus, quàm compositis catharticis, quæ unicuique humori sunt propria, Tractatus insignis,

Ad illustriss. ac Excellentiss. HERCVLEM Estensem, IIII. Ferrariæ Ducem.

INTERLOCVTORES

Illustriss. Dux. Brassauolus.



ILLVSTRISS. Quid solus tamdiu meditaris, oculis in terram defixis ac celeri gressu incedens? BRAS. Renatus primogenitus filius meus à me non oscitanter quæsiuit, cur medica-

 men

menta,quæ passim in pharmacopoliis per totam Italiam seruantur,omnes humores educant,vel saltem vno plures,nullúmque reperiri,& si id fit,rarum esse, quod vnum solum educendo expurget humorem.Icirco si contingat puram bilem,vel puram pituitam,vel puram atram bilem esse eua cuanda,non reperitur in pharmacopoliis aliquid seruatum,quod illud facilè ac propriè efficere posit.ILLVST.R. Est'ne verum quod dicebat? BRASS. Proculdubio verum,ob hoc à negotiis impræsentiarum semotus,mente concipiebam quo ordine, quáque via medicamenta omnia tam simplicia quàm composita in vnum cõgererem,quæ simplices humores seorsum edu cant,& quæ vnà complicatos. nam vt mul ti sunt humores,ita diuersæ ipsorum com plicationes fieri possunt. ILLVST.Complicationes istas prænoscere haud difficile mihi videtur,si quot sint educendi humores præsciuerimus. BRASS. Aliàs, non ra ro in maximis negotiis hoc percepi, sed impræsentiarum planius percipitur,quan ta dexteritate excellentiæ tuæ ingenium præditũ sit, vtpote quod in omnibus tam publicis quàm priuatis colloquiis, circa omnia non modò versatum esse videatur, sed & omnia quę sub cælo sunt,quesiuisse,

ac ad vnguem peruestigasse, vt nihil excellentiæ tuæ occultum, ignotúmque videri possit. Verùm vt experiar, imò huius celebris ingenij acumen probem, atque confirmem, dico quinque esse humorum species euacuandas. ILLVSTR. Arbitrabar in humano corpore quatuor tantum esse humorum species. BRA. Sunt quidem præcipui humores ac proprij quatuor tantùm sed adest & quintum, quod est omniũ humorum aquositas, à Græcis ἰχὼρ nuncupatum, quę quandoque & ex venis elici debet, & ex vẽtris cauitate in ascite. ILLVS. Quinque igitur hæc per ordinem dispone vt cõplicationes tibi referre possim. BR. Hi sunt quinque educẽdi simplices humores, qui subinde diuersis modis complicari possunt,

- Bilis
- Pituita
- Atra bilis
- Ichores
- Sanguis

ILLVS. Audiueram, atque arbitrabar nullum esse medicamẽtum quod sanguinem educeret, quin esset venenum, & præterea nunquam esse per medicamentum educendum, cùm sit naturæ thesaurus. BRA. Et hoc indubitatum est, vtilem sanguinem

nunquam esse educendum, sed inutilem solum. inutilis verò est(superfluo dempto qui per venæ sectionem, aut alio simili modo educi debet) is qui propria exiuit vasa, vel qui corpus nutrire amplius non est aptus. ILLVS. Cùm ergo quinque sint simplices educendi humores, si bini simul iungantur, primum reliquis singulatim commiscendo quatuor fient coniunctiones, deinde secundum aliis miscendo, tres fiunt mistiones, posteà tertium aliis addẽdo, duæ fiunt complicationes, denique si quartum quinto misceatur, vna tantùm fit complicatio, nam posteriora nunquam sunt prioribus nectenda, quoniam cùm priora posterioribus miscebantur, posteriora prioribus iuncta esse arbitrandum erat, itaque si quatuor, tres, duæ & vna cõplicationes colligantur, cum humores bini iunguntur, decem euadent mistiones. BRASSA. Decem profectò erunt & non plures, quas ita per ordinem disponemus.

Bilis, pituita,
Bilis, atra bilis,
Bilis, ichores,
Bilis, sanguis,
Pituita, atra bilis,
Pituita, Ichores,

Pituita,sanguis
Atra bilis,ichores Atra bilis,sanguis,
Ichores,sanguis.

Nullæ aliæ præter has inueniri possunt ex duobus commistis humoribus complicationes,in simplicibus verò quę educuntur communes fæces præteriuimus, quæ per illa educuntur,quæ à Græcis ὑποκοπρωτικὰ,id est stercoris eductiua nominantur, & per emollientia. ILLVS.Cur hæc præteriisti, quæ complicationes multiplicare potuissent? BRAS.Præterij, quia & emollientia, & ὑποκοπρωτικὰ seorsum contemplanda sunt,quoniam omnia medicamēta communes fæces semper educunt, & illa quę in viis continentur, at secundo loco cōplexiones illæ consideradæ sunt, cùm tres humores simul euacuatione indigēt. ILLVSTRIS.Sile,nam tibi statim inueniam quot esse poterunt, cùm quinq; sint simplices euacuandi humores. BRA.Quot erunt? ILLVS. Decem.nam primum, secundum,& tertium simplex vnam facient commistionem: primum, secundū,& quartum,secundam:primum,secūdum, & quintum,tertiam.primum,tertium, & quartū, quartā.primum,tertium,&quintum,quintam.primum,quartum,& quintū, sextam. iam primū abiiciendū est, quia nulla adest

amplius complicatio, qua recipi possit, vnde sequitur secundum tertium & quartũ queę septimam facient commistionem. secundum, tertium, & quintum, octauam. Secundum, quartum, & quintum, nonam. Nunc verò secundum abiiciendum est, & tertium assumendum, quod vnam tantum complicationem facit, in qua scilicet tertium, quartum & quintum sunt coniuncta nullóque alio modo variari possunt, per trinariam complicationem euacuandi humores. BRA. Nescio, an qui huic negotio sedulò incumbunt, tam amplè, támque diligenter hæc exprimere potuissent, nos verò in humoribus decem has complicationes in ordinem adducamus, vt suis nominibus palam fiant. ILLVSTR. Hoc ad te spectare arbitror. BRASSA. Ob hoc illud efficiam

Bilis, pituita, atra bilis,
Bilis, pituita, ichores,
Bilis, pituita, sanguis,
Bilis, atra bilis, ichores,
Bilis, atra bilis, sanguis,
Bilis, ichores, sanguis,
Pituita, atra bilis, ichores,
Pituita, atra bilis, sanguis,
Pituita, ichores, sanguis,
Atra bilis, ichores, sanguis.

Reliquum est vt de illa complicatione verba faciamus, qua humores quatuor vnà educi debent. ILLVSTR. In hac complicatione quinque sunt tantum diuersitates, nam cùm quinque sint quæ in vniuersum euacuari debẽt, vno semper dempto, & aliis quatuor relictis, quinque solum fient variationes, vnde vltimo dempto relinquuntur quatuor, posteà penultimo dempto, & vltimo addito, alia fit variatio, & antepenultimo dempto, penultimo & vltimo additis, alia euenit variatio, & de aliis eodem modo dicendum est. BRASS. Video quanta dexteritate polleas in his ordinandis, quę nunquam excogitasti, vt hinc argumentum sumi possit in his quę diligenter excogitas, te summũ colophonem attingere, & ita attingere, vt nihil ab vllo alio addi possit, nunc verò ita hæc in ordinem disponamus, vt alia fecimus,

Bilis, pituita, atra bilis, ichores,
Bilis, pituita, atra bilis, sanguis,
Bilis, pituita, ichores, sanguis,
Bilis, atra bilis, Ichores, sanguis,
Pituita, atra bilis, ichores, sanguis.

ILLVS. Video vnam solam superesse complicationem, quę nullam suscipit variationem, cùm omnes vnà humores euacuandi sunt. BRAS. Ita profectò est, vnde hæc erit

ſola ac ſumma humorum euacuandorum complicatio,

Bilis, pituita, atra bilis, ichores, ſanguis. ILLVS. Sunt ergo humorum euacuandorum miſtiones viginti ſex, & quinque ſimplices humores, vt tuus hic libellus ſit in triginta partes vna addita, diſtinguendus. BRA. Erunt trigintaduæ, quia ἐκκοπρωτικὰ & emollientia, ſunt inter ſimplices humores pertractanda. ILLVS. Sint igitur trigintaduo capita. BRASSAVO. Vt lubet capita vocentur, quæ in hunc modum diſponantur.

ich

ILLVS. Iam libelli acies in ordinem dige-

ſtæ ſunt, & per capita diſſectæ.reliquum eſt,vt id opere exequaris,quod in vniuerſum ac in genere propoſitum eſt. BRAS. Enitar vt Excellentia tua Renatum filium meum, & me ipſum de hac materia loquentes & per præſcriptum ordinem res ipſas diſponentes audias. ILLVS. Audire haud grauabor. Verùm cui inſcribetur hic non inutilis libellus? BRASS. Cui alteri, quàm Excellētiæ tuæ,in cuius nutu omnia bona mea iam diu dicata ſunt? at ne Excellentiæ tuæ diutius impedimento ſim, breui audias quibus occaſionibus motus Renatus me ad hæc ſcribenda excitauerit.



ANTONII
MVSAE BRASSAVOLI
MEDICI FERRARIENSIS

De medicamentis tam simplicibus, quàm compositis catharticis, quæ sunt vnicuique humori propria, & quibus ipse in suis curandis ægrotis vsus est,

Ad illustriß. & Excellentiß. HERCVLEM *huius nominis* II. & IIII. *Ferrariæ Ducem.*

INTERLOCVTORES
Renatus filius,
Antonius Musa Brassauolus pater.

RENATVS.


EGI colendissime pater, dum tu superioribus mensibus apud Mantuæ Ducem ageres, libellum tuum de catharticis medicamẽtis, quæ à Ferrariensibus pharmacopôlis confecta

seruan

seruantur, priúsque catapotiorum libellum perlegeram: at fieri non potuit, quin magna admiratione afficerer, cùm cathartica singula contemplatus, nullum ferè esse perceperim, quod humores omnes non educeret. BRASSA. Et omnes in humano corpore plerunque peccant humores. RENA. Nónne fieri poteſt, vt vnus solus in homine aberret humor? BRASSA. Quid ni? RENAT. Si ergo ita contigerit, vt pituita sola educenda sit, quia & eadem sola aberret in corpore, Medicorum vulgus Diaphiniconem præbet: quod medicamentum non solùm pituitam, sed & bilem, & atram bilem educit. nam præter turbith quod pituitam educere aptum est, recipit etiam scammonium, quod biles vtrasque, & præsertim flauam educere aptum est. BRAS. Nemo prorsus ambigit. RENA. Cur ergo medicamenta in pharmacopoliis parata non extant, quæ vnum solum humorem educere apta sint? & pro atra bile euacuanda diacatholicone vtuntur, quod humores omnes educere potest, nam præter polypodium & senam quæ atræ bili conueniunt, recipit casiam, tamarindos ac rhabarbarum, & pro educenda bile diaprune solutiuo vtũtur, quod & alia præter bilem educit. BRA. De diaprune

prunæ solutiuo minus, quàm de aliis conquerendum est. Verùm res ipsa ita constat non solùm in electuariis, sed & in pilulis, vt dixisti. REN. Prouidendũ igitur esset ac ægrotorũ indemnitati indulgendum. BRAS. Iam huic rei diligentiã adhibui, & mea fieri iussi in senis pharmacopolio medicamenta, quæ vnum humorem educunt, quæ duos, quæ plures, & quæ simul omnes, seorsúmque imbecilliora seruari vehementiora, & mediocria, his etiã prætermissis quæ ex simplici medicamento præbentur, vt ex sola manna, ex solo rhabarbaro, ex sola cassia, ex solis myrobalanis, ac similibus. REN. Impræsentiarum (ni tibi molestum sit) particulares quosdam casus, qui contingere possent, & fortè in dies plerunque contingunt, contemplemur, de vnius scilicet solius humoris, qui in corpore sit errore. BRAS. Vt lubet, agamus, nam singulis annis, huius generis millia super millia vidẽtur.

De

De medicamentis tam simplicibus, quàm compositis quæ solam bilem educunt.

CAPVT I.

RENATVS. Quispiam igitur nobis curandus occurrat, qui cæteros humores inculpatos habeat, & bilioso morbo affectus sit. iámque sit bilis ipsa parata, vt nullo alio quàm euacuatione indigeat, bilisque ipsa & quantitate exuperauerit, & praua qualitate peccauerit, his suppositis, quo medicamento ad illam euacuandam vti debebimus? BRAS. Ad bilẽ educendam tam simplicia, quàm composita extant medicamenta. RENA. Ad solam bilem educendam medicamenta expeto. BRAS. Nullum est medicamentum quod in maiori copia, quàm cõueniat, exhibitũ, post humorem sibi proprium, alios non educat humores. RENA. In tanta copia exhibitum intelligo, vt suæ euacuationis, ac propriæ metas non excedat. BRASSA. Qua bilance hoc ponderabis? RENA. A te hoc peterem. BRAS. Bilanx hæc à viribus sumitur, à purgandi assuetudine, ab eo quod aliàs in ipso visum est, vel auditum, à ventris lubricitate, vel duritie, ab humida vel sicca temperie, ab anni singularibus

medicati quantitas unde potenda

laribus

laribus, ac particularibus tempestatibus, vt hoc anno Ferrariæ contingere vidisti M. D. L. Nam ex minimo quoque medicamento, homines alui profluuia incidere, cùm quia erat epidemicus morbus, alui profluuium, tum quia annus fuit humidissimus. Sumitur præterea & hæc bilanx à cibis, quibus homo anteà educatus erat, ab ætate, exercitio, & aliis similibus. hac bilance medicamenti exhibendi quantitatem pendo. RENA. Est profectò recta bilanx, quæ in nullam lancem inclinare poterit, si omnia hæc plenè ac diligenter perpendantur, at de re ipsa agamus. Bilis pura euacuanda venit, quo vtemur medicamento, quod vim non habeat alios humores educendi? BRASSA. Simplicia referam ac composita medicamenta, quibus proculdubio euacuari potest. RENA. Scire maluerim, quibus in tuis ægrotis vteris, & ante hoc tempus vsus es. BRASSAVOL. Nisi hæc referrem, nihil effectum esse arbitrarer; solo nonnunquàm rhabarbaro bilem educo, siue in catapotia redacto, siue in puluerem & ex cretico vino insumpto, vbi febris absuerit, vel remissa sit, vel ex pulli gallinacei iure. nonnulli sunt, qui rhabarbaricum masticant, posteà vel ius ebibũt, vel creticum vinum.

Nonnunquàm in aliquam aquam vi ignis eliquatam, infundi iubeo, sed ad duas vel tres drachmas. REN. Audiui his mirum in modum caput expurgari qui illud mandunt. nec ab re, quia vi quadam attractrice, & sua caliditate propinquas materias ad os trahit, & dum masticant, vehementer expuunt. BRASSA. Verùm id, quod expuitur pituita est, non bilis, quia in illis partibus multa adest pituitæ copia, bilis nulla, vel modica. medicamenta verò quæ bilem educunt, cùm illam non inuenerint, pituitam primò, deinde atram bilem ad se trahunt, non mirum igitur si à capite, & palati, ac oris partibus pituitam eliciunt, & per os expurgant. RENA. Imò & res amaras masticare, atque acres, saliua prouocatur, tum ex illarum rerum caliditate, tum ex natura ipsa, quę illa abundanti humiditate, amaritudinis incommodum euitare nititur. Imò re qualibet masticata, pituita à natura ad os mittitur. & quantò magis res, quæ masticatur, sicca est, tantò maior pituitæ copia exacerua-tur. BRASSA. Et cibi ipsi masticari non possunt, nisi saliua interuenerit, quæ illos emolliat præsertim cùm iurulenti non sunt. REN. Et Aristoteles in secundo de anima suadet ad masticandum, saliuā esse necess

necessariam. BRAS. Cùm eram iunior, lotam aloëm frequẽter masticabam, dúmque masticabam, infinitam ferè pituitæ copiam expuebam. post semihorã os quod primò mihi amarissimum erat, dulcissimum euadebat, & caput leuissimum esse redditum sentiebam, vt ardua quæq; apud authores facilè penetrare possim. Ex his inferendum censuerim, medicamentorum masticationem (si ferri possit) capiti nõ leuiter proficere. REN. Rari sunt qui masticando amara ferre possint. BRAS. Imò multi; sed delicatiores tantùm ac effœminati amara euitare conantur. RENA. Audiui, & his vidi oculis rhabarbarum non bilem tantùm, sed & pituitam educere. BRAS. Forte fortuna aliqua pituitæ portio in intestinis, quæ cum bile simul exit, continetur. tamen hoc rhabarbari propriũ est crassam bilem educere, crassã vero est ob pituitæ potissimùm miscellam, veruntamen bilem educendo, id vnà educit quod bili commistum est. REN. Nõnne & aliis vteris medicamentis, ad bilem educendam? BRAS. Iam habes vnũ simplex, quo vtor ad educendã bilem medicamento. quandoque puerulis exhibeo in ientaculis, quæ vulgò cialdoni nuncupantur, vel in placentulis ex melle subactis.

aloe masticata

nonnunquàm vtor casſia ad bilem educendam. RENA. Quid eſt apud antiquos casſia? BRAS. Ea lege quæ de hac casſia in ſimplicium examine ſcripta reliquimus, quam ſiliquam oblongam vocari iusſimus, quoniam quæ apud antiquos casſia vocatur, apud vulgus canella nominatur. REN. Vidi casſiam & bilem educere, & ſeipſam. BRAS. Nonnulli atram bilem eſſe arbitrantur, & multæ mulieres de hac noſtra admiratione affectæ ſunt, quæ per aluum nigra deiicitur, arbitranturque eſſe humores tales, cùm ſit ipſa casſia, quæ leniendo corpus & attrahendo alia ſimul educit & ſeipſam, vel ipſamet vnà cum aliis exit. RENA. Quam vim habet attractricem casſia, cùm ſolum lenire dicatur? BRAS. Niſi vi quadam attractrice prædita eſſet, minimè educeret, ſicuti nec rhabarbarũ, in quo vis quædã attractrix neceſſariò ponenda eſt, quàuis comprimendo educere dicatur, & casſia emolliendo. RENA. Cur alia medicamenta in deiectionibus non videntur, vti casſia videtur. BRAS. Quia in maiori prębetur copia quàm multa alia; & ſubſtantiam habet craſſam, ac glutinum quoddã, quo partes vnà cohærent, colorémque habet talem, qui ab humoribus facilè diſcer-
nitur

nitur, reliqua medicamenta cum humoribus confunduntur, vt idem cum ipsis esse videantur. REN. Tamen & alia medicamenta cum humoribus simul adsunt, & cũ his quæ deiiciuntur excrementis, at non adeò percipiuntur, vt cassia facit. BRAS. Ita prorsus est, tamẽ cassiæ cinnamomum semper addo, & zingiber in pauca copia, & anisa, quia medicamentum est flatuosum, illámque nonnunquàm in bolo præbeo, nonnunquàm dissolutam in aliqua aqua vi ignis eliquata: nõnunquàm in iure gallinacei pulli, vt accipienti magis cõmodum videbitur. RENA. Bilis ergo à cassia educitur? BRAS. Educitur quidem, sed nõ à toto corpore, neque à longinquis partibus. idem efficit rhabarbarum, nam à viis ducit, & à propinquioribus venis materias trahit. RENA. Inter illa igitur numerari possent, quæ stercus educunt, vt aloë est, quam ob hanc causam Græci ἐκκοπρωτικὴν, vocant, hoc est stercoris eductiuã. BRAS. Ita prorsus est. Verùm ab aliis humoribus bilem seligit, & ab Auicenna dicitur pituitam insuper educere, quod omnino cõtingit, si in viis sit, vel postquàm fuerit educta bilis. RENA. Tamen Auicenna dicit vnà cũ Serapione adustam bilem educere. BRA. Deceptos esse arbitror

Cassia Flatuosa Aloe

hos authores, quia ipſa ſimul exit cum excrementis, & bilem etiam flauam denigrat. tamen ſi in viis eſſet aduſta bilis, & ipſa (vt ſtercora eiiciuntur) educeretur. biliſque à viis, & à propinquis partibus ab aloë educitur, non autem à longinquis, à Meſue verò ſimpliciter dictum eſt bilem educere, quia bilem flauam primò educit. RENA. Nónne poſſet in ventre ſeruari aloë, & ſolus humor exire, qui educendus eſſet? BRASSA. Si ipſa ſimul non exiret, minimè educeret, ſed in corporis nutrimentum tranſiret, quod multis contigit, qui poſtquàm illam ſumpſere, nimis dormiuerunt, tunc in nutrimentum tráſiuit, & nihil eduxit, nam opus eſt, medicamenta à natura non euinci, ſed in actum agendi ſolum deduci. RENA. Bilem ergo primò educit aloë, ſecũdò pituitam, tertiò atrã bilem. BRAS. Ita efficit niſi aliquos humores à bile in viis inuenerit, hos etenim primò educit. REN. Per vias nónne intelligis ventriculũ, & inteſtina? BRAS. Hæc intelligo. Galenus de ea dicit, quòd ſubducit ventrẽ, vtpote ex numero medicamentorũ, quæ Græci, ab excernendo ſtercore vocant ἐκκοπρωτικά. REN. Galenus igitur nõ dicit, quòd bilem educat, vel aliũ humorem. BRAS. Alij poſt Galenum hoc

experti sunt, & præscripto modo educere inuenerunt, neque hoc dissentit à Galeno, vt in hieræ descriptione manifestum est. RENA. Quo alio vteris ad euacuandam bilem medicamẽto? BRAS. Pro bile educenda simplicem mannam quãdoq; ægrotis præbeo, nam vt Auicenna testis est, bilem emolliendo educit, illam verò præbeo, aut in pulli gallinacei iure dissolutam, aut in aliquo aquæ genere (vt ægritudini conuenit) vi ignis eliquato. RENA. Nónne adsunt, & qui illam non dissolutam edũt? BRAS. Imò adsunt. RENA. In quanta præbetur copia? BRAS. Vt accipienti cõuenit. tamen nunquàm minus exhibeo (cùm solam exhibeo) vncia vna & semis. RENA. Serapio dicit accipiendum esse à decem drachmis vsq; ad viginti. BRA. Pueris octo vel decem drachmas præbeo, viris ad drachmas viginti quatuor nonnunquàm peruenio, nec supra mediocritatẽ educit. Illustriss. Duci nostro Herculi, tres vncias plerũq; exhibuimus, & mediocriter etiã eduxêre, in nõnullis duæ vnciæ sunt satis. RENA. Inter lenientia numeratur. BRASSAVO. Et leniendo ac emolliendo educit. Si verò coqueretur, non educeret, imò & ipsa vti cassia vnà cum humoribus exit, & excrementis, non videtur autem,

Manna

dosis

quia humorum colorem contrahit. RENA. Imò cum in iure dissoluta est, nihil aliud videtur, quàm ius ipsum, nec an in eo adsit, percipi potest. BRASSA. Ita est. RENA. Nonne est flatuosa? BRA. Quomodo aliter fieri potest, cùm sit ros condensatus? hanc ob causam semper cinnamomum cum illa commisceo, & anisa, & nonnunquàm zingiberis momentum, & alia quæ flatus dissoluere apta sunt, ac exire faciunt. RENA. Inter medicamenta quæ enarrasti bilem educentia, tria sunt quæ apud antiquos erant ignota. BRAS. Antiquis ignota fuisse arbitrari non possum, at potiùs censeo non fuisse cognita vt aluum cientia, & vti medicamentosa, nam de manna Galenus in tertio de alimentorum facultatibus egit, cùm de melle mentionem facit, & illam vocat aëreum mel, vt an ventrem educeret ignorauit de cassia, quæ ventrem mollit, nemo est præter Arabes, qui de illa scribat. rhabarbarum sub rheon à Dioscoride pertractatum esse non pauci arbitrantur, & sub Plinij rhecoma, at non cognouit illud Dioscorides, vt ventrem exoluens. RENA. Legique de his scripsisti in tuo simpliciũ examine. BRAS. Illa quæ tunc scripsimus pro horũ notitia sunt satis, veruntamen non-

Manna flatuosa

nunquã bilem educo ex solis tamarindis. Tamarind
RENA. Quomodo illos præbes? BRAS. Diuersis modis. nam quandoq; iubeo eorum substantiam pistillo subigi, & per setaceũ cribrum eliquari, posteà duas vncias, vel vnciam cum dimidia ex zucaro præberi iubeo, & bilem educunt. RENA. In bolum igitur confici iubes? BRAS. In bolum inquam. RENA. Et nihil aliud addis quàm zucarum. BRAS. Imò & anisa addi iubeo, cinnamomum, zingiber, & garyophylla, vt tamarindorum frigiditati obsistant. RENA. In quo ordine sunt frigidi? BRAS. Nonnulli in secundo ordine frigidos esse arbitrantur, alij in tertio. at arbitror ego esse in secundo ordine intenso, iccirco ventriculo obsunt, & potissimùm frigido, flatúsque excitant, sed prædictis aromatibus corriguntur. fuítque publicus antiquorum mos (vt ex secundo de ratione victus in morbis acutis planè patet) odorata ac calida medicamentis commiscere. RENA. At id non faciebant, quia antiquorum medicamenta essent frigida, cùm à Galeno in aphorismis scriptum sit, omnia exoluentia medicamẽta esse potentia calida. BRAS. Odorata hæc & calida medicamentis miscebant, ad ventriculum ventriculiq; os roborandũ, ne à medicamenti vi
læd

læderetur. nam pars hæc prima quæ medicamentum recipit, ab eodem summopere perturbatur. antiqui verò frigida medicamenta haud cognouêre, hoc est aluum educentia frigida. RENA. Præbésne alio modo, quàm in substantia tamarindos? BRA. Illos etiam ad vnciam vnâ ebulliri facio, in decem feri vncias ad quatuor vnciarum consumptionem, vel duarum, quia nimia coctura tamarindis vim auferre dicitur, deinde per densum linteum excolari iubeo, & bibendum præbeo, flauam bilem absque molestia perbelle educit. verùm & hoc medicamentum à longinquis partibus minimè educit, sed à propinquis solùm, & à viis, nam imbecille est medicamentum. RENA. Videntur saporem habere acerbum tamarindi, & adstringentem. BRASSAVOL. Ob hoc nonnulli suadere conati sunt tamarindos per compressionem educere, cùm & lenientem simul habeant naturam, & emollientem. RENA. Præbésne alio modo? BRA. Et in iure decoquendos iubeo, iusque bibendum præbeo, vel in aliqua aqua ex his quæ vi ignis eliquatæ sunt. iussi nonnunquã, integros comedendos, quos tamẽ iubebam in cinnamomi puluere conuolutari, sed hoc modo minus educere vidẽtur, & præterea eden

edenti fastidio veniunt. RENA. Vsúsne es alio ad hanc bilem educendam medicamento? BRAS. Serum huc afferre possem, quod nõnunquàm copiosè præbui. REN. At serum non magis bilem educit, quàm alios humores. BRAS. Verum est, tamen biliosi ichores illum sequi videntur, at id tantùm educit, quod in viis continetur. RENA. Aliquibus visum est quòd ventriculum relaxet, & ob hanc causam educat. BRAS. In sero duo inueniuntur, dulcedo quædam, & acredo, dulcedine emollit, acredine mordicat, & sua mole quâ præbetur, naturam irritat. RENA. Ad quantam copiam præbes? BRASSA. Ad libras sex vel octo. RENA. Eodem modo ventrem soluere dicit, quo thermarum aquæ educũt, ob molem scilicet suam. BRAS. Imò & thermarum aquæ suis educunt qualitatibus, vt hæc quia salsa, illa quia sulfurea, in magna autem præbentur copia, ne à natura euincantur, cùm sint imbecilla eductoria. Itidem serum, si in pauca præberetur copia, à natura euinceretur, & minimè educeret. RENA. Nónne & lac hoc idem efficit? BRAS. Efficit prorsus, & nõnunquàm in eadẽ copia lac præbeo, neque ab Hippocratis aut Galeni decretis discedo, lac verò emolliẽdo educit, ac leniendo,

quanquàm & serum lacti mistum non nihil mordicare possit. Vsus prætereà sum & iure pinguiori ad bilem educẽdam, quæ in viis sit, quod mirè aluum emollit, vt est pinguius veruecis ius. REN A. Et hoc in copia præbendum esse arbitror. BRAS. Ad quinque vel sex libras, & secundum naturam illius qui sumit, ventrem emollit, & lenit, & quicquid in viis continetur educit, aluúmque molliorem reddit, vt potius inter emollientia numerãdum sit, quàm inter bilem educentia. REN A. De veteris autẽ galli iure quid sentis? BRAS. Id quod aliâs etiam scriptum reliqui, esse leniens antiquorum medicamentum, quo frequenter ad leniendum ventrem vtebantur, & ad ichores educendos: nonunquàm tamen in hac sententia fui quòd non educeret, quia vnicam solam præbebam pateram, sed posteà notaui aluum mirum in modum proritare, sed in copia sumptũ ad tres scilicet, vel quatuor cõmunes pateras, in hac copia, non solùm antiquũ galli ius, sed & capi ventrẽ emollit. Verùm hoc potius inter emollientia erit numerandum, quàm inter bilẽ educentia. REN A. Fortè si tanta ex iure gallinacei pulli copia præberetur, ventrẽ subduceret. BR A. Imò & si in duplo accipiatur, nõ educet, quia caro

illa antiqua nonnihil salsuginei iuri præbet. De hoc Galli iure atque gallinæ vbertim locuti sumus in nostris in librũ de ratione victus in morbis acutis Commentariis, in quo disseruimus loco, an vnum ventrem soluat, & aliud adstringat, nunc verò cætera medicamẽta bilem educentia prosequamur. REN. Nihil aliud opto. BRASSAVOL. Inter simplicia bilem educentia numero etiam syrupum rosatum solutiuum, quo æstiuo tempore frequentissime vtor, bilem mirificè educit. RENA. Nonne & ichores etiã biliosos educit? BRASSAVOL. Imò & cuiuscunque generis humores, & aquositates, iccirco in hydrope aquam tam belle educit, vt nullum aliud facit medicamentũ. RENA. Arbitror comprimendo euacuare. BRASSAVOL. Habet & nonnihil lenientis, ratione roris & zucari, nam rosæ quę infundi debent, summo mane colliguntur, quo tempore rore madidas esse constat, & aliquid etiam habet attrahẽtis facultatis, nam quatuor vnciæ ex aqua endiuiæ dissolutæ bilem probè educũt, & ichores. RENA. Video te aliquid semper commiscere cinnamomi ac anisorũ, cur id facis? BRAS. Quia flatuosus est syrupus, vt hoc ab eo auferã, ad hũc & eundem vsum iussi nonnunquàm fieri

ex

Caro Galli

syrupus rosarum [illegible] laxativum

ex persicorum floribus infusiones nouem, & posteà ex zucharo in syrupum redegi, quatuor huius syrupi vnciæ bilem & ichores educunt. RENA. Syrupus hic odoratus esse debet. BRAS. Vt rosaceus rosas redolet, ita hic persicorum odorem refert, tamen & subamarus est, vt syrupus rosaceus. RENA. Cùm rosæ siccæ sint temperiei, quo modo flatus excitare possunt? BRAS. Id faciunt, quia rore aspersæ sunt, quando summo mane colliguntur. REN. Nonnulli arbitrati sunt non fieri ex syrupo flatus, sed illos à syrupo educi, qui in toto corpore continentur, iccirco nonnulli hunc syrupum physogonum, id est, flatus eductiuum nuncuparunt. BRASSA. At experientia ostendit flatus excitare ac inducere, quia cum rosis ros simul mistus est, inde neque illi deest expellendi flatus vis. vnde quæ per huius syrupi vim excernuntur, semper spumosa sunt, ex flatus miscella cum bile & ichoribus. rhabarbarum verò, aloë & huius generis medicamenta non excitant flatus, tamen eorum officium esset, si in corpore adesset flatus, illos ad se trahere, at nullos, vel paucissimos trahunt, qui in ventriculo & in intestinis continentur. RENA. Fortè in his calidis medicamentis hoc non percipitur, quia

quia sua caliditate flatus resoluunt. BRA. Verum, tamē tot non resoluerēt, si flatus excitarent, & attraherent. Experientia prætereà ostendit in hominibus minimè flatuosis, cùm hunc syrupum sumunt, in ipsis flatum supramodum excitari. RENA. Vt ad rem nostram redeamus, syrupus hic inter simplicia medicamenta omnino numerari debet, quia solam rosarum infusionem recipit, & zucarum. BRASSA. Est simplicissimum, quia solam rosam, & nihil aliud recipit, zucarum verò veluti pro condimento additur. RENA. Cur apud nonnullos pharmacopôlas ventrem educit, apud alios ventrem non educit? BRASSAVO. Cùm ventrem nōn subducit, pharmacopôlæ illi quinque aut sex infusionibus contenti fuêre, & non nouem, neque vndecim. RENA. Punitione indigerent hi pharmacopôlæ, qui medicamenta non parant, vt parari deberent. BRAS. Et tali punitione, quali grassatores & homicidæ puniri solent: cùm à voluntariis homicidis nihil differant, verùm & illi eadem indigerent punitione, qui vt vehementer educat hic syrupus, diagridium vocatum commiscent. RENA. Cùm huic negotio & ordinem, & leges imponere ad te spectet, arbitror deo

bono f opt

In pharmacopolas

optimo displiciturum esse, nisi de hac tam necessaria re leges ieceris, & illos qui trãsgrediuntur puniri feceris. BR. Non satis sunt ordines ac leges; sed opus est omnia omnium pharmacopolarum lustrare simplicia, & quæ praua sunt, abiicere. praua verò iudicanda sunt, & nimis antiqua & rancida, & mucida, & teredinibus corrosa. at hoc breui effecturus sum, nam in hoc errore illos permanere non sinam, & præterea iniustum est vniuersum populum decipi, & tali deceptione, quà vnusquisque ob vnius nebulonis auaritiam posset vita priuari. nam vnum pro alio vendunt, & his rebus quæ vitam auferunt, ac condonant, nullam adhibent diligentiam. RENA. Peius tractandi sunt, quam pistores qui supra Tympanum eleuantur, & rapis, rapiciis, cœno, ac putridis ouis à pueris, imò à toto populo lapidantur. sed hæc missa faciamus, & ad institutum nostrum redeamus. vidi te quandoque iubere sumi ius caulium, ad quos humores educendos illud præbes? BRAS. Non præbeo vt humores educantur, qui in venis sunt, sed vt stercora tantùm, & illa quæ in ventriculo ac intestinis sunt, exeant. nam ventrem emollit, & præterea nescio quid adest salsuginei, & nitrosi in caulium superficie,

quod

quod inteſtina mordicat, & ad excernendum proritare poteſt. RENA. Et hec fortè cauſa eſt, cur prima coctura ſit accipienda. BRAS. Illa inquam eſt cauſa, quia cùm magis ebulliunt braſsicæ, qualitas illa ſalſuginea, quæ in ſuperficie eſt amittitur, & id quod eſt, de propria caulis ſubſtantia introducitur, id verò eſt ſiccitas, & frigiditas, quę ſunt adſtrictoriæ qualitates; vnde & à Galeno cauſa redditur, cur prima braſſicæ coctura ventrem ſoluat, ſecunda adſtringat, Et ante Galenum Ariſtoteles de hac re problema fecit, cur prima braſsicæ coctura ventrem emolliat, ſecũda adſtringat. nota verò, cùm ius hoc magis educere volo, braſsicam ex oleo & aqua bullio: quanquam & pingue ius æquè vt oleum ventrem emolliat. nonnunquàm & lentibus vſus ſum, hoc eſt lentium iure ad aluum emolliendam, eiuſdémque naturæ eſt lens cum braſsica, in hoc quòd prima coctura ventrem ſoluit, ſecunda adſtringit, nam & in partibus ſuperficialibus lentis, ſalſuginea quædam, & nitroſa qualitas adeſt, quæ in ius recepta aluũ ſubducit, lentis verò caro aſtringit. RE. Memini me legiſſe apud Galenũ in libris de ſimplicium medicamentorũ facultatibus, illa quæ de lente, & braſsica adduxiſti. BRAS.

in pluribus locis apud Galenum huius rei mentio fit, verùm & nonnunquàm absinthio vsus sum ad bilem euacuandam. RENA. Succeſsítne? BRASSA. Haud probè, nam mulier quædam ad duas absinthij vncias edebat, & eius aluus nihil penitus commouebatur, cœpi ſuccum præbere ad quatuor vncias, in hac quantitate aliquid bilis educit: tamen non multum, & quandoque non educit, iccirco non ab re à Dioſcoride vocatum eſt abſinthium fel educere, quod ſtomacho & aluo adhæreſcit. RENA. Dioſcorides ſuccum ipſum ſtomacho inutilem eſſe dicit, & capitis dolorem afferre. BRASSA. Et hæc vna fuit cauſa, cur eius vſum prætermitterem, præter illud etiam, quòd rari inueniuntur, qui ſuccum hunc bibere poſsint, cùm felleus ſit, atque amarulentus. at ſi experiaris, percipies neque ſtomacho inutilem eſſe, neque capitis dolorem efficere. Propterea arbitratus ſum in aliquibus illud effeciſſe, in aliis verò non efficere. Expertus etiam ſum ſeriphij abſinthij ſemen, quod in hoc caſu vehementius educit, quàm ſimpliciter vocatum abſinthiũ. RENA. Quid eſt ſeriphium abſinthium? BRASSA. Eſt marinum abſinthium cuius ſemen in pharmacopoliis inuenitur,

& nonnulli fantonicum vocant, fementina vulgò dicitur, qua in puerorum vermibus vtimur,& à Diofcoride dicitur, decoctum hoc per fe, aut cum oryza lumbricos,& tineas rotūdas interficere. R E N. Frequenter huius herbæ femine vfus fum, & puerulis profuit vermibus correptis, at quo modo præbes, & in quanta copia hoc femen? B R A S S A. Duæ drachmæ plenè euacuant in pulucrem redacti feminis, & cum aliqua aqua ebulliti, vel cum iure drachma vna mediocriter vacuat. Diofcorides inquit cum melle aluum mollire, quanuis de herba loqui videatur, at nos folo vtimur femine, additque Diofcorides eadem poffe additum obfoniis, aut in lenticula decoctum. R E N A. Ego puerulis quomodocunque fieri poteft præbeo, nonnunquàm in iure, nonnunquàm in cōtrito pane, nonnunquàm in vocata panatella, nōnunquàm in vino lactentibus puerulis iubeo, vt in os ponatur, & ftatim māma exugenda exhibeatur. B R A S. Hoc nihil refert, modò infumatur. Ob hoc Diofcorides haud inepté dixit obfoniis mifceri. R E N A. Nonne idem efficere poteft, & corallina? B R A S. Idem prorfus, nam ad duas fumpta drachmas vetrem plenè educit, & vermes interficit. R E N. Nonne illa

est corallina quæ apud Dioscoridem Bryō thalassion appellatur? BRAS. Illa quidem & quam Latini Muscum marinum vocāt, at idem ferè efficit, scordeum. RENA. Fortè verum scordeum non illud, quo passim vtantur pharmacopôlæ. BRASS. De vero semper intelligo, quia nō verum scordeū, scordeum prorsus non est. R. E. Nónne & bilem educit aqua marina? BRAS. De bile non legi, sed & muriam, & aquam marinam aluum soluere, plenissimum est, id verò ventriculum perturbando facit, neque ista ad quempiam euacuandum præbere auderem, nam aquam marinam expertus sum magno meo incommodo. Cùm enim Venetiis agerem cum Illustrissimo & Excellentissimo Alphonso Duce Ferrariæ III. ipse cymbam conscendit, cum Magnifico Catharino Zeno, méque vocauit, & magnificum Ludouicum Ariostum, vt illum comitaremur. Illustriss. Dux & magnificus Zenus in puppi sedebát, Ariostus & ego in prora, iussit Dux remiges Venetum portum exire, qui vocatur, li Castelli, exiuêre in parua cymba portum, & in altum mare nauigarunt à portu duorum milliariorum spatio discedentes, tamen conquerebātur nautæ ac dicebant, Illustriss. Dux nimis refrigeratur, ita

tur, ita Venetis verbis exprimentibus: *Il se refrescamassa*, at vento inualescente, iussit Illustrissimus Dux nauiculam ad portum regredi, at vndæ interim magnæ effectæ sunt, & altæ, vt nauem aqua implerent, tunc nautæ cœperunt vndas prora per transuersum secare, quæ vndæ carinam percutientes in altum eleuabantur, & frangebantur, & partim nauem ingrediebantur, partim faciem meam irrorabant, nam nullus dabatur locus, in quem progredi possem, tunc marinam aquam inuitus bibi, & alui profluuium incidi, arbitrabar proculdubio me suffocaturum esse, nam pro rato putabam nauiculam submergendam esse: vnde cogitare cœpi, quonam modo euadere possem à tali tamque imminenti discrimine, nullum aliud mihi succurrit præsidium, si nauis submergebatur, quàm supra Illustrissimi Ducis dorsum me iactare, & illi manibus tenaciter inhærere, nam non me latebat illum vti piscem natare, iccirco statueram, aut quòd me ab aquis liberaret, aut ego vnà cum illo, qui erat mei interitus causa, suffocaremur, pedémq; vnũ ex vna transtrorum parte posui, & alium ex alia, vt facilius si nauicula periclitabatur, illum aggredi possem, &

tentare an imminens periculum euitare possem, sed Deo optimo maximo duce Muranum peruenimus, quo in loco tunc Illustrißimus Dux habitabat, cum terram potiti sumus, cœpit me salsa aqua madidum deridere, & qui illam non semel exorbuerim, nam cùm fractę vndæ faciem meam percutiebant, vehementer inspirabam, & semper nonnihil aquæ exorbebam, se verò iactabat Illustrißimus Dux quòd etiam si nauicula submersa fuisset, ad litus liberè enatasset, ego autem illi dixi, fortè à mari enatasses si liberè permisissem, nam cùm nullam aliam haberem euadendi spem quam dexteritatem, ac facilitatem natandi, qua tu polles, statueram cùm nauicula submergebatur, Excellentiam tuam per collum apprehendere, & supra dorsum insilire: si ipsa natasset, me etiam ad litus tulisset: sin minus vnà suffocabamur. Tunc Illustriß. Dux ostenso mihi pugione, quem lateri suspensum gerebat, dixit, manus tibi incidissem, & enatassem, ego illi responsum dedi, fortè ab ipsius manibus me pugionem abripuisse, & illum cruribus totum amplexus essem, neque tempus adfuisset euaginandi pugionem: huncmet pugionem mihi dono debit Illustrißi. Hercules Dux IIII.

cũm illum Romam comitarer M. D. L. Iulium I I I. Pontificem maximum visitaturum. Itaque res hæc in risum soluta est, at ego ob aquæ marinæ potũ alui profluuiũ & ventriculi perturbationẽ incidi, vt per octo dierum spatium vix edere potuerim. RENA. Euacuat igitur, & ventriculum perturbat aqua marina. BRAS. Ita efficit, nec bilem magis quàm alia quæ in viis continentur educit, at ipsius vsus non est recipiendus, sed prorsus ablegandus, vtor & nonnunquam pro bile euacuanda sebesten. RENA. Nonne ab antiquis myxæ vocantur? BRAS. Eo nomine vsi sunt antiqui, quoniam ex ipsis viscus confici potest. RENA, In qua præbes forma? BRASS. Quandoque decoqui iubeo in iure pulli sebesten triginta, & ius bibendum præbeo aluum emolliunt, & bilem educunt. RENA. Tamen non potius bilem, quàm stercus educere videntur. BRAS. Est leuissimum medicamentum, quod cum à meseraicis educit, & à propinquis venis bilem educit, & simul ventrem emollit, & quicquid in viis inuenerit, id totum vias ipsas emolliendo, educit. iubeo nonnunquam vt eadem triginta sebesten pistẽtur, posteà per incerniculum percolentur, & addito zucaro in modum electuarij edan-

tur, quandoque iubeo in aliquam aquam ebulliri, vt ęgrotanti conuenit, plerunque in decoctione passulas addo, & dulcia pruna. RENA. Nónne vteris & ad hoc negotium peragendum solis passulis? BRA. Et solis vtor passulis & solis prunis, & simul tantùm passulis & prunis, at hæc ventrem emolliunt, neque hunc magis, quàm illum humorem educunt, non dubito tamen si à venis educerent, quòd bilem præ aliis humoribus eligerent. Iubeo nonnunquàm, vt solæ passulæ in iure coquantur, & ius illud ebibatur, & passulæ probè masticatæ deuorentur. Quandoque ex solis prunis idem efficio, nota autem pruna dulcia esse oportere; qualia, myrobalana vocata, & iberica, quæ vulgò catalonica vocantur, aut alia dulcia: nam reliqua prunorum genera, quæ cum dulcedine acida sunt, pontica vel austera, potiùs adstringunt, quàm ventrem emollire posśint. Nonnunquàm simul misceo pruna & passulas, quæ in vino coquuntur albo, posteà iubeo vt in zucaro coquantur, & quatuor cochlearia edantur, & cum his plerunque miscui sebesten, & aluum probè subduxi. veruntamen mollientia potius sunt, quàm aliquem particularem humorem educentia, nisi in magna sumantur copia

pia, copiosè verò sumpta vocari possunt (vt recentes dicunt) medicina debilis fortis,& bilem præ aliis succis educere possunt, puerulis nonnunquam præbeo pro aluo emollienda prunorum expressum ex zucaro, & emolliuntur. RENA. Vterísne aliis simplicibus pro bile educenda? BRASSA. Vsus sum nonnunquàm mulsa aqua ex melle crudo, sed dolores pariebat, ex cocto autem melle dolores quidem non parit, sed non educit nisi copiosè sumpta, idem facit & oxymeli, imò longus ipsius vsus iuxta Hippocratem ramenta educit. RENA. Ego de his peto, quæ bilem solam educunt. BRASSA. Et hæc cum humores educunt, bilem ipsam subducunt,& eorum vis non transit intestina. tartaro plerunque vsus sum pro educenda bile,& illam educere percepi, quæ in intestinis continetur, & ad meseraicas etiam venas attingit. RENA. In quanta copia? BRA. Ad drachmam vnam vel drachmam cum dimidia. RENA. In qua sumitur forma? BRA. Iubeo in tenuissimum puluerem conteri,& in iure bibi, vel in catapotia redigi, ac deglutiri. RENA. Accipisne albi vini, an nigri tartarum? BRA. Albi, quia magis aperit,& vehemētiùs educit, at in tartari albi vini penuria, nigri vini tar-

tarum accipi iubeo, quoniã & ipſum educit, licet id imbecillius, quàm albũ faciat. RENA. De ſcammonia nõdum locutus es. BRAS. Id in vltimum locum reſeruabam cùm ſit cæteris vehementius bilem educẽtium, cùm autem nunc me ad id pertractãdum excitaueris, de eo impræſentiarum agemus. Vtor & ſolo ſcammonio in puerulis, & in aliis ætatibus. RENA. Miror, cũ vehemens ſit medicamentum, cur puerulis præbeas. BRAS. Admiratio ceſſet, quia in tam parua copia, & correctum exhibeo, vt lædere non poſſit, imò & commoditas ipſa cauſa eſt vt his illud præbeam, nam in pauca copia & à prauo ſapore emendatum his illud prebeo, qui copioſius aliquod medicamentum haud ſumere poſſent. nã puerulis ex zucaro præbeo, vel ex zucaro roſaceo, vel tria grana in vnum catapotiũ conformari iubeo, cùm ſolam bilem educere animo eſt, quandoque in adſtrictioribus quatuor granis vtor, vſque ad quinque, in adultis decem præbeo, in ætate prouectioribus quandoque ad viginti vſque grana præberi iubeo. RENA. Scrupulum igitur exhibes? BRASS. Scrupulum quidem, ſed antiqui in maiori præbebant copia, tunc eo libenter vtor, cùm aliqua materia cocta eſt penitus euacuanda, ac eradicanda.

Scammonij uſus ab autore familiaris

Doſis.

Dioſcor

Dioſcorides drachmam præbet, aut obolos quatuor ex aqua mulſa. RENA. A' Dioſcoride ſcriptum eſt pituitam educere, & bilem. BRAS. Bilem primò educit, poſteà pituitam, cùm bilis fuerit exhauſta, eſt ferè axiôma à philoſophis in exemplis vſurpatum, cùm de rerum proprietatibus ſermonem habent, rhabarbarum, ſcilicet bilem purgare. RENA. Dioſcorides primò pituitam refert, quam educat, deinde bilem. BRAS. Enumeratio illa non eſt conſideranda, neque pro regula ſumenda, vt quod ſit primum in enumeratione, ſit etiam primum in eductione, at an ita conſtet, experientia ipſa oſtendit. RENA. Et quid oſtendit hæc rerum magiſtra? BRASSA. Primò bilem edücere, & ſi medicamenti vis poſt eductam bilem fuerit exinanita, pituitam non attrahet, at ſi bile educta vis medicamenti adhuc vigeret, poſt bilem pituitam educeret, & ſi educta pituita vis medicamenti adhuc vigeat, atram bilem educit, quòd ſi atra bile educta vis medicamenti adhuc perſtet, ſanguinem educit, & denique vitam, hic etenim eſt medicamentorum ordo, cùm proprium humorem euacuauerint, alios per ordinem euacuare, quouſque ad ſanguinem peruentum ſit, quem ſemper natura, vti

proprium thesaurum vltimò seruat, neque vllum inuenitur medicamētum, quod sanguinem primò educat, quin venenum sit, & præsentissimum venenum. RENA. Præbésne ita simpliciter scammonium absque vlla diligentia paratum? BRASS. Imò semper in cotoneo malo & pasta paratum præbeo, cùm antiqui non paratum præberent, hoc tamen non dico, quin sciuerim & antiquos parasse scammonium, nam & Galenus in pasta scammonium præparari docet, ambiguúmque est, an decoctam pastam deuorandam velit, an ipsum scammonium; quicquid tamen sit, nos semper scammonium præparatum præbemus, quòd pharmacopolæ diagridion vocant. Nonnunquàm iubeo in rotulas cōfici cum aromatibus & zucaro, vt cinnamomo, zingibere, gariophyllis, ac similibus, túncque medicamentū est, quod nemini displicet, sed omnes, tam pueri quàm adultiores libenter accipiunt, plerunque pro puerulis in ientaculi formam confici iussi: est verò ientaculum impræsentiarum id, quod vulgò *cialdoni* vocatur, in tali forma puerulì facilè sumunt. RENA. Est vehemens medicamentum istud. BRASS. Tamen apud antiquos vsitatum, quod & absque hac præparatione præbe-

bant

bant,quæ modica non eſt,nam paſta,& cotoneum, quicquid venenoſi reperitur, ad ſe trahunt. RENA. Quomodo hæc trahere poſſunt, cùm vi attractrice careant? BRAS. Eſt ignea vis,quæ ad ſe attrahendo ad hæc attrahit, quod autem venenoſum eſt tenuius eſt,& facilius exit,hæc'que vim illam medicamenti vehementem mitigant, & panis præterea ratione fermenti cum ab ignis caliditate in actum ducitur, attrahere aptus eſt. RE. Melius eſt ab hoc medicamento abſtinere, niſi illo magnopere indigeamus.BRA. Melius profectò, quia & præparatum nõ penitus veneni naturam exuit, licet non tam vehemens ſit, vt erat priuſquàm preparetur,ſed(vt dictũ eſt)ad bilem euacuandam, & à ſanguine ſeparandam,& à longiſsimis ac penitioribus partibus trahẽdam vtiliſsimum eſt,& cùm medicamenta alia negligũtur,& pauciſsima deſideratur medicamenti copia. vſus ſum,& lupulo quẽ ſalictariũ lupũ Plinius vocat, quoniam ſupra arbores aſcendit,ad bilem educendam,ſed bellè non reſpondit. RENA. Quomodo præbebas? BRA. In aqua ad tertias decoqui iubebã, poſteà huius decocti ſemilibram bibi, & lupulum ipſum in acetario edi. REN. Eduxitne? BRAS. Eduxit quidem,ſed ineptè,

&

& modicè, at si huius decocti libra vna ex zucaro sumatur, aliquid bilis educit. R E N A. Non debet lupuli vis partes, per quas transit attrahendo desilire. B R A S. Ita arbitror: tamē hi per vrinam mirum in modum expurgantur, qui hoc decoctum bibunt. R E N A. Non mirum igitur, si vehementer non educat, quia quæ per vrinam vehemēter educunt, per aluum probè educere nequeunt. B R A. Quādoque in hoc decocto zucari vocati rubri duas vncias misceri iussi; & tunc egregiùs eduxit. Vsus sum & nonnunquàm luteis myrobalanis ad bilem flauam euacuandam, illámque comprimendo mediocriter euacuant, vt rhabarbaricum facit. R E N A. Arbitror leue esse medicamentum. B R A S. Et leue & tutum est: neque aliquid incommodi afferre potest. R E N A. In quanta præbes copia? B R A S S. Quandoque ad tres exhibui drachmas, iterúmque ad vnam cum dimidia, nunquàm nisi in puerulis vnam exhibui, quia imbecille est medicamentum, à meseraicis educit & iecore, ab extremis autem partibus minimè ducit, ventriculū roborant myrobalani, neque aliis obsunt partibus. nā & intestina, & iecur eo roborantur. R E N A. In qua præbes forma? B R. Plerunque in rotulas vel placentulas ex

zucaro

zucaro conformari iubeo: nonnunquàm infundi: tunc verò opus est pertingere & ad quatuor drachmas, postea huius infusionis vsque ad sex vncias præbendum zucaro dulcoratas, nonnulli illos masticant: posteà vini cretici vnciam superbibunt, alij in puluerem redactos in cretico vino bibunt, alij in gallinacei iure conditos recentes domi habeo, quos mihi dono dedit Illustris Beatrix de Luna, virago solertissima. RENA. Iam vidi & comedi, sed an educant ignoro. BRAS. Ego potius adstringere arbitror, nisi ad tres vel quatuor vncias ederentur, tunc & hi conditi comprimendo educunt. RENA. Post eductionem igitur adstringunt. BRAS. In hoc rhabarbaro assimilantur. RENA. Qua hora illos præbes? BRAS. Summo mane, post cœnam, ante cœnam, & illa hora quæ & accipienti videbitur magis commoda, & medico, modò à vi natiua non euincantur, & à naturali calore, tunc enim nõ educerent, sicuti neque alia educunt, quæ à natura euincuntur, & superantur, antequàm agere incipiant. RENA. Alióne vteris ad bilem educendam medicamento? BRAS. Nonnunquàm marina brassica sum vsus, & optimè successit. REN. Nõnne illa est, quam vulgus soldanellam vocat? BRAS.

Illa inquam est, hinc qui sanæ mentis vir est, elicere potest necessarium esse medicũ, qui diuersas regiones peragraturus est, omnium simplicium naturas ac formas cognoscere, vt si contingat in aliquo loco in quo absint pharmacopôlæ, medica vti facultate, illa decenter & cum conscientia ex illius regionis herbis vti posŝit. cùm Illustriſsimũ Alphonsum Ferrariæ Ducem III. ad Comachensem portum comitatus essem, & ibidem per aliquot dies permansisset, multi ex ipsius familia tertiana febre correpti sunt, quibus vt fieri poterat, & locus exigebat, opem ferebam. cùm autem circa maritima sabuleta spatiarer, in marinam braſsicam incidi, è qua fasciculũ collegi, & domũ portaui, omnésq; hac herba purgaui, quæ mirũ in modũ peccantes humores eduxit, & omnibus placuit, nonnullis verò succum præbui, ad semiunciã: aliis herbam ipsam in acetario edendã exhibui, quibusdã ad eandem quantitatem herbæ puluerem ante furni os exiccatę in iure bibendum tradidi: at erat puluis crassus, quoniã ligneo pistillo, & lapideo mortario, in micas potius quàm in puluerem herba redacta erat, nonnullis herbæ decoctum exhibui. REN. Ad quantam copiã? BRAS. Ad sex vncias. RENA. Quomodo

pon

ponderabas? BRAS. Absque bilance, vel statera, vel alio ad ponderandũ vsitato instrumẽto, sed parua accepta tabella illam pro dimidia sui parte supra mensam posui, alia dimidia extra mensam in aëre pẽdebat, illámque ita aptaui, vt in equilibrio esset, posteà quatuor aureos scutos accepi, & illos supra tabellæ partem posui, quæ mensæ insidebat, puluerem verò in illa tabellæ parte posui, quæ extra mensam erat, quoad puluis partem illam, quæ mẽsæ insidebat, vnà cum quatuor scutis eleuaret, ita mihi bilancem finxi, quæ nullo modo fefellit, sed omnes mirum in modum euacuati sunt, & in sanitatem restituti. Quod Alphonsus Illlustriss. Dux videns, iussit magnã huius herbæ copiam vt plantaretur, Ferrariam asportari. At ego illi suasi in alio solo præterquàm marino plantatam vires amittere, & quòd facilè esset ad hunc locũ mittere, quãdo illa indigeremus, & quòd exiccatæ puluis idẽ efficere posset, iccirco iussit vt sacculum colligi facerem, & Ferrariam asportari, quod effectũ est, quandoq; etiam ex ipsa infusionem præbui. RENA. Duos humores eduxit? BRAS. Biliosos potissimùm vidi, sed & cum ipsis multum ichorum biliosorum educebatur. RENA. Hoc petebam, quia

aquas educere audiueram. BRAS. Aquas prorsus educit, iccirco in ascite præbetur. Galenus mentionem non facit quòd biles, vel aquas educat, sed ait, brassica marina suprà quàm quòd ventrem deiiciat, vtpote subsalsa & subamara gustu, fuerit sanè etiam ad externos corporis vsus, & ad omnia ea ad quæ tales vilitates accommodantur idonea, audias & quòd mihi etiam contigit: cùm essem Belreguardi, cũ Illustriss. & Excellentiss. Hercule & Hippolyto Estensibus. M. D. XXVII. multi tertiana febre capti sunt, & nulla aderant opportuna medicamenta, tamen non pauci euacuatione indigebant. Ego per hortum deambulans, cardamum, hoc est nasturtiũ, inueni, & semina collegi, quæ tunc habebat, vnà cũ herba, & in aqua ebulliri iussi, & ad vncias quatuor huius decocti sumi. REN. Quid egit? BRAS. Bilem eduxit, sed non vehementer, verùm in tanta copia, vt primus qui sumpsit, statim sequẽti die sanitati restitutus sit. in puluerem etiam redegi, & ad duas drachmas in iure præbui, & hoc modo bilem eduxit, in iure etiã decoqui iussi, iúsq; ebibi, verùm cum primò illi, qui sumpsit ventriculum turbasset, id statim mihi in mentem venit, quod à Dioscoride scriptũ est, videlicet, stomacho esse
inimi

inimicũ,propterea nemini deinceps præbui,quin cinnamomum cõmiſcerem,zingiber & gariophylla. REN A. Quid tunc educebat? BRAS. Bilẽ, & quicquid in viis continebatur,tunc etiam centaureum minus expertus ſum, quòd ob ipſius amaritudinem fel terræ nuncupant,huius herbę manipulus in aqua coctus bilem educit, verùm & pituitam ſimul educit,at tunc eo pro bile ſola educẽda vſus ſum. REN. Memini & ego Dioſcoridem de illo ſcriptum reliquiſſe,humores felleos & pituitã craſſam potu excitare per aluum. BRAS. Ita prorſus eſt, veruntamen Galenus videtur hoc centaureũ exiccatiuum feciſſe,& adſtringens,tamen poſteà dicit decoctũ herbæ quidam Iſchiadicis infundunt,ceu biliosa,& craſſa ducens,nam & talia purgat, notátque Galenus cùm vehementer educat, quòd cruẽta etiam euacuat. At Belreguardi ſum & vſus chamædrydis decocto ad ſex vncias, & hoc etiam bilem mediocriter educit, quamquàm & exiccata chamædrys, ac in puluerem redacta ad hunc vſum præberi poſsit, catapotia præterea ex centaureo minori,& chamædryde confici poſſunt. REN. Quanta Chamædrydis copia in decoctione eſt ebulliẽda? BRAS. Quanta poteſt vna manu capi, à Galeno

nulla fit mētio,quòd educat,sed solùm dicit craſsitudinem humorū incidere, & viſcerum obſtructiones purgare. Nota autem,quomodo forte fortuna garū, bilem educere inuenerim, cū publicè librum de ratione victus in morbis acutis interpretarer,& locus ocurreret in quo de garo locuturus eram,vt mos noſter eſt,experimētis ſcilicet non parcere, ex Padanis piſciculis garum paraui,è quo die quadā pranſus ſum ex pane,vt potuerim gari ad duas vncias plus minus ediſſe,poſt tres vel quatuor horas à prandio bilem deiicere cœpi, quatérque puram deieci,poſteà bilioſos ichores quinta vice excreui,vt notauerim garum bilis eductiuum eſſe. RENA. Si educit, cur dyſentericis præbetur, vt Dioſcorides ait. BRAS. Imò & Gal. in methodo medendi de nonnullis ſermonem habet,qui muriam in dyſenteria præbebant, additque fortiſsimos ſanitati eſſe reſtitutos,nā bilem educebat, poſteà mirum in modum exiccabat, debiles verò interficiebat, imò in hoc caſu neque per clyſteres ſunt muria vel garum in inteſtina iniicienda, fortè ad extrinſecas partes applicat Dioſcorides,vt exiccet,quod mirum in modum facit.in coxendicum doloribus muria nonnunquàm,in clyſteriis

vſus ſum,& multum profuit, imò aliquos ex his clyſteriis ita curaui, vt breuibus ex his ſolis in ſanitatem reſtituerẽtur,tamen teneſmum quãdoque excitat, niſi anus tepida aqua,vel lacte frequenter abluatur,& garo infrigidãte inungatur. RENA. Præbuiſtíne aliis garum ad aluum ſubducendam? BRASSA. Neque præbui neque præbebo, quoniã & ſi in me ipſo id effecerit,in aliis fortè ad eandem menſuram vel non educet, vel ſupramodũ id faciet. RENA. E'sne aliis vſus ſimplicibus ad bilem educendam. BRASSA. in ruſticis ac pauperibus,linozoſti quam Latini Mercurialem vocant vſus ſum. RENA. Eſt herba notiſsima. BRASSA. Et Ferrariæ frequentiſsima, nam & mas & fœmina ferè vbique inueniuntur. RENA. Quomodo præbes? BRAS. In aqua decoqui iubeo,vt fiunt olera ex oleo, & ſale, poſteà hoc decoctum his præbeo bibendum, quibus & bilis & quicquid in viis cõtinetur educendũ eſt. RE. In qua copia prębes eiuſcemodi decoctum? BRASSA. Communem pateram,vel lancẽ præbeo abſq; vllo põdere, tamen ſi pondus ſcire percupias,ſunt octo vel nouem vnciæ decocti. RENA. Ducítne à lõginquis partibus? BRAS. Minimè omniũ,nã vis eius meſeraicas,& iecur non Mercurialis

 per

pertranſit, niſi quiſpiam ad magnam copiam præberet decoctum. RENA. Ad quam videlicet? BRAS. Ad duas libras, quandoque herbam ipſam ita decoctam in acetario edi iuſsi, tamen non tam probè educit, vt decoctum facit. RE. Neque ab re quia in decocto oleum adeſt, & ſal quæ ad eductionem conferunt. BRASS. Imò & dum coquitur, vis herbæ in ius deducitur. RE. Præbuiſtine quandoque crudã? BRASSA. Præbui nonnullis ruſticis in acetariis, ſed præter id, quod non placet, ventriculo aduerſari videtur, & haud probè educit, fortè quia in illa non editur copia, in qua edi deberet, nam in magna ſumpta copia idem effecturam eſſe non vereor. nonnun quàm etiam, pro educenda bile Damaſcenarum roſarum folia ad quinque bolos in acetario præbeo, & bilem plenè educunt ac biliosas aquoſitates. RE. Et aliæ etiam roſæ ventrem ſubducunt. BRASSAVO. Comunes quidem & odoratæ roſæ id efficiunt, rubræ verò ſimpliciter vocatæ & quæ odore carent potius adſtringunt, imò nonnulli Pharmacopôlæ Ferrariæ (quos prima vice admonui, illos ſecunda vice grauiter puniturus) ex illis valde rubris roſis ſyrupum roſatum ſolutiuum confecere, qui non modò educebat,

ſed prorſus adſtringebat. RENA. Fuit maximus error, & magna indigebant punitione nebulones illi, iſque in charitate peccare videtur, qui illos non puniuerit. BRASSA. In chriſtiani officium eſt illos inter te & ipſos, primùm admonere, poſteà eccleſiæ dicere, atque punire. RENA. Hoc eſt in his quæ ad fidem ſpectant, non autem in illis, in quibus proximum lædũt. BRAS. At amplius non læſere, quoniam iuſsi vt non venderent, ſed abiicerent. RENA. Abiiceréne? BRAS. Abiecisse arbitror, tamẽ an abiecerint, ignoro. RENA. Cùm viri ſint, qui conſcientia careant, quoniam ex illis roſis non confeciſſent, ſi conſcientia non caruiſſent, propterea neq; illis iureiurando affirmantibus credidiſſem, ſed ante conſpectum meum eiici voluiſſem. BRASSA. Si eundem iterũ incurrant errorem, ita illos ſæuè puniri faciam, quòd omnium vnus pœnas luat. At & pro educenda bile thlaſpi nonnunquàm ſum vſus. RENA. Quæ herba eſt thlaſpi? BRAS. Illa quam vulgus ſcarſeletã vocat, & Dioſcorides notat ab aliquibus capſellam nominari. RENA. Frigidã herbam eſſe arbitrabar. BRAS. Semen ipſius maſticato, nam manifeſtam perſenties acredinẽ, atq; caliditatem. RENA. Quódnã præbes, ſemen,

an herbam? BRA. Semē & herbam accipi iubeo, semē tamen efficacius est ipsa herba. RENA. Quomodo præbes? BRAS. Iubeo in iure, vel in aqua decoqui, posteà sex aut octo decocti vncias ebibi. bilē mediocriter educit, ac reliqua quæ in intestinis continentur. RENA. In alia igitur forma non præbes? BRASSA. Imò quandoque ex seminum puluere catapotia, ex syrupo rosato solutiuo fieri iubeo, & drachmas duas præbeo, educunt quidem sed mediocriter, puluerem etiam solùm in iure adhibeo, aut in aliqua aqua vi ignis eliquata. RENA. Dioscorides præbet acetabuli mensura, quæ quantitas est acetabulum? vel (vt Græci dicunt) oxybaphum, & etiam magnum mystrum. BRASSA. Nos seorsum de mensuris antiquis mentionem faciemus, & vna vice omnes interpretabimur, & vnà de põderibus agemus, nunc verò institutum nostrum prosequamur. REN. Præter id, quod thlaspi educit, à pestilentia etiam præseruare potest, & à veneno, & Dioscorides ait per vomitũ insuper bilē educere. BRA. Audias & alium modum quo bilem eduxi. RENA. Refero. BRAS. Iussi duo punica mâla sumi, alterum ponticum, alterum dulce, & vesperi in æreũ vas exprimi, posteà sub dio supra

feneſt

fenestram sini, atque mane bibi, expressum hoc bilem nõ mediocriter educit. RENA. Sumitur ex Arabum schola eiuscemodi medicamentum. BRASSA. Arabum quidem est, sed tormina inducit, icirco iubeo vt cinnamomum & zingiber illi misceantur, & cùm sumptũ fuerit anisa masticandum: si præterea essent vtraq; mala pontica, eundem humorem educunt, quem non æquè educunt dulcia, cùm minus educere videantur. RENA. Putásne æs illud huic succo aliquid præbere, quod ad eductionem faciat? BRAS. Omnino aliquid præbet, & plus etiam præbet ros quod in ipsum decidit succum, quanquam aliqui sint, qui inter duo ænea vasa seruari voluerint, tuncq; eorum aliud tetigit, neq; ros accipi potest. RENA. E'sne alio simplici nõnunquàm à prædictis vsus? BRA. Maximè omniũ: nam violis ad bilem puram educendã sum vsus, nec meo sine frustratus sum, sed moderatè ac placidè educta est. RENA. Adhibésne herbã, an flores? BRAS. Flores semper accipi iussi, tamẽ & herba idem efficeret, sed ineptius floribus. RENA. Quo modo adhibes? BRASSA. Quandoque in acetario flores ipsos edi iubeo, & bilem educũt. RENA. Ad quantam copiam? BRAS. Quantitatem exhiben-

dam

dam pondere nunquàm præfixi, ſed iuſsi ſempér vt violarum pugillus acciperetur. RENA. In menſuram ducito, quæ nomen habeat. BRASSA. Eſto violarum vncia. RENA. Iubéſne coqui? Minimè, ſed vt à violario decerpuntur adhibeo. RENA. In Vere igitur ſolo præberi poſſunt. BRASSA. Imò & in aliis menſibus, ſed ſunt exiccatæ, nota verò exiccatas haud probè educere. ipſarum autem loco ſuccum præbeo, quem pharmacopôlæ ſeruant. RENA. Ad quam copiam? BRASSA. Meſue præbet ab vncia vna ad quatuor. ego autem duas vncias prębere nō vereor, at exiccatarū violarum decoctum fieri iubeo, & ad ſex vncias inſumi. RENA. Meſue ex hoc decocto præbet ab vnciis quatuor vſque ad ſex. BRAS. Tamen hoc eſt planiſsimū recentes violas egregiùs educere, & recentium violarum decoctum idem efficere, ſyrupum violarum conficit Meſue, & ab vnciis duabus ad quatuor bilem educere ait. Tū verò quatuor præbeto, & vſque ad quinq; neque multum educere percipies, ſit & zucarum vocatum violarum, hoc ab vncia vna & ſemis, ad trés vſque vncias præberi poteſt. RENA. Meſuen ita dicentem legi, at an verum ſit nondum expertus ſum. BRASSAV. Ex his miram euacuation

tionem nō percipies, ſed valde mitem, quę in ſucco, & in decocto magis probatur. RENA. Audiui & bilem puram à pſyllio euacuari. BRAS. Euacuatur, & adeſt medicamentum de pſyllio, ad bilem æſtiuo tempore educendam, ac refrigerandam, at compoſitum eſt, nunc verò de ſimplicibus tantùm loquimur, quæ bilem ſolam educere poſſunt. RE. Scire optarem an pſyllium ſolum nonnunquàm præbueris, & in qua forma ad bilem educendam. BRAS. Mucilaginem præbui, ad drachmas tres, & ſuccum denarij pondere, vt Plinius prębet libro 25.cap.7. RE. Quò mucilaginem educi iuſsiſti? BRASS. Aqua Padana. RE. Nónne ventriculo obfuit infrigidando? BRAS. Nunquàm præbui, quin cinnamomum addiderim, & nonnihil zingiberis, & aliquid zucari, quādoque ipſius decoctū præbui ad duas vncias, bilémq; ineptè eduxit. RE. Memini Meſuen dicere ventrem educere ex oleo violaceo, vel ex ſyrupo violaceo. BRAS. At hoc nō eſt ſimplex pſylliū præbere, ſed & aliud addere, quod vim habet bilem educendi. REN. Vſus ipſius frequens eſſe non debet. BRAS. Nō quidem ob frigiditatem. REN. Iccirco à Meſue non ab re ſcriptum eſt, eum qui habet viſcerū imbecillitatem, pſyllium timere
debet

debere, ne, scilicet imbecilliora euadant. BRAS. Cùm nonnunquàm mucilaginem hanc præbuissem, & scholasticus quidam mecum esset, qui vidit bilem facillimè esse eductam, pugillum seminum psyllij esitanit, tormina induxit, ac fastidia, neque euacuatus est, imò vt referebat, in ventriculo caliditatem quandam persentire videbatur, appetētiam verò per multos dies deiectam habuit, vt vix quicquam gustare posset. REN A. Debebat esse ex caliditatis intrinsecæ contrapugnantia, quoniam dicunt esse calidam & siccam, in quarto ordine, & frigiditatis extrinsecæ ac humiditatis, quas dicunt esse in tertio ordine talium. BRASS. Arabes ita prorsus arbitrantur, sed alia est Græcorum sententia, nam Gal. in calce octaui de simplicium medicamentorum facultatibus libri, de toto agens psyllio, ait semen habere admodum vtile ex secundo refrigerantium ordine, in desiccando verò & humectando mediū, quodammodo esse, & symmetrū. non facit verò intrinsecas psylij partes calidas, extrinsecas verò frigidas, sed de tota substantia id dicit. REN. Mirum videtur, quòd à tam celebribus viris hoc scriptum sit, & per tot secula ab omnibus receptū, tamen ita esse non constet. BRAS. Mirum

non

non eſt, quia multa huius generis inueniuntur errata, quæ diu perſeuerarunt, cùm nondum Græci authores haberentur, vt nunc paſsim legi queunt. verùm vt de hac re pleniùs loquamur, & pſyllium in crumena gero, guſta an aliquid habeat acritudinis. RENA. Ad tactum frigidum eſt. BRASS. Caliditas, quæ ad virtutem ſpectat tactu haud iudicatur, nonnullis ablatis quæ maximè ſunt actiuitatis, nam & piper tactu frigidum eſt, guſtus verò calidiſsimum eſſe iudicat. BRASSA. Citò igitur guſtato ac maſticato, & an acrimoniam habeat, referto. RENA. Cauſa cur hæc tactu calida eſſe haud percipiantur, eſt, quia niſi in actum à naturali caliditate ducantur, ipſa per ſuam vim calefactoriam minimè agunt, ab oris verò caliditate & humiditate, potentialis caliditas in actum deducitur, & ſeipſam pandit. BRA. Ita prorſus eſt, at pſyllium in actum ducito parumper maſticando. REN. Iam maſtico, ſed & tu ipſe maſticato, vt vnà mecum de acritudine, aut alio ſapore iudicare poſsis. BR. Etſi aliàs guſtauerim, nec mente exciderit ſapor, tamen & nunc guſtare non prætermittam, præſertim quia ſunt ſemina nuper collecta, & minimè inueterata, nam cùm vetuſtate afficiũtur ſemina

mina, solent saporem, odorem, colorem, & cæteras qualitates amittere, quæ sunt illi propriæ. RENA. Iam masticaui, & nullam adhuc persensi acredinem, neque vestigium aliquod quo calidum dici possit. BRA. Quomodo igitur Mesue & Auicennæ credendum est, qui intrinsecam huius seminis partem adeò calidam faciunt, vt exulceret, ac adurat, & venenum sit, ob, scilicet caliditatem, quam in quarto ordine seruat? RENA. Ego nunquàm dicerem caliditatem hanc illi inesse, masticare conanabar, quando tu illud mihi tribuisti, & nisi tu prius, quæ imposuisses, non masticassem: nam verebar, ne os & linguam mihi commorderet, & exureret, at statim cùm masticare cœpi, in ore mihi collecta est mucillago, verùm cum grana compressi, molaribúsque contriui dentibus, neq; minimum præsens, caliditatis vestigium, de qua modò prius non modicè verebar. BRAS. Nisi ego aliâs gustassem ac masticassem, tibi gustandum non præbuissem, qui verò dicunt non exhiberi per os, nondum huius rei experimentum suscepere, nō enim dicēdū est antiquos nō exhibuisse per os, sed extrinsecus tantùm applicasse. Igitur per hos exhiberi non debet, quoniam & antiqui thermarum naturalium

aquas

aquas minimè exhibuêre, & illis abluendo tantùm vtebantur? tamen nos impræsentiarũ magno ægrotantium commodo prębemus, & multa alia sunt, quæ apud antiquos ratione aliquarum virium erãt incognita, nunc verò experientia duce detecta sunt, vt hoc sit despiciendum penitus argumentum, hæc antiquitus non bibebantur, nec edebantur, igitur & impræsentiarũ neque edenda neq; bibenda sunt. REN. Qui hac consecutione vteretur, nunquàm dialecticus vocari posset, in potu igitur præbẽdum psyllium quamuis ab antiquis minimè præberetur. BRA. Tamen nunquàm exhibeo, quin simul misceam cinnamomum, aut zingiber, aut simul vtrunque, quamuis neque vehemens sit frigiditas illa quæ secundum ordinem attingit. RENA. Qua vi psyllium educit? BRAS. Fortè humiditate, quam habet emollit, & calidi tate aliqua attrahit, qua penitus priuatum non est, imò post longam masticationem vestigium aliquod caliditatis sentitur. RE. Tam modicum videtur, vt nesciuerim, an calidum nuncupari potuerit, vel educit à similitudine quadam substantiali, quam habet cum bile. BRA. Si ita dicamus, Gale. imitari videbimur. REN. Vterisne alio simplici ad bilem educendam medicamẽ-

to? BRAS. Vſus ſum,& nonnunquàm iuiubis,quia bilem educere audiueram, ſed non ſucceſsit,imò ſi edantur agglutinare videntur,ſuccum ipſorum inſumi iuſsi ad duas vncias,ventrem emolliere,tamen bilem minimè eduxerunt. RENA, Iuiubæ igitur non numerabuntur inter illa, quæ bilem educunt? BRAS. Nō, vt mihi videtur,ſed & dulcem radicem bilem educere ſcriptum eſt. RENA. Qui author hoc dicit,& quomodo hoc facit? BRAS. Nullum habet antiquum authorem,qui hoc fateatur,à Gal.ſolùm lenire dicitur,ſed id intelligit in partibus thoracis, at ego expertus ſum illam educere bilem & bilioſa, præbui ſemiunciam ſucci ipſius, & bilem tenuiter eduxit, quod vnà facit & ipſius decoctum ad ſex vncias inſumptum, quanquam à Gal. leniter adſtringere dicatur, iudicat Gal. eſſe temperatam glycyrryzam:& humanæ naturæ eſſe adſimilem.arbitror hoc efficere ob humiditatem,qua inſignita eſt,aliâs præbui,& viſa eſt ventrem potius lenire quàm bilem, vel alium humorem educendum ſeligere. Expertus ſum & lychnidis ſylueſtris ſemen, quod bilem per aluum Dioſcoride teſte detrahit. RENA. Quomodo præbetur? BRAS. In puluerem redactum, & è iure potum,
vel

vel in catapotia conformatum. RENA. Ad quam copiam præbuisti? BRAS. Dioscorides præbet ad duos denarios, ego ad drachmam præbui,& vsque ad duas, tamē & à Plinio dicitur libro 21.cap.26.ad trahendam bilem esse efficacissimum duabus drachmis datum,& ascyri semine ad biliosa educenda recrementa vsus sum. est verò ascyron herba illa,quæ vulgò perforata vocatur. RENA. Ad quam copiam præbes? BRAS. Dioscorides præbet duas drachmas in aquæ mulsæ heminis duabus,in puluerem redigitur ipsum semen, & ita in aqua mulsa bibitur, idē efficit, & androsæmi semen, scilicet bilem educit in potu sumptum, vt Dioscorides ait, ex eo præbentur drachmæ duæ in aqua mulsa, vel in iure, vel in aliqua aqua, vt bibi facilè possit. Expertus sum & corticem radicis thapsiæ, & succum radicis ad bilem purgandam,notatur à Dioscoride: vtrique, hoc est, per superius & per inferius bilem educere,è radicis cortice quatuor obolos præbet Dioscorides ex aqua mulsa,cū anethi semine tribus drachmis,succi verò præbet tres obolos. RE. Expertúsne es? BR. Experiri tētaui,sed ille cui præbebā,bilē euomuit,alter verò bilē per aluū deiecit. Plinius fatetur lib.20.cap.4. & Napū bunias

bilem detrahere. RENA. In quanta copia id facit? BRAS. Non est ab authore expressum, tamen non est exhibenda magna copia, quoniam vt Gal. docet, calefacit, & desiccat ordine quarto, quanquam de bunias non crediderim Gal. locutũ, nã edendo est, bunias napis, vt à Dioscor. dicatur radicẽ ipsius elixã inflationes committere cibo, & esse minus alibilem, quam rapiciũ. RE. Non es ergo expertus? BR. Minimè, at crispam brassicam expertus sum, quã cap. 9. xx. libri bilem detrahere per nigrum vinum pota dicit. Plinius hoc efficit semine ac folio, sed & foliũ ebulliri iussit, in aqua ex oleo & sale, & idem præstitit, at brassicam crudam nunquàm expertus sum; de qua eodem loco dicit biles detrahere putãt, at quod sequitur verius est, aluum soluere, eandémque bis coctam sistere. REN. Hoc planum est, ac indubitatũ, quòd eius decoctum prima coctura ventrem subducit, sed num certum seligat humorem, ignoro. BRAS. Nullum determinatè subducit, sed quicquid in viis inuenerit, imò & nasturtium aluum purgat, & bilem detrahit potum in aqua x. pondere, vt Plinius testatur cap. 13. eiusdem libri. RENA. Quomodo id facit? BRASSA. De eo superius locuti sumus. De radice hypophyes

idem

idem author libro 22. cap. 12. dicit, quod bilem detrahit oboli pondere saluberrimè, cum mulso. RENA. Quomodo sumitur? BRAS. Exiccatur, in puluerem redigitur, ac ex mulso bibitur, & de sesamoidis folio dicit, quod bilē detrahit in aquā potum. RENA. In quo loco id dicit? BRA. Vigesimoquinto capite libri vigesimisecundi, imò & deelæomeli ait aluum emollire bilémque præcipue detrahere duobus cyathis in hemina aquæ datis, hoc autem est libro 23. cap. 4. & octauo eiusdem libri, capite de nucleis pineis, monet, quod bilem pellunt poti ex aqua, aut vino, aut passo, aut balanorum decocto. RENA. Es'ne expertus? BRAS. Imò sum expertus ad quantitatem duarum vnciarum, iussi nucleos contundi, quoad liquescerent, & succo aliquo misceri possent, postea in passo præbui, at bilem non vidi, sed expertus sum ventrem potius emolliri, quam bilē educi. RE. Id efficere dicunt humiditate illa qua præditi sunt. BRAS. Nunc recētiorum quorundam error detegēdus est, qui dicnnt mala verna bilem educere. per mala autem verna illa intelligunt, quæ in Vere maturantur, De quibus Dioscorides dicit. χολόποια, id est, bilem augēt, vel faciūt. RENA. Id fieri potest ex dulcedine, nam

succus ille dulcis facilè in bilem conuertitur. BRAS. Mirifica res est, dulcia amara euadere. RE. Non ita conuerti constat. BRASS. De alui subductione ab authoribus scriptum est dulcia aluum subducere, vnde & à Plinio lib. 23. cap. 6. dicitur melimela & reliqua dulcia stomachum & ventrem soluere. RENA. Quæ sunt illa mala, quæ Vere maturantur? BRASS. Ferrariæ sunt vocata glaciola, quæ pontica sunt, & austera. RENA. Ob hanc causam adstrictoriam vim habere dicunt. BRAS. Adstringunt prorsus, tamen vidi puerulos qui ex horum malorum copioso esu, lienteriam incidere. RENA. Et ego vidi diarrhœam ex pomis, vel lienteriam voces, nam hîc integra poma masticata tantùm excernebant. BRASS. At audias quid mihi ipsi contigerit. Cùm essem puer, & in humanioribus literis præstantem virum Franciscum Bouium præceptorem nactus essem, ipse suum erexit gymnasium in cubiculo quodam malis pleno, solùm ego & celeberrimus frater meus Hieronymus, hoc literarium ludum frequentabamus, cùm legere deberem, & lectionibus incumbere: nihil aliud faciebam, quàm edere poma: vt denique profluuium inciderem, quo nihil aliud excernebam, quam

masticata poma, non concocta neque immutata, hæcque erant serotina poma, in horario tempore collecta, neque animaduertebam, an dulcia essent an acerba, sed vniuscuiusque generis edebam, vt in manum veniebant. RENA. Mala igitur bilem non educunt? BRASS. Imò illam faciunt atque augent, sed mala dulcia aluum tantum emolliunt, & id deiicitur, quod in viis repertum est. Vnguentum susinum à Dioscoride bilem educere proditum est. RENA. Es'ne hoc expertus? BRASS. Non sum expertus, sed experiri facile est. præsertim si vnguentum haberetur, vt à Dioscoride fieri oportere admonemur. RE. Quid impediet nos illud præparare? BR A. Nihil quod sciam, sed & præparabimus & experiemur. RE. De pignocomo quoque à Dioscoride dictum est, quod bilem extenuat, atque aluum. BR. Non sum expertus. REN. Experimentum facilè sumi poterit, neq; longè opus erit pro pignocomo inueniendo proficisci. BR. Etsi leótopodium à Plin. lib. 26. cap. 8. adstringere dicatur, tamen bilẽ purgare in aqua mulsa addita pondere denariorũ duum proditum est. RE. Expertúsne es? BR. Imò herbam ipsam haud probè cognosco, & quãuis Plinius de tithymalo he

lioſcopio dicat, quòd bilem per inferna in oxymelite dimidio acetabulo trahit: tamen & pituitam attrahere ambigendum non eſt, proptereà de illo in præſentiarum loqui non oportet, & idem faciendum eſt iudicium de tithymalo dendryde, de quo ita dicit lib. 26. cap. 8. effoditur vere, tuſaque in fictili mergitur, detectóque quòd ſupernatat, reliquus ſuccus purgat vtraq; parte ſexquiobolo in aqua mulſa, inſpergitur & aridæ radicis potioni, aiúntque ſuperiorem partem eius vi motione biles extrahere; inferiorem per aluum. RE. Hæc haud facilè credo, legi & nitrum bilem educere. BRAS. Nonnulli id fatentur, tamẽ inteſtina irritat, & quicquid inuenerit educit: quia natura ipſa à nitro infeſtata, & nitrum ipſum & reliqua quę adſunt expellere conatur, vnde & his additur medicamentis, quę tardè & ineptè educunt. Cùm verò à Dioſcoride ſcriptum ſit, tragoriganum bilioſa expellere, nonnulli ſolam flauam bilem educi intelligebant. Verùm cùm tragoriganum & atram bilem educat, ſub nomine bilioſa tam nigra quàm flaua intelligere oportet. RE. A Galeno ita ſcriptum eſt. Porrò ea quam tragoriganum appellitant, aſſumpſit etiam adſtrictionis quippiam, quomodo ergo educi

cit? BRASSA. Et multa educunt, quæ tamen vi aliqua adstringente prædita sunt, imò Gale. origani & tragorigani decocto ad incidendum, aperiendum, concoquendum vtitur, quando materia crassa breui est præparanda. RE. Vidistíne tu biles educere? BRASSA. Et his oculis, iussi tragorigani vnciam in aqua ebulliri, & sumi huius decocti vncias sex ex zucaro, & educit, succus ipsius idem facit duabus drachmis vsque ad quatuor, tamen non valenter hæc fiunt. RENA. Iccirco à Dioscoride, qui decoctum præbet, dicitur ventri facile esse. at adsúntne alia simplicia, quæ puram bilem educant? BRASS. Arbitror adesse infinita, sed nobis ignota. Verùm de his, quæ apud probos authores inueniuntur, me nullum prætermisisse arbitror. Tamen & si aliquod nostram hanc percunctationem effugerit, hoc illi gratis cõdonet, cùm ex præcipuis esse nõ possit. RE. Non ab re igitur erit tua composita medicamenta bilem educentia referre. BRASS. Deinceps referam, cùm imprimis annotauero, in pharmacopoliis pro educenda bile diaprunem solutiuum passim seruari, electuarium de succo rosarum, electuarium de psyllio, electuarium de sebesten, & Galeni de hiera pilulas, &

vna Alephanginas. REN. Nulla est de his mentio facienda, quoniam, vt dictum est, puram bilem nõ educunt, cùm & alios humores simul educere possint. Verùm à te in præsentiarum cõpositiones illas peto, quibus vsus es in hoc casu? BR. Tibi omnino satisfaciam, at scire oportet nos nostra composita semper sub eadem forma non præbere, nam quandoq; in pilularum formam quandoque in eclegmatis formam, quandoq; in potionis præbemus, vt sumēti placet, & magis cõmodum illi videtur. RENA. Modos omnes te relaturum expecto, vt nihil huic nostræ desit percunctationi. BRASS. Ita prorsus efficiam, id verò scire oportet me in triplici ordine eiuscemodi medicamenta seruare. Nam seruo medicamentum lene, bilem puram educens, & medicamentum, mediocre, ac tertiò medicamentum vehemens. REN. A' leuiori incipito. BRAS. Hoc est lene picrocholon, quo & vtor, & vsus sum, & quod nemini vnquam iniuriam fecit.

℞. Prunorum ibericorũ in furno mediocriter exiccatorum ℔ v.

Probè pistentur in mortario, seminibus ablatis, & per densum linteum percolentur, posteà

℞. huius succi ℔ ß.

Rhab

Rhabarbari electi ℥ j.
Myrobalanorum citrinorum ℥ j.
Cinnamomi
Zingiberis
Anisorum
Singulorum ʒ j.

Syrupi de acetositate citri quantum sufficit, vt hæc omnia probè misceantur. quantitas sumenda est à drachmis tribus vsq; ad sex. RENA. Est leue prorsus medicamentum, at in ibericorum prunorum defectu, quæ'nam sumenda essent? BRASS. Nunc horum prunorum magna adest Ferrariæ copia, tamen in ipsorum defectu myrobalana vocata pruna probè maturata, & mediocriter exiccata accipienda sunt, aut alia dulcia, quæ nihil habeant acerbitatis vel ponticitatis, neque adstringentis cuiuspiam qualitatis. Aliam verò audito qua vtor, compositionem. REN. Iam audio. BRASS. Hæc est.

℞. Expressi sebesten ℥ iiij.
Mannę electæ ℥ ij.
Myrobalanorum citrinorum ℥ j.ß.
Zingiberis
Gariophyllorum
Cinnamomi
Amidis
Seselidis

Sing

Singulorum ℈ j.

Miſceantur,& cũ ſyrupo violaceo quantum ſufficit fiat electuarium. quãtitas ſumẽda eſt à drachmis duodecim vſque ad ſexdecim,& facilè etiam educit. R E. Haud dubito. B R A S S. Vtor quandoque & hoc quod ſequitur pro leui cholagogo, & pro his qui medicamenta in potu ſumere nequeunt,ſed facilè catapotia deglutiunt.

℞. Rhabarbari electi
Myrobalanorum luteorum
Singulorum ʒ iiij.
Aloës lotæ ʒ vj.
Cinnamomi
Camphoræ
Roſ.rub
Sandalorum rubrorum,luteorum
Singulorum ℈ j.

Miſceantur:& cum ſyrupo roſato ſolutiuo fiat globus, quantitas ſumenda eſt à ℈ iij.vſq; ad vj. R E. Poſſent & octo ſcrupuli præberi,& ad tres drachmas perueniri,neq; effræne eſſet medicamentum, imo & hæcmet in puluerem redigi poſſent, qui abſque ſyrupo roſaceo ſolutiuo,ex iure aliquo bibi poſſet. B R A S. Probile euacuanda,nonnunquàm ita indico,

℞. Rhabarbari electi
Myrobalanorum citrinorum

Singulorum ʒ j.
Infundantur per decem horas, in aqua endiuiæ, poſteà exprimantur, & in hac expreſsione diſſolue.
Mannæ electæ ʒ ij.
Quandoque appono
Floris caſsiæ ℥ j.
RENA. At rhabarbarum pituitam etiam educere videtur. BRAS. Bilem educit primò. ſi verò contingat bilem eſſe pituitæ miſtam, vtroſque humores ſimul educit, quia bilem educēdo, humorem vnà ſimul miſtum educit. Hinc receptum eſt, quòd rhabarbarum bilem craſſam educat, cùm ipſius proprium ſit, bilem ſimpliciter euacuare. Nonnunquàm prædictæ infuſioni ſyrupum roſaceum ſolutiuum commiſceo, ad vncias duas, vel tres. hæc ſunt leuia cholagoga, quibus plerunque vtor, cùm puram bilem educere animo eſt. RENA. Vidi etiam te nonnunquàm ſenam addere. BRASSA. Imò plerunque rhabarbarum, & myrobalanos citrinos in ſenæ infuſionem iniici iubeo, atque infundi, & nonnunquàm fructuū decoctionem ſumi præcipio. RENA. Cùm de leuioribus cholagogis plenè dictum ſit, mediocria nunc attingamus. BRASS. Quod nuper relatum eſt inter mediocria numerari

poteſt

poteſt,eóque vtor, cùm mediocriter educendum eſt. RE. Arbitrabar te intelligere mediocre,quo ad vehementiam,& nõ quo ad eductionem.BR. Vtrunque intelligere oportet,quia vnum ad aliud ſequitur.RENA. Quomodo id fieri poteſt?BRAS.Hoc modo,quia mediocre medicamentum eſt mediocriter vehemens, cùm verò ſit mediocriter vehemens,mediocriter etiã educere neceſſe eſt. Niſi quiſpiã in tanta præberet copia, quòd vehementer educeret. RENA.Tunc inter illa numerãdum eſſet medicamẽta,quæ à recentibus debilia fortia nuncupantur. BRAS. Ita prorſus vocari poteſt, quia imbecilla medicamenta in magna exhibita copia,vehementer educere poſſunt.RENA.Iam mediocre cholagogum, quo vteris referto. BRASS. Plerunque medicamenta ſuperiùs enarrata accipio, & illis duo, vel tria vel quatuor Scammonij præparati grana adiicio. Verùm & hoc quod ſequitur, parandum iubeo atque ſeruandum.

℞. Expreſsi ſebeſten
Expreſsi prunorum ibericorum
Singulorum ℥ iij.
Mannæ electæ ℥ ij.
Cinnamomi
Zingiberis

Gariophyllorum
Mastiches
Gummi arabici
Maceris
Singulorum ℈ j.
Rhabarbari electi
Myrobalanorum luteorum
Singulorum ℥ j.
Scammonij præparati ʒ ij.ß.

Misceantur:& cum syrupo rosaceo solutiuo fiat electuarium. RE. In quanta præbetur copia? BRA. A tribus drachmis, vsque ad sex. REN. Arbitror probè educturum. BRAS. Mediocriter educit. Si verò quispiam sit, qui aliud à catapotiis transglutire non possit, pro eo hoc catapotiorum genus seruandum erit.

℞. Rhabarbari electi
Myrobalanorum luteorum
Singulorum ʒ iij.
Aloës lotæ ʒ ij.
Scammonij præparati G̃ xxiiij.

Misceantur:& cũ electuario de succo rosarum fiat globus, ex quo præberi potest ab vna drachma vsq; ad vnam cum dimidia. REN. Possent & prædicta simplicia in puluerẽ redigi,& in iure, aut re quapiã liquida ebibi? BR. Nihil impedit, nũc verò vehemẽs, quo vtor cholagogum audito, quod à

remo-

remotis etiam educit partibus.

℞. Pulpæ prunorum ibericorum ℥ ij.
Sebesten ℥ j.
Aloës lotæ ℥ v.
Rhabarbari electi
Myrobalanorum luteorum
Singulorum ʒ vj.
Cubebarum
Psyllij
Sandalorum rubrorum
Cithrach
Seminum petroselini
Amidis
Millefolij
Scillæ
Aceti
Singulorum ℈ v.
Scammonij præparati ʒ iiij.

Misceantur:& cum syrupo rosaceo solutiuo fiat in modum electuarij, cuius sumēdi quantitas est à drachmis quatuor vsque ad sex. RE. Est quidem vehemēs, sed vehementissimum haud videtur, at si quispiam potius diligeret catapotiorum sumptionem, quibus vtereris ad bilem puram euacuandam? ERAS. His quæ sequuntur.

℞. Rhabarbari electi
Myrobalanorum luteorum
Aloës lotæ

Sing

Singulorum ℨ ij.
Scammonij præparati ℨ j.
Cubebarum
Psyllij
Sandalorum rubrorum
Cithrach
Seminum petroselini
Amidis
Millefolij
Scillæ
Acori
Singulorum ℥ vj.

Misceantur:& cũ syrupo rosaceo solutiuo fiat globus. REN. Non videntur mediocres eiuscemodi pilulæ. BRAS. Hoc perpendendũ est ratione quãtitatis sumendæ. RENA. Quæ est maxima,& quæ minima ipsorum quantitas? BRAS. Minima est scrupulorum duũ, maxima drachma vna & semis. REN. Arbitror quòd bilem probẽ educant. BRAS. Id faciunt à partibus etiam remotis, verùm & omnes educunt humores,quos in viis inuenerint,ipsarum verò proprium est solam bilem educere,& tenuem,& crassam. RENA. Iam de cholagogis tam simplicibus,quàm cõpositis expeditum esse arbitror, nunc tamen scire optarem,quomodo hæc tua cholagoga indicare soleas. BRAS. Nondũ his cholago-

gis finis impositus est, at pro eo quod petis, cùm leue indicturus sum cholagogum, ita indico. ℞. Cholagogi leuioris, & pro secundo ℞. cholagogi mediocris, & pro tertio ℞. cholagogi vehementioris, verũtamen & nonnunquàm vsus sum vehemẽtiori cholagogo, quàm sit præscriptum. REN. Ni pigeat, illud referto. BRAS. Est hoc quod sequitur.

℞. Tamarindorum ℥ iiij.
Sebesten
Prunorum ibericorum
Singulorum ℥ ij.

Intelligito hanc quantitatem esse horũ contusorum, & per cribrum setaceum, vel linteum expressorum.

Aloës
Myrobalanorum citrinorum
Rhabarbari electi
Singulorum ℥ j.
Mannæ electæ ℥ iij.
Succi violarum ℥ v.
Mucilaginis psyllij ℥ ß.
Thlaspi ʒ vj.
Thapsiæ ʒ vij.
Scammonij præparati ℥ ij. ß.
Galangæ Hyssopi
Radicum Iridis
Radicum capparum

Absyn

Abſynthij
Amidis
Cithrach
Maioranæ Saluiæ
Nucum myriſticarum
Stœcadis
Singulorum ℥ vj.

Miſceantur:& cum ſyrupo roſaceo ſolutiuo,fiat electuarium, cuius quantitas ſumenda eſt à ſcrupulis duobus vſq; ad quatuor. RENA. Non eſt mediocriter vehemens. BRAS. Eo vſus ſum ad purã bilem educendam,in morbi Gallici initio. REN. Alia nunc proſequaris quæ idem efficere apta ſunt. BRAS. Multa contingere poſſent ad hunc intentum finẽ exequendũ,ſed illa tantùm in medium adducere placuit, quæ hoc efficere apta ſunt, & quibus ego nonnunquàm vſus ſum. RENA. Ad alia igitur ſermonem conuertamus. BRAS. Ita agendum eſt.

De medicamentis tam ſimplicibus,quàm cõpoſitis puram pituitam educentibus.

CAPVT II.

RENATVS.

DE HIS ſecundo loco agere conuenit medicamentis quæ puram pituitam edu

educere apta sunt,& nullum alium præter ipsam humorem. BRAS. De his agamus, posteaquàm tibi placet,commodius tamẽ visum fuisset post flauæ bilis medicamenta,atrę bilis eductoria prosequi,vt de vtraque bile successiuè, verba facta essent. Tamen modò de illa agamus,siue tertio siue secundo sit loco,haud magni refert. REN. Tu ordinẽ illum prosequaris,qui tibi magis arrideat, nam vel de hoc, vel de illo prius agatur, haud magnifacio, modò(vt dixisti) de omnibus exquisitè peragatur. BRASSA. Cùm de pituitam educentibus sermonem proposueris,tibi obsecundandum esse decreuimus. RENA. At ego à tuo consilio non discedam. BRAS. Notato,pituitam puram educendam,aut esse in ventriculo,& in intestinis,aut in partibus semotioribus. Illa quæ in ventriculo & in intestinis continetur, ab illis etiam simplicibus facilè educitur medicamentis, quorum officium est bilem educere: nam rhabarbarũ cùm omnia educat, quæ in viis sunt,pituitam etiam quæ in ventriculo est educere potest, idem facit aloë,& alia omnia idem faciunt, quæ à viis ipsis educunt, & ἐκκοπρωτικὰ, id est, stercoris eductiua, & illa omnia de quibus agemus in sexto huius tantùm sermonis & cõsideratio

rationis capite. Nūc verò simplicia omnia contemplanda sunt, quæ pituitam propriè à quacunque sit parte educunt, de compositis posteà agēdum veniet. de vtrisque vero, quomodo illis vsi sumus disserendum erit. REN. Si hoc ordine incesseris, nō modicam vtilitatem recepturus sum. BRAS. In delicatioribus & illis, qui toto nixu medicamenta refugiunt, ad pituitam educendam nonnunquàm chebulis myrobalanis vsus sum, hi absque vlla molestia, absque vllo angore pituitam eduxerunt. REN. In qua forma, & quomodo, & in qua copia præbuisti? BRASSA. Eodem non sum vsus in omnibus modo, sed aliquibus duas chebulorum præbui drachmas in catapotia redactorum, quia quæ potu sumūtur, & quæ masticantur, abhorrebāt. REN. Eduxerúntne vehementer in tanta copia? BRASSA. Mediocriter eduxêre, neque hæc est magna in his benedictis medicamentis copia. RENA. Educúntne citò an tardè? BRASSA. Tardè. nam post quinque, aut sex horas, subducere incipiunt, & oculata fide pituita visitur, quæ ab his educitur, & simul prætereà edunt stercora, & alia quæ in intestinis continentur. RENA. Non mirum, quia omne medicamentum idem efficit. BAASSA. Non-

nunquàm in infusione præbui in aqua saluiæ,vel amaraci,vel rutæ;& quandoque in iure,ad drachmæ quatuor sumi debent in infusione, vt in iuris patera sex vel octo vnciarum infundantur, & summo mane præbeantur. REN A. In tanta copia infusio fieri debet? BRASSA. In tanta copia, & etiam mediocriter educet, nam leuissimum est medicamentum,nonnullis præbui drachmas duas chebulorum in puluerem redactorum in iure, aliis in vino cretico,aliis in aqua aliqua vi ignis eliquata, vt aqua saluiæ aut amaraci,nonnunquàm flori casię misceri iussi. REN A. In eadem copia? BRAS. In eadem, & non multum eduxit. REN. Nónne casſia bilem educit? BRAS. Educit etiam & pituitam,nõnunquàm zucaro rosaceo miscui,vt his placebat,quibus exhibui. REN. Nónne & emblici myrobalani & beliriсi pituitam educere apti sunt? BRAS. Et est illorum proprium,sed raro his vtor,cùm chebulos habuerim,in chebulorũ autem defectu(quod raro contingit)his chebulorum loco vtor. REN. Quo alio vsus es simplici medicamento ad pituitam educendam? BRAS. Agarico. REN. Nónne & bilẽ simul educit? BRAS. Equidẽ,sed bilem secundariò, primò verò pituitam. REN. In quãta prę-

Di fga^{co}

bes copia? BRAS. Ad drachmam vnam cũ dimidia adhibeo,& magnopere non educit,id verò quod primò educit,pituita est, si vis adhuc medicamenti superſit,cùm pituita euacuata eſt,bilis subducitur, si autẽ agarici vis subducta,pituita exinaniretur, solam pituitam eduxisset, & non bilem. REN. Corrigisne agaricum? BRAS. Neque à Dioscoride, neque à Gal.scriptũ est, quòd corrigi debeat, in miscellam ipsius ex aliquo quod ventriculi os roboret,non reprehendo, purgatorium esse,& Dioscorides & Gal.testantur. At quem purgent humorem non exprimunt,à Mesue & ab Arabibus exprimitur, qui de pituita sola mentionem non faciunt,sed & bilem educere asserunt,tamen experientia ostendit bilem secundariò educere. Nonnunquàm agarico salgemma miscui, tamen multò aptiora ad os ventriculi roborandũ adhibui,fortè hoc quod à Dioscoride dicitur.f. habita ratione ętatũ,& viriũ,huic in aqua, huic in vino,illi in aceto mulso, alteri in melle misto,est agaricum præparare,præbui calidioribus,naturâ,ex aqua endiuiæ, frigidioribus, ex vino, vel ex oxymelite admistis amidis,& anisorum pulueribus, puerulis in minori copia præbui, vt ad scrupulos duos, vel vsque ad integram

drachmam, quando cum aliquo liquore præbeo, in puluerem semper redigi iubeo, infantulis ac puerilis ita præbendum iubeo:

℞. Agarici ʒ. ß.
Anisorum
Amidis
Singulorum ℈ ß.
Salis gemmæ G vj.
Oxymelitis simplicis ℥. ij.

Mis.& propinetur,& ex aqua endiuiæ prębendum est, aut ex aqua graminis, Paulò maioribus, vt sequitur præbeo:

℞. Agarici ℈ ij.
Anisorum
Amidis
Singulorum ℈ ß.
Salis gemmæ G viij.
Oxymelitis simplicis ℥ ij.ß.

Mis.& propinetur, vel si febriant, ex aqua endiuiæ sumatur, aut ex alia simili frigidiore, Paulò autem maioribus, vt sequitur præbere conuenit.

℞. Agarici ʒ j.
Anisorum
Amidis
Singulorum ℈ ß.
Salis nitri G vj.
Oxymelitis simplicis ℥ iij.

Misc.

Misc.& propinetur, & si febriant, biliosique sint naturâ, & in æstate, ex aqua endiuiæ præbeo, & aliqua frigida commisceo, vt lactucæ, ac portulacæ semina. His verò qui in robustissima sunt ætate, in hac copia præbendum est.

℞. Agarici ʒ j. ß.
Anisorum.
Amidis
Singulorum ℈ ij.
Nitri ℈ j.
Oxymelitis simplicis ʒ iiij.

Misc. & præbeatur, si verò febre correpti sint, ex aqua endiuiæ infumatur, senioribus verò detrahendum, ac si in iuniorum numero sint. detrahendum autem, vt conuenit. RENA. Mesue præbet vsque ad duas drachmas. BRASSA. Illi concedatur, ego nunquàm excessi drachmam vnam cùm dimidia, sed ad duas posse perueniri nõ dubitamus. Semper autem cùm præbui, probè euacuauit, & rarò cum torminibus, quanquã ab authoribus scriptum sit viscera lædere. Galen. drachmam vnam per os præbet, Dioscorides tres obolos. RENA. Quæ mensura est obolus? BRAS. Aliâs de hac re differemus, tamẽ impræsentiarũ scito, obolum tres cõtinere siliquas, hoc est, tria à nobis vocata grana. RENA.

Est ergo modica quantitas illa, quam præbet Dioscorides, nam sunt tantùm nouem grana. BRAS. Vix educent, at non videtur educendi gratiâ præbere, quoniã duos præbet obolos ex vino mulso non febrientibus, cum aqua & melle febrientibus ad tormina, cruditates, & contusis exhibet, ex sublimi deuolutis, prębet verò tres obolos in vino ad serpentium plagas, & morsus, & dat decoloribus drachmæ mensurã, ad aluum verò purgandam vnum præbet denarium vel duos ex aqua mulsa. RENA. Quæ mensura est denarius? BRAS. Obsecro ne de mensuris me impræsentiarum molestes, tamen denarium est mensura talis, quæ excedit Mesue quantitatem, nam Mesue prębet à drachma vna vsq; ad duas, at Dioscorides denarium præbet: vel duos denarios: continet verò denarius drachmã vnam cũ dimidia, vnde ad tres drachmas præbet Dioscorides ad aluum soluendam. Nonnullis præbui in forma pilularum in tanta copia, quanta prædicta est superiùs. Iussique pilulas ex Diaphinicone conformari, vel ex expumato melle, nõnunquàm verò in eclegmatis formam præbui, eandem quantitatem (vt dictum est) semper prębendo & modo Aromatico rosato commiscendo, modò zucharo rosaceo, vt ætati

pilulæ ex Diaphæni... confor...

magis conuenire videbatur, & tempori ac temperiei, hócque ſemper obſeruaui, & tu obſeruare debes cum à capite educendum eſt, ſi hic eſſet calidæ temperiei, & tempus eſſet æſtiuum, lignum aloës addendum eſſet, camphora & ſandali rubri, ac lutei, ſi verò eſſet hyems, & hic eſſet tẽperiei frigidæ, vel temperatæ, nux myriſtica addenda eſſet, ſtœcas, hyſſopus, ſpica nardi, & lignum aloës. RENA. Nónne ſunt multa alia, quæ ad caput ducunt medicamenta? BRASSA. Multa profectò, ſed prædictis ſolis vſus ſum. Cùm verò pituita à pectore educenda eſt, & hic ſit calidæ temperiei, & tempus æſtiuum, capillum Veneris addo, violas, hordeum, amygdalas dulces, paſſulas. at ſi frigidi ſint temperie, & hyems vigeat, commiſcenda ſunt, iris, naſturtium, myrrha, ariſtolochia, praſsium, hyſſopus, cardamomum, ſcilla. RENA. Multa prætereà ſunt alia, quæ ad hoc conueniunt. BRASSA. Non eo inficias, ſed præſcriptis ſolùm vſus ſum, & quando ab hepate educere excogito, in hyeme, & frigida temperie ſpicam addo, eupatorium, abſynthium, amygdalas amaras, ſchænos, cinnamomum, at intemperie calida, & in æſtate ſpodium adddo, fumariam herbam, endiuiam,

diuiam, lactucam, & sandala. Cùm verò à iuncturis euacuandum est, tragacantũ addere oportet, succum caulium, & similia, in æstate: in hyeme verò scillam, polium, cardamomum, assarum, acorum, oppopanacem, scordeum, amomum, chamædrin, & chamæpithin, at si à liene educẽdum sit, in æstate addo tamaricem, salicis cortices, agnum castum, daucum, in hyeme verò, & frigida temperie capparin misceo, scillam, scordeum, scolopendrium, assarum, spicam, salgema, calamentũ, marrubium, eupatorium, absynthium & anisum. RENA. Plura etiam alia sunt, quæ ad hunc conferunt vsum, & ad hanc rem faciunt. BRASSA. Non me latet, sed imprӕsentiarum illa tantum refero, quibus ad hoc propositum vsus sum, si verò à renibus euacuandum sit, & à vesica in quacunque temperie, quinque radices aperientes commiscere oportet, videlicet petroselini, fœniculi, apij, asparagi, rusci, & saxifragiam, atq; milium solis, tamen in æstate, & in calida tẽperie peponum semina, ac cucurbitarum miscenda. REN. Audiui te nõnunquàm in hoc casu addidisse cantharides, BRAS. Addidi, sed in modicissima copia, ne partes illas exulcerare possent. Nihil verò est, quod vehemẽtius ad renes & vesi-

cam.

eam decumbat, cantharidibus, & quod ad has partes vehemẽtius ducat medicamenta: sed cauendum est, ne in copia præbeantur, quia intestina erodunt, & sanguinem attingere faciunt. Audito quod contigerit mulieri cuipiam, quæ filios gignẽdi facultatem quærebat. cùm menses illi deessent, quispiam, malè feriatus vir, illam edocuit, vt tres cantharides ederet, tres edidit, post tres sanguinẽ mingere cœpit, & maximus in dextera coxa erupit abscessus, & octo dierum spatio obiit, iccirco horum vsus cauendus est. RENA. Illis igitur cãtharides dimittamus, qui homines interficere volunt, non sanare. BAAS. Tamen & in multis aliis commodis in re medica vsui esse possunt, sed extrinsecus potiùs, quàm intrinsecus applicandæ. Si mulieribus nonnunquàm agaricum exhibiturus sum ob pituitam ab vtero educendam, in æstate capillos Veneris cõmisceo, pimpinellam, rubeam, tinctorum, in hyeme verò, & in frigida temperie, pulegium, calamentum, sabinam, rutam, matricariam, iuniperum, myrrham, & huius generis alia. Hæc verò quæ in pituita educenda scripta sunt, intelligenda sunt, & in bile educenda, atra bile, ac aliis humoribus, obseruari oportere. RENA. Nemo est, qui hoc non intell

Historia

telligat. nam simplicia prædicta, cholagogum medicamentum æque deducũt ad illa membra, vt ducere possunt phlegmagogũ, & æque illud educent, quod atram bilem euacuare aptum est. Nota etiam me vti agarico ad pituitam educendam, quando in capite est, vel in thorace, vel in iecore, vel in liene, vel in ipso ventriculo, at multa semper addo, quæ ventriculi os roborare possunt, ne ab agarici qualitatibus, ipsius vis deiiciatur. REN. De agarico iam satis dictum esse videtur, vnde ad alia quibus vsus es, & pituitam solam educunt, pedem conferre conuenit. BRASSAVOL. Galen. mentionem non facit, quòd pituitam educat, sed purgatorium esse fatetur, verùm & ad pituitam educendam hyssopo nonnunquàm vsus sum. RENA. Non arbitrabar hyssopum ventrem subducere. BRASSA. Subducit prorsus, sed non valenter, nam imbecillum est eductorium. RENA. Quomodo præbuisti hyssopum? BRASSAV. Duobus præbui modis. Primò, eius decoctum exhibui ex aceto mulso, secundò, ficubus commiscui recentibus, & exhibui. RENA. Quid intelligis per acetum mulsum? BRASSA. Acetum, in quo mel decoctum sit, & probè expumatum, tamen in hoc casu, Dioscor

hyssopus aluũ subducit.

ſcoridis acetum mulſum fieri iubebam. RENA. Nõnne eſt oxymeli, quod nunc vocas acetum mulſum? BRAS. Eſt prorſus, & de eo amplíſsimè locutus ſum, in Commentariis ſupra Hippocrat. de ratione victus in morbis acutis. RENA. Cur ſecundum Dioſcoridẽ paras? BRAS. Quia ipſe cum hyſſopo, aceto mulſo vtitur. Ego autem arbitror tale ſumendum eſſe oxymeli, vel acetum mulſum, quale ipſe conficere iubet. RENA. At denique quomodo illud cõficit Dioſcorides, ſi memoria habes? ne cogar nunc librum aperire, & compoſitionem perſcrutari. BRAS. Audito quid dicat, temperatur aceti heminis quinque, & ſalis marini libra, mellis decem. p. aquæ ſextariis quinque vnà coctis decies deferueſcente cortina, deinde refrigeratis elutriatíſque atque ita inueteratis, id poſteà quod in Dioſcoride ſequitur, oſtendit pituitæ conferre, & illam educere, nam addit craſsitudines detrahere potum. RENA. Aliter fieri non poteſt, quia acetum incidit, ſal mordicat, mel vtrunque agit, & aperit, propterea mirum in modũ hyſſopum ad educendum adiuuare debet. RENA. At ſcire optarẽ, quo modo pharmacopôlis indicebas, quando hoc fieri elegeras, & ſub quibus põderum nominibus. BRA.

Aud

Audito: iubeo recipi hyssopi, & potissimùm cimarum vnciam vnã, & ebulliri in aqua secundum artem, posteà accipi huius decocti vncias duas, oxymelitis modo Dioscoridis confecti vnciam vnam. Misc. & conuenienti hora propinetur, modus verò oxymelitis Dioscoridis, ità à me pharmacopôlis indictum est.

℞. Aceti heminas quinque, id est, ℥. l. nam acetũ ad vini pondus, & aquæ mensuratur, cõtinet verò hemina cyathos sex, & cyathus vini vel aquæ vel aceti vnc. j. drachm. v. & scrupul. j. continet. Secus est de aliis rebus, nam cyathus olei vnciam vnam continet, & semis. cyathus verò mel lis vnc. ij. & drachmam vnam continet.

Salis communis ℔ ß.

Mellis x. pondo

Aquæ sextarij quinque, hoc est, vnc. c. Misc. & bulliãt ad mellis expumationem, nam hoc modo in his, in quibus coquitur mel, coctura fieri debet. RENA. Esset nimis operosum singula vice, quo præbetur hoc oxymeli parare. BRAS. Singula vice non fit, sed ita cõfectum ad vsus seruatur. at audias, quónam modo mulieribus fieri iusserim, & semper pituitam eduxit, & humores crassos, iussi vt hyssopi pugillũ absq; pondere acciperent, & in aqua

ebullire facerent, nullo alio seruato aut hyssopi, aut aquæ pondere, at quantitas aquæ erat, vt hyssopus bene demergeretur, ebullitio autem fieret ad tertiæ partis resolutionem, deinde iussi vt probè per linteum excolarent, deinde illius decocti libram vnam acciperent, & illi salis pugillum imponerent, qui erat fortè ad drachmas quatuor, & mellis vnciæ quatuor adderentur, aceti verò duæ: posteà iterum ebullienda iussi, quoad probè expumatum sit, posteà huius decocti tres vnciæ præbeantur. RENA. Supra modum educere debet. BRASS. Imò mitissimè, si experiri volueris. RENA. Quid ergo dicit Mesue, quòd decoctum ipsius præberi debet à drachmis quinque vsque ad decem? BRASS. Experiaris obsecro: nam haud multum educere percipies, etiam si copiosè præbeatur, vt ego nonnunquàm salgema addiderim, arbitror Mesuen de simplici decoctione locutum esse, & non de ista, quæ mel recipit, salem, & acetum. Veruntamen ego huius simplicis decoctionis sex vncias præbui, & mediocriter eduxit, imò & in nonnullis minimè eduxit, vt arbitrari cogar Mesue contextum esse deprauatum, & in eo legendum esse ab vnciis quinque vsque ad decem, quàquam

Gal. nullam mentionem faciat quòd educat, sed tantùm dicit hyssopū desiccare, & calefacere ordine tertio, sed & tenuiū esse partium. R E. Fortè ita esse potest, vt quòd vnciæ in drachmas fuerūt cōuersæ, at præbuistíne sub alia forma? B R. Hyssopum solum in potu præbui, ex iure ad duas drachmas. R E N. Eduxítne? B R. Aegrè, imò quādoq; in hoc casu addidi salis gēmæ, drachmam semis, & melius eduxit, quod verò expertus sum non mediocriter educere facit, sumere hyssopū & ficus siccas hoc modò, vt quatuor recentes ficus extima pelle exutæ accipiantur, & in mortario contundantur, & interim dum cōtunduntur, quatuor drachmæ pulueris hyssopi cōmisceantur, & conueniēti hora edantur, euacuatio hoc modo plenior successit. R E N A. Massa illa ex ficubus & hyssopo, cassiæ bolus videri debebat. B R. Magnopere non differebat, tamen magis albicabat. audias verò quod vnà cōtigit nostro communi amico: iussi vt hyssopi puluerem intra ficus poneret, ac transglutiret, & essent quatuor vel quinque ficus, at hic hora statuta, cum hoc quatuor drachmarū puluere quadraginta edit ficus. R E. Fuítne euacuatus? B R. Plusquàm voluisset, illum interrogaui cur tot ficus edisset, respondit se non potuisse tan

tam pulueris copiam distribuere, quin tot ficus ederet, nam pollicis & indicis summitatibus puluerem capiebat, & insitum ficum, singulam pulueris portionẽ, quantam semel posset capere, imponebat, vt necessarium fuerit ad tantam pulueris copiam exhauriendam tot ficubus vti. REN. Deiecitne puram pituitam? BR. Magnam pituitæ copiam excreuit, & vnà atram bilem. RENA. Fortè erant ficus quæ apparebant atra bilis? BRASSA. Non erãt fici: nam & hoc etiã animaduerti, & ficus acceperat mundas, absque, scilicet cortice, imò vt dicebat, maior pars erat ficuũ alborũ, & fortè putas me in tanta ætate adhuc distinguere nescire atram bilem ab aliis rebus nigris, & atram bilem, quæ est sanguinis fæx, ab illa, quæ est sanguis crassus? RENA. De hoc non dubito, at quia ita mihi menti occurrerat, propterea & ita dubitaui. BRASSA. Hyssopum in catapotiorum formam nonnunquàm confingi iussi, difficulter soluit, & illa vix quę in intestinis continentur. nec admiratione afficiaris, quòd & hyssopus atram bilem eduxerit, quoniam & hoc à Mesue notatum est quosdam, scilicet dixisse, quòd atrã bilem insuper educit. REN. Fortè etiã in pilularum forma fastidio venit. BRAS. Imò

in maximo fastidio, nam multis opus est conficere pilulas & crassas. RENA. Quo liquore confici iussisti? BRASS. Diaphinicone aut succo saluiæ, vel alio simili, & tres præbui drachmas, hi sunt modi quibus hyssopo vsus sum ad educendam pituitam, inueníque esse valde imbecille medicamentnm, tamen tutissimum esse, & sumentem minimè turbare. RENA. Nonnulli arbitrati sunt ventriculo obesse. BRASS. Id est, quia amarum, & aperiens, absynthium verò ventriculum roborat, quia amarum & adstringens. RENA. Amara igitur ventriculum non roborant, quia amara, sed potiùs quia adstringunt. BRASS. Nulli dubium esse dicitur, nam amara vt amara ventriculo displicent, & illi aduersantur, licet vt amara calida sint, & ob hoc coctioni aliquo modo prodesse possint. RENA. Vsúsne es alio simplici ad pituitam educendam medicamento? BRASS. Et multis sum vsus. nota verò tunc potissimùm me hyssopo esse vsum, quando à capite & thorace pituitam euacuare animo erat. RE. Hæc de hyssopo satis esse videntur. ad alia te cõferas pituitam educentia simplicia. BRA. Nonnunquàm cyclamine vsus sum. RE. Et quónam modo? BR. Diuerso modo. RE.
Educ

Educítne vehementer? BR. Imò adeò mitè, vt vix educat, nonnunquàm tamen cuipiam præbui in acetario, & is vehementer deiecit & potisſimùm pituitã craſſam, & glutinoſam. RE. Fortè acetum, oleum & ſal vnà opem tulere. BR. Non dubito, nam iuſsi vt acetariũ eo modo condiretur, quo communiter fit. RE. Cur ergo tam vehementer eduxit? BR. Quia iuſſeram, vt ſemiunciam acciperet, ipſe verò abſq; delectu duas aut tres vncias edit. RE. Fuit maxima copia illa, nam Meſue ſolùm præbet à duobus aur. vſque ad drachmas quatuor. BR. Meſue de ſucco intelligit, at ego in ſubſtantia præbui in acetario vſq; ad vnciam, & tamen nõ vehementer eduxit, veruntamen & ſuccum præbui vſque ad ſex drachmas, neque etiam vehementer eduxit. RE. A' Dioſcoride ſcriptum eſt præberi cum mulſa, ſed modum non exprimit, quo verò modo accipi debet, & in quanta copia? BR. Arbitror præbuiſſe ſuccum ex mulſa, quantitatẽ verò nõ expreſsit, & addit etiam educere incipientes aquas. RE. Præbuiſtíne in catapotiorum forma? BR. Nunquàm. nam in puluerem redactũ nõnunquàm præbui, & non ſucceſsit, præbui verò vſq; ad vnciã in iure, iccirco deinceps ſolo vſus ſum ſucco, pro pituita euacuãda,

& ſolo,& oxymeliti miſto, & carnẽ ipſius edi iuſsi, aut ſimpliciter, aut in acetario, nunquàm eo vſus ſum exiccato,niſi bis, & euacuatio nõ ſucceſsit. R E. Arbitror in cõ muni vſu non eſſe, quia plenè non educit. B R A S S A. Ob id fortè eſt, tamen ſi eo vtaris,educere percipies. Et eo præſertim vſus ſum, quando à capite, thorace, vel ſplene, vel vtero pituitam educere placuit. R E N A. Es'ne vſus quandoque huius herbæ floribus aut ſeminibus? B R. Nunquam, ſed ſola radice ſum vſus. R E N A. Ad alia igitur te conferas,quibus pro pituita educenda vſus es. B R A S. Ad pituitam educendam capparibus nonnunquàm vſus ſum, ſed infeliciter ſucceſsit. R E N A. Quomodo infeliciter. B R A S S. Quia neque ſemina eduxêre, neque fructus,neque radix.nam præbui fructum vel ſemina in acetariis & non eduxêre,puluerem radicum præbui, neque etiam ventrem commouêre. R E N. Dioſcorides tamen dicit pituitam educere. B R A S. Fortè non intelligit per aluum, ſed quòd illã reſoluat ac attenuet, iuſsi nõnunquàm quempiam acetarium integrum edere ex ſalſorum capparorum fructu cum ſuo ſale,hic quinquies fortè deiecit,& pituitã, & ſtercora,& alia quæ in inteſtinis continebant

bantur. R E. Hoc fortè salis ratione contigit. B R. Ita arbitror, sed adde quòd ob salem ille potenter bibere coactus fuit. R E. Inferendum igitur est, cappares minimè educere. B R. Hoc non assero, sed in experientiis quibus vsus sum, non eduxit. Veruntamen quid domi meæ contigerit, audito. Famulum quempiam habebã, qui excernere non poterat, & cappares in coquina coquebantur pro acetario in cœna parando, vt per coctturam sal à capparibus abigeretur, interrogauit me famulus hic, quid pro soluẽda aluo esset acturus, nam clysteres summopere abhorrebat, mihi in mentem venit illi dicere, bibe decoctũ illud capparorum, ipse post cœnam illud bibit, & dormitũ profectus est, is ad tres horas vehementer excernere cœpit, vt ferè vigeties cũ magno impetu excreuerit. R E. Quid excreuit? B R. Crassa quidem, sed & stercora simul mista, & aquositates. R E N. Fortè hoc fuit gratia salis. B R A S. Proculdubio sal fuit, imò ancilla illa coquinaria, quæ igni cappares suspenderat, illos prius nõ lauerat, sed cum toto sale in lebetem aqua ad tertias plenum posuerat. R E. Sal illud prorsus fuit, quod tam vehementer euacuauit. B R A S. Et fortè capparorũ vis simul admista, nam quod à sum-

mis proditũ est authoribus, protinus despiciendum non est, neque arbitrandum est, quòd temerè, & absque experimento locuti sint, quanquam nobis experimenta minimè successerint, in prædicto verò famulo ad sanguinem vsque eduxit. RE. Nõ solùm Dioscorides hoc testatur, quòd crassos humores educat, sed & Gal. BRASSA. Non me latet, Gal. dixisse, quippe cùm apertè crassos lentósque humores hoc pacto sumptum euacuet (intellige decoctum in aceto aut in oxymelite) nec eos tantùm per vrinas, sed & per ventrem sæpe etiam sanguinolentos defert. RE. Arbitror hoc de sanguine à Gal. dictum esse, vt eductionis, quam facit, vehementiã osten dat. BRASS. Neque ego dissentio. REN. Præbuistíne decoctum in aceto, vel in oxymelite? BRASS. In puro aceto nunquàm præbui nisi extrinsecus ad lienes extenuandos, at in oxymelite decocta radice sum vsus, neque eductionem illam vidi, quæ à Gal. refertur. testari tamen possum illos, qui sumpsêre, multam vrinæ copiam deiecisse. RENA. Fortè si in maiori præbuisses copia, per aluum etiam eduxisset. BRASSA. Hoc me latet, sed aliàs experiri occasio præstabitur, nam hi in quibus expertus sum, fortè erant ad excer-

nendum inepti,& materiæ erant penitus crudæ,ac glutinosæ,verùm aliâs experiemur,quod nobis facillimum erit. RENA. Imò sequens dies non dilabetur, quin experiar, ad alia verò te conferre potes. BRASS. Thymo nonnunquàm vsus sum, & pituitam egregiè duxit. RENA. Quónam modo vsus es? BRASSA. Thymum recens in acetario edi iussi, nam Dioscorides ad pituitam educendam præbet, ex sale, & aceto; at ego nonnihil olei addidi, & in acetario sumi iussi, præbui & in puluerem & in catapotia, & decoqui feci, ac præbui, semper verò educere expertus sum. RENA. In quanta copia, & quomodo? BRASSA. In puluere ex iure bibendum præbui, vel in catapotia ad semiunciam,& quandoque ad sex, & vsque ad octo drachmas.at pro maiori parte cùm in puluerem exhibeo,in iure bibendum præbeo,si in catapotia cōficiatur,necesse est magnam catapotiorum quantitatem efficere:ab his verò qui sumere debent, negligitur. hæc copia facilis est in iure præbere, vel in eclegmatis formam nonnihil zucari rosati addendo, vel aliud simile & transglutiendo. RENA. Et huic etiam electuario mistum magnopere crescere debet. BR. Tamen non est ignotum

in decoctione quatuor decoctionis vncias præbeo vsque ad sex,& ventrem subducit. RE. At quantam thymi copiam in decoctionem ponis? BRA. Manipulum vnum, decoctionique nonnihil addo aceti, & salis, vt id obseruem, quod à Dioscoride scriptum est, non præberem verò ex solo aceto,& sale, nisi cum viride est, oleum insuper adderem. REN A. Educítne semper? BR A. Pro maiori parte, imò nunquàm præbui quin educeret, vel modicum, vel plus vt is erat dispositus qui insumebat, expertus etiam sum thymi infusionem ad sex vncias probè educere, vt etiam expertus sum hyssopi infusum, licet superiùs non annotauerim. REN. Et quos educit humores thymi infusum? BRAS. Pituitosos omnino, sed & vnà atrabilares, eóq; potissimùm vtor, cùm à thorace, & pulmone pituitam educere statui, quod & à Gal. notatum est, cùm ait, Viscera potum expurgat, educendis ex thorace & pulmone confert. RENA. Arbitrabar thymum atram bilem potius educere. BRAS. Imò illam secundariò educit, tamen capillamentum circa thymum, quod epithymum vocatur, illud est, quod atram bilem subducit. Ad pituitam prætereà euacuandam, vite alba vsus sum, & flore, & radice, flore in aceta

riis, radice in puluere, & ipsius radicis expresso vsus sum, ad duas drachmas aquæ hordei mistas. RENA. Præbere non auderem, cùm à Dioscoride exulcerare scriptum sit. BRAS. Multa sunt, quæ extrinsecas partes exulcerant, intrinsecus verò minimè lædunt, vt allium, & cæpæ, cuius rei ratio à Gal. notatur in libro de simplicium medicamentorum facultatibus, radicis puluerem ad duas drachmas in iure præbui, & in pilulas conformari iussi, & adhibui. RENA. Arbitrabar vitem illam vocatam albam, potius adstringere, quia ita à Gal. scriptum est, & quia pelles ea depsant, quòd sola adstringentia solum præstare possunt, imò & à Gal. dicitur esse edulium ob adstrictionem stomacho gratum, & esse subamarum, & modicè acre, ac adstringens. BR. Et rhabarbarum adstringit, atque myrobalani, tamen educunt, huius verò albæ vitis eductio fit, cùm educendo & attrahendo sua caliditate pituitam, tum etiam comprimendo, nam hæc duo ab vno fieri medicamento non inconuenit. multa nimirum inueniuntur, quæ ventrem subducunt, tamen ab antiquis inter adstringentia numerantur, æquè & si alba vitis adstringat, ab ea (ratione diuersarum partium) non re-

mouetur eductio, & pituitam eligendo, illam comprimẽdo eiicit. RE. Debet etiam & fæces educere. BRASS. Nihil est, quod ventrem subducat (sit quoduis genus humoris id quod subducit) quin fæces vnà semper educat. BRASSA. In his verò quæ ad pituitam expertus sum euacuandam, experientiæ non respondit anemone. RE. Quid per anemone intelligis? BRASS. Herbam illam, quæ in segetibus nascitur purpureo flore decoratam, & quæ folia habet coriandro similia, teneriora tamen, & in terram inclinata, quæ exili pediculo flores habet papaueris, in medióque sunt capitula coloris nigri, aut cærulei, & radicem habet, quæ oliuæ implet magnitudinem. RENA. Est illa, quæ apud vulgus rosella vocatur? BRASSA. Potest quidem eo nomine appellari, at Ferrariẽse vulgus & papauer rhoeas rosellam nominat, ita omnia confundunt, imò & eadem rubrum papauer appellant, at anemone aliud est, & non solo insignitur purpureo colore, sed & albicante, & sanguineo, & lacteo, at ego semper anemonem accipi iussi, quæ purpureos flores haberet. RENA. Quid sit, iam habeo: flores apertos habet, cùm ventus haud spirat, si verò spirauerit, clauduntur. BRASS. Herbam iam tenes quæ à

vento

vento nomen accepit,quoniam ſine vento eſſe debet, ſi flores expanſos videre cupias,quanquàm nonnulli oppoſitum cenſeant,quod,ſcilicet tunc aperiantur, cùm ventus ſpirat, ſed hos experientia coarguit,& ex aduerſo pugnat. RENA. Quam partem huius herbæ præbuiſti? BRASS. Radices,quoniã vt Dioſcorides ait,cõmanducatæ pituitam educunt. RE. Eduxêréne? BR. Minimè omniũ,ſed qui ſumpsêre maximè expuebant,vt cõiectatus ſim cùm nõ ſit à Dioſcoride locus expreſſus, per quem pituita educenda ſit, per os educendam eſſe ab aenemone intelligat. RENA. Iam iam & hoc ego imaginari cœperam, & præſertim quia à Gale.dicitur, itaque radix commanducata pituitam euocat, & ſuccus ex naribus purgat, BRASSA. Optima vſus es coniectura. Nam ſi ſuccus ex naribus pituitam educit, radix commanducata,pituitam ab ore euocare poterit. At hoc & ter & quater experiri haud difficile erit. Verùm hactenus præbui neque finem aſſecutus ſum,quòd,ſcilicet per aluum pituitam educerent, vſus tamen ſum ſpondylij radice ad pituitam per inferna educendam,& finem egregriè aſſecutus ſum. RENA. Nónne per ſpondylyon herbam intelligis ſatis amplam,quæ

ad cubiti magnitudinem crescit plus minus, quæ folia habet inter panacem, & platanum media, cuius caules fœniculo assimilantur, & semen habet in cacuminibus fœniculo simile, latius tamen & duplex, magis album & cristis magis plenum, ac graue olens, florémque candidum habet, vel pallidum, & radicem albam habet raphano similem? BRASSA. Illam præcisè intelligo, & ita descriptam à Dioscoride, vt dixisti. RE. Vbi spondylium inuenisti? BRAS. In conuallibus samartinæ vocatæ. ibi etenim copia inuenitur in illa parte, quæ Rheno torrente abluitur. RENA. Quo modo præbuisti? BRASS. Edi ex sale iussi, vt sit radicula ad vnciæ quantitatem, & eduxit nec molestè, nec vehementer. iussi nonnunquàm ex sale edi, oleo, & aceto. RE. Erat igitur acetarium. BRAS. Acetarium prorsus. REN. Edebántne ex pane? BRA. Ex pane, sed nonnunquàm, succum exprimi iussi, & ad semiunciam præberi, pituitámque eduxit. RE. Hoc didici quod ignorabam. Audiui præstereà & opopanacem pituitam educere. BRAS. Hoc tamen neque à Dioscoride, neque à Gale. scriptum est. RE. Mesue id refert, qui ait solutione pituitam educere crassam, & glutinosam à partibus remotis, & propriè à iuncturis, cer

cerebrúmque mundificare ac neruos. BRASSAV. Nonnunquàm præbui pro educenda ab oculis pituita. RE. Et Mesue dicit visum præ omnibus roborare, imò & thoracem. BRASSA. Iccirco illud exhibui ad educendam à thorace pituitam. RENA. Eduxítne? BRASSA. Aegrè id fecit, vt potiùs non eduxisse dicendum sit. RENA. A' Mesue tamen scriptum est, ab vna drachma vsque ad duas præbendum esse. BRASSAV. Ego ad tres vsque drachmas exhibui, & tamen ægrè educit: fortè non erat exquisitus opopanax. RE. Et fortè erat antiquus. BRASSAVO. Cùm à Dioscoride, Gale. Paulo, & Aetio hoc non dicatur, quòd pituitam educat, nedum quòd educat, propterea non educere arbitrandum est, iccirco educere visus sit: cùm tamen illa non esset eductio, sed is, qui accepit, sponte excreuit. RE. Tamen & Arabibus, qui multa experti sunt, fides adhibenda est. imò cùm non omnia possimus omnes, in multis rebus Arabibus credendum est, nam multa detexêre, quæ apud antiquos erant ignota, at cras iterum experiemur in quodam, in quo est à capite educenda pituita, & quatuor drachmas opopanacis electi præbebimus, tunc enim planum erit, quid in hoc corpore mo-

lietur hic cyrenaicus ſuccus. RE. Deo ſolum notum eſt vnde fuerit allatus. BRAS. Nos illum probabimus ex indiciis, quæ à Dioſcoride ſcripta ſunt, & illum accipiemus qui omnibus indicijs erit inſignitum. RE. Hoc non erit nobis factu difficile. BRASSA. Niſi à Meſue ſcriptum eſſet ſolutione educere pituitam craſſam, intelligerem ore commanducatum id efficere, nam ſi maſticetur (licet amarum ſit) multam pituitæ copiam à capite detrahit. RE. Cur ita intelligi non poteſt? BRASS. Cùm à Meſue hic loquendi modus vſurpatur, ſcilicet ſolutione educere, de ſolutione quæ per aluum fit, ſemper intelligere oportet. RE. At ſi experiemur per aluum minimè educere, cur intelligi non debet ore maſticatus educere, nam tunc & à capite & à thorace attrahere poterit, pituitámque craſſam attenuare, & ad exitum præparare? BRASSA. Ita prorſus intelligere oportebit, vt à nobis author ille facilè defendatur. RE. Ad alia te conferas, cùm de hoc ſatis dictum videatur. BRASS. Vſus ſum & ſparto ad pituitam educendam, & egregiè ſucceſsit. RE. Nónne ſpartum eſt herba illa, quæ vulgò geneſtro vocatur? BRASSA. Illa inquam. REN. A Dioſcoride nõ dicitur quòd pituitam educat, ſed

quòd

quòd purgat egregiè ſemen.& flores obolis quinq; in aqua mulſa pota ellebori vice citra periculũ. Dioſcorideſque monere videtur, ſemen ventrem euacuare, neque à longinquis partibus educere, nam his vtitur verbis, Semen ipſum exinanit, aluum trahendo. BRASAVOL. Ego huius ſtirpis anatomen feci, id eſt, diligenter conſideraui, & experientia comprobaui, cùm à Dioſcoride dicitur, ellebori vice educere, arbitrandum eſt intellexiſſe omnes humores educere, vt facit elleborus. nam de nigro dixerat, bilem attrahere, pituitam & aquas. ego floribus vſus ſum, radice, & ſeminibus in diuerſis modis, diuerſiſque compoſitionibus. RENAT. Omnes (ni piget) referto. BRASAVOL. Referam ad vnum, vt quicquid inuenerim addiſcas. Imprimis floribus in acetario ægrotos veſci iuſsi, ad quatuor bolos, & non ineptè eduxit. RENAT. Dioſcorides quinque tantum obolos præbet, hoc eſt grana quindecim. BRASSAVOL. Nos maiorem præbuimus copiam, flores quos nonnulli in acetario ederunt, erant ferè vncia. RENA. Euacuatio igitur vehementiſsima eſſe debuit. BR. Fuit cõueniẽs euacuatio. Plinius præbet ad ℥ j.& ß. Meſue de floribus præbet à drachmis

duabus vsque ad quinque in experientia quã exercui, plus erãt, quàm sex drachmæ. iidẽ flores in infusione ad tres vncias educunt. Nonnunquàm succũ florũ præbui ad drachmas duas, & non inepte eduxit, nonnunquàm & puluerem florũ exhibui in aqua mulsa, neq; minor fuit, quàm præcedens subductio: pulueris autẽ copia fuit ad tres drachmas, & ex caule ipso succũ adhibui ad ℥ iiij. (nam & succum hunc præbet Gal.) subduxit & ipse. miscui verò nonnihil iuleb, hi sunt florum vsus. cùm essem Romæ. 1535. nostratibus euacuandis hæc præbebam, experientiáq; ostendit, Romæ melius educere, quàm Ferrariæ. RENA. Forte est soli humiditas, quæ vires aufert sparto, nã & in montibus vehementiores sunt herbarũ vires, quàm in planis. REN. Quomodo radice vsus es? BRAS. Succum præbui ad quatuor drachmas cũ melicrato, & nõ inepte subduxit, puluis verò exiccata ex radice confectus fuit, præbui insuper ad duas drachmas in iure, eduxit quidem, sed vehementius id fecit, quando ad tres drachmas vel quatuor præbebatur. nõnunquàm ex oxymelite exhibui. REN. At Dioscorides prębet cũ melicrato. BRA. Non negat autem quin possimus etiã vti oxymelite, imò magis cõuenire arbitror,

quia

quia aceti ratione crassas materias incidit, quæ à sparto deinceps faciliùs educuntur. RENA. De seminis vsu nondũ locutus es. BRAS. Nũc de illo verba faciemus, cùm & à Dioscoride scriptũ sit, semen ipsum exinanire aluum trahẽdo. RENA. Mesue semen præbet à drachmis duabus vsque ad quatuor. BRAS. Ego quandoque iussi semen hoc saccaro condiri, & veluti anisa edi, præbuique ad sex drachmas, & mediocriter eduxit, præbui & in puluerem redacta semina ad duas drachmas, ex melicrato, & quandoque ex oxymelite, & ex gallinaceo iure. RENA. Denique quid eduxit medicamentum, id est, quas materias, & quos humores? BRAS. Pituitosos, & pituitam crassam, ac bilem eiusdẽ generis, & denique quicquid continebatur in intestinis. RENA. Spartum educere quidem legeram, sed quid educeret, & quomodo educeret, non eram per recentem experientiam edoctus. BRASSA. Iussi & plerunque decoqui semina ad tres drachmas in iure, & ius ad sex vncias bibendum exhibui. RENA. Vereor ne in maiori præbeas copia, quàm præberi debeat. BRAS. Sumne adhuc puer & furiosus? experiaris tu, & percipies non educere nisi in tanta copia præbeatur. quod tibi semel

dico, id pro rato ac firmo habeto, nõ enim ambiguè loquor, sed assertiuè. REN. Noui, te non esse mentiri consuetum, & toto vitæ tuæ curriculo, nouis experimẽtis esse delectatum. BRAS. Imò noua fugio experimenta, & illa tantùm sequor, quæ ab antiquis prodita sunt, & ab vsu desciuère, illáque iterum in publicum reuocare nitor, nihil enim mihi gratius est, quàm res antiquas experiri, & an ita re ipsa constet, vt literis proditur percipere, vt pro mea virili posteritatem, & humanũ genus iuuare pòssim, & facultatem medicam illustrare. REN. Hoc non me latet. BRAS. Duo sunt communissima medicamenta, quibus & simplicibus ad pituitam educendam vsus sum, colocynthide inquã & turbith. REN. De his igitur agamus. BRAS. Id libenter efficiã, si in primis te admonuero, me his haud libenter vti, tamen cùm opus est à longinquis & à penitioribus nostri corporis partibus educere, his vtor, de colocynthide autẽ primò verba faciamus. RE. Hæc ob suam maximam amaritudinem mandi non potest. BRASSA. Et in decoctione amarissima est, vt ferè bibi nõ possit, rarò sola colocynthide ad pituitã educendam vsus sum, plerunque tamen trochiscos alandaha vocatos, qui sunt colocyn

De Colocynthide

cynthis præparata, accipi iussi, sed cùm colocynthidem præbui, ipsius pulpam sumi præcepi. RENA. Quomodo pituitam solam educere volebas, cũ à Dioscoride scriptum sit bilem trahere, pituitam, strigmẽta, & interim sanguinẽ. BRAS. Et Mesue ait illam educere pituitam, & crassos humores, & atram bilem, Paulus verò inquit, quòd bilẽ euacuat, & mucos. RENA. Cur ergo illa vsus es ad pituitam solam euacuandam? BRAS. Quia illam primò euacuat, & quia vehementissimũ est euacuatiuum, vt Gal. monet, iccirco alios consequenter euacuat humores, & vt Dioscorides ait, vsque ad sanguinem. REN. In quãta præbuisti copia? BRAS. Paulus vsque ad drachmã præbet, ego nunquàm in tanta copia exhibui. Mesue præbet à characte sex vsque ad decẽ, at ad integram drachmã decem & octo ceratia secundum Paulum exiguntur, nõnunquàm præbui grana decem in puluerem redacta, additis zingibere, cinnamomo, seselide, & mosco. RENA. Cur moscum addebas? BRAS. Ad corroborandum. RENA. In quanta copia hæc commiscebas? BRASSA. Hoc modo confici iubebam:

℞. Pulpæ colocynthidis ℥ x.

Cinnamomi

Zingiberis
Seſelidis
Amidis
Singulorum ℥. iij.
Muſci ℥ j.

Miſ. & conficiatur pilula vna, tormina inducit, nonnunquàm in gallico affectu vſq; ad ſemidrachmam præbui, à iuncturis vehementiſsimè, & à capite eduxit. RENA. Decoctum ipſius fortè nunquàm exhibuiſti. BRAS. Imò exhibui, ſed rarò, drachmã in aqua ebulliri iuſsi, in qua & mel aderat, & nonnihil aniſorũ, ac amidis, poſteà huius decocti quatuor vncias præbui, nõnunquàm nitrum & mirrham addidi, quæ & à Dioſcoride colocynthidi commiſcentur. RENA. Vidiſtine oculata fide pituitã educi? BRAS. Oculatiſsima, verùm & omnia vſq; ad ſanguinẽ ſubduxit, & ex Gal. colligitur in initio primi libri de cõpoſitione medicamentorum ſecundum locos in alopecia, quando pituita eſt euacuanda accipiendam hieram diacolocynthidis, quanquàm & addat alios etiã præter pituitam educere humores. RENA. Pauli ſententia eſſe videtur, quòd pituitam, & bilem educat, nõ quidem à ſanguine, vt ſcammoniũ ac elleborus faciũt, ſed à neruis, & neruoſis partibus, ac ſi velit à venis minimè educere

Pauli sententia de Colocynthide

cere, sed à remotis partibus extra venas.
BRAS. Sinamus Paulum id dicere, quod
mauult, & nos dicamus à venis educere, &
à sanguine, imò & sanguinem ipsum sub-
ducere, & dysenteriam excitare, quod in
aula contigerit audito. Cùm essem in æta-
te vigenti, & Illustriss. Dux noster adhuc
puer esset, ob solem in quo diu moratus
fuerat, destillationem incidit, quæ ad pul-
mones descendẽs anhelitus difficultatem
pariebat, nocte quadam ad me misit hoc
affectu pressus, vt illi opem ferrẽ, medica-
mentũ adhibui, quod summopere iuuit, at
quia id sumere ægrè ferebat, Ioãnes Gam-
barus Principem hortabatur, vt libenter
acciperet, promittebátque se aliud medi-
camentum acceptur ũ, interim aulici qui-
dam iuniores ad pharmacopôlam mise-
runt, qui illis colocynthidem præberet, hic
integrum colocynthidis pomum misit,
isti aulici in aquæ cyathũ infudêre, & plu-
ries expresŝere, posteà cyathum illũ aqua
plenum Ioanni Gambaro præsentarunt,
hic totam aquam exhausit, quam amaris-
simam esse prædicabat, inde ad horam ve-
hementissimè excernere cœpit, & posteà,
quàm centies cum maximis torminibus
excreuisset, sanguinem deiicere cœpit, &
intestinorum ramẽta, & nisi prouidissem,

opémque tulissem, arbitror quòd eadem die aut sequēti desideratus fuisset. RENA. Est ergo vehementissimum medicamentum. BRAS. Et tale, vt eo carere malum nō esset. RENA. Illud igitur nemini præbeto. BRAS. Quantū possum ab illo abstineo, neq; vnquam præbeo, nisi quispiam sit, à cuius iuncturis educere indigeamus, & à neruosis partibus, & à capitis pelliculis, nam ab his partibus mirum in modum educit. RENA. Audiui nonnunquam medicos differentes, an in tenuissimum puluerem redigenda sit colocynthis, an crassiusculo modo tundenda. BRAS. Et dissident inter se authores. Serapio monet nō esse multū terendam, licet Mesue oppositum dicat. RENA. Fortè Serapionem non vidit Mesue. BRAS. Ita arbitror, nā Mesue Auicennam secutus est, qui maximè terendā esse iubet, & Auicēna à Paulo accessit, Paulus verò rationem reddit, cur egregiè terēda sit, quoniā, inquit, asperæ ipsius partes interioribus inhærentes vlcera faciunt, quibus nerui compatiuntur. REN. At mihi videtur, si in tenuissimum puluerem redigatur, quòd potius intestinis inhærere possit. BRAS. Arbitror hoc considerandū esse, quando in puluerem redacta bibitur. at si decoquatur, vel in pilulas redigat

digatur; cùm pilulæ ad sui cõfirmationem tertium quoddam recipiant, nõ magni faciendum est, an tenuior sit puluis, an minus tenuis, nam cùm pilulæ in ventriculo dissoluuntur, puluis non est solus, in decoctione verò non redigitur in puluerem colocynthidis pulpa, nam hæc semper accipienda est. RENA. Nam ad Turbith contemplationẽ conuertere debemus. BRAS. Scito cùm de turbith sermo futurus sit, intelligendum esse vulgare turbith, id est, hoc, quod in vsu est apud pharmacopolas. RENA. Scio esse multa à diuersis de turbith scripta, & quod apud Dioscoridem videtur tripolium, & quod pitiusæ radicem etiam vocat turbith, & quod etiam videtur esse tithymali mirtitis radix. BRA. Gaudeo te diuersitates istas noscere, & nõ me cogere ad ea explicanda, quanquã ego te remitterem ad nostrũ simplicium examen, in quo hæc vbertim pertractata sunt, at impræsentiarum de communi illa radice loquamur, quæ turbith impræsentiarum vocatur, & quæ ex gargano monte, qui vulgo Sãcti Angeli vocatur ad nos affertur, & quæ pituitam solam educit crassam, ac lentam, nisi in tanta præberetur copia, vel post eductã pituitam alios etiam humores educere cogatur. de hoc igitur

De Turbith

loquamur, nec quódnam sit disputabimus, nos verò hac radice ad pituitam educendam & in catapotiorum forma, & in iure, & in decoctione plerunque vsi sumus in catapotio, nimirum conformatum ita præbuimus:

℞. Turbith ʒ j.
Zinziberis
Piperis nigri
Amidis
Seselidis
Singulorum ℈ vj.
Mastiches ℈. ß.

Misc. & fiant pilulę quinque, quādoq; pauciora addidi, quandoq; plura, vt mihi visum est, nūquam verò drachmam excessi. RENA. At Mesue præbet ab vna drachma vsq; ad duas. BRAS. Id à Mesue prorsus scriptum est, at drachmam vnā vehementer educere expertus sum. RENA. Cur ergo à Mesue dicitur, quod est imbecillæ, & tardæ operationis? BRAS. Ego vidi drachmā egregiè educere, hócq; opus à spatio trium horarum à sumptione cœpit, nonnunquàm ita in puluerē parari iussimus, & in iure exhibuimus:

℞. Turbith optimi ʒ j.
Zingiberis
Piperis nigri

Ani

Aniſorum
Cinnamomi
Singulorum ℥ vj.
Zucari ad duplum ponderis omnium.miſ.
& fiat puluis ſubtiliſsimus, qui in galli-
naceo iure ſumēdus eſt. RENA. Educitne?
BRASSA. Nec mediocriter, quandoque
ex zucaro roſaceo in eclegma confectum
eſt, quandoque in rotulas, & omni modo
eduxit. Decoctum præterea ipſius ad duas
& tres vncias exhibuimus. RENA. Quid
eſt hoc, quod audio? Meſue dicit præben-
dum eſſe decoctū à drachmis duabus vſq;
ad quatuor, & tu tres vncias exhibuiſti?
BRASSA. Fortè Meſue magnam turbith
quantitatem decoquebat, ego verò dra-
cham tantùm cum eiſdem aromatibus in
iure decoqui faciebam, vel in aliqua aqua
vi ignis eliquata, vt in aqua ſaluiæ, vel ma
ioranæ, vt pituita à capite vel ab alio mem
bro erat educenda. RENA. Nónne quan-
doq; vomitum cit? BRASSA. Nauſeam
ciet, ad quam nonnunquàm vomitus con-
ſequitur, tormina etiam inducit. Notato
verò medicamenta omnia, quæ pituitam
& craſſos humores attrahunt, dolores in-
gerere, cùm materias has per inteſtina mo
uēt, & cùm flatus incutiūt. RE. Quicquid
ſit, vētriculo obeſſe fertur. BRAS. Id qui-
dem

dem facit, si solum insumatur, at semper cum eo sunt aromata commiscéda, vt ventriculũ roborent, ne à vi medicamenti lædantur, quandoque absque vlla adiectione Diaturbith, vel medicamen de turbith indico ad drachmam vnam. RENA. Noui quid sit, recipit solum turbith, cum his quę illum emendare valent, sed vsúsne es alio simplici ad pituitam educendam? BRAS.

De Hermodactylo

Nonunquam hermodactylo sum vsus, sed rarò, tum quia non est antiquorum hermodactylum, tũ quia id quo passim vtimur, est Dioscoridis colchicum, quod inter venena ab omnibus antiquis numeratur, nõnunquàm degustaui hermodactylum, & in gutture persensi, ác si esset manus quędam quæ me in illis partibus adstringeret. RENA. Hoc est, quod dicunt suffocando necare, vt fungi faciunt. BRASSA. Intellige fungos venenatos, nõ Ferrarienses fungos qui optimi sunt, si probè decoquátur, & is qui edit, fungos probè conficere valeat, neque aliquem lædunt, nostrates fungi modò conficiantur, nonnullos curaui à fungis læsos, sed hi nullam persentiebant gutturis adstrictionem, neque suffocationem, sed potius maximam ventriculi perturbationẽ, euomebántq; ac excernebant fungos nõdum confectos, neq; probè mastica

sticatos. RENA. Fortè in maxima copia comederant. BRAS. Et maximā ederunt copiam,qui non erant probè in fidelia co-cti,& illos etiam absq; masticatione deuorauerant. RENA. Tamen nunquā vidisti, quòd strangulando necarent. BRAS. Nedum quòd aliquid adstrictionis circa guttur inferrēt,vidi tamen ex fungorum esu, mulierem quampiam desideratam esse, at hoc nō contigit ex fungis, vti veneno, hæc nimirū fama laborabat,ipsius coniux fungos emit,quos veneno inspersit,vt sub hoc fungorum prætextu illam impunè interficeret, hoc illi bellè successit,imò finxit primus se euomere, & maxima affici angustia,at mulier haud fictum quidem, sed verum incidit vomitum,cum magna ventriculi perturbatione,ventrisque mirifica solutione, denique tertio obiit die,finxit vir oleum bibere,& euomere,& verè euomuit fungos, sed non venenatos, at ipse eodem obiit anno. RENA. Quomodo hoc palàm fuit, quod vxori fungos venenauerit? BRA.Hoc detectū fuit ab ancilla coquinaria quæ fungos venenauerat, illā etenim subagitabat, at deinde illam deserere noluit,& illi cōuiciabatur,vnde ira percita in terfectę vxoris scelus detexit.RE.Fungi igitur suffocādo nō necāt? BR.Hoc nō assero, sed

sed me id non vidisse affirmo. RENA. Detege imprӕsentiarum quomodo es vsus hermodactylis. BRASSA. Iussi semel vt quispiam illos eo modo ederet, quo castaneӕ edi solent. RENA. Coquine fecisti, vt castaneӕ coquuntur? BRASSA. Minimè, sed crudos edidit, nam edendo sunt, & castaneӕ ferè vel bulbi saporem habet, nec mihi gustu displicet, iussi verò drachmam accipi, & in piperis ac zingiberis puluerem inuolui. RENA. Eduxitne hӕc drachma, quia Mesue iubet accipi ab aureo vno vsque ad duos? BRAS. Eduxit & crassos humores, vt experiri possis, quod pituitosos, & crassos humores educunt. RENA. Alios refer modos, quibus hermodactylis vsus es. BRAS. Exhibui etiam in decoctione, ita verò fuit cōfecta decoctio.

℞. Hermodactylorum ℥ ij.
Zingiberis
piperis
Gariophyllorum
Mastiches
Singulorum ℈ ß.

Misceantur: & contundantur crasso modo & in aqua saluiӕ vel amaraci, vel in iure ebulliant secundum artem, posteà huius decoctionis ab vnciis duabus vsq; ad quatuor exhibui in forma etiam pilularum ex

eiſdem aromatibus,deglutiri feci. RENA. Perſenſérene, qui accepêre, ac ſi pulmonis canna adſtringeretur, ac guttur? BRAS. Nõ perſenſêre,at arbitror aromata id præſtitiſſe, ſcito autem ab authoribus dici vti capiſtrum ſtrangulare; & id verùm eſſe, cùm recentes eduntur,& vocati ſunt refugium ſeruorum, quia ſerui, qui ab eorum heris iniuſtè ac dirè tractabantur,colchico eſitato ſuffocabantur,vt impias dominorũ manus effugerent,nam cùm recens eſt hermodactylus, & tũc cùm à terra euellitur,ſi edatur,adeò guttur adſtringit,vt ſuffocet, ſi in copia manſus ſit. RENA. Naſcitúrne apud nos? BRAS. Naſcitur prorſus,ſed non frequens,& minus efficit,quàm is qui in mõtibus oritur.copia habetur in Appẽnino mõte Mutinã verſus, ac Rhegium Lepidi. RENA. Video te hoc medicamento haud libenter vti. BRASSA. Imò vti negligo, raróque pilulas de hermodactylis præbeo,licet craſſas materias educant,& à iuncturis. RENA. Hoc igitur quod nunc dixiſti, verè præſtant? BRASAVOL. Et verè & indubitatè, neq; medicum fallunt, at modum alium audito quo hermodactylis vſus ſum, Recenter euulſos contundi feci, & veluti in paſtæ formam cõfingi, id facilè fit, cùm tenelli ſunt,iuſsíq; aromata addi,

addi,& adhibui. RENA. In qua copia & quomodo illa misceri admonuisti? BRA. Compositionem ita parari institui:

℞. Hermodactylorum ℥ ß.
Zingiberis
Gariophyllorum
Mastiches
Cinnamomi
Singulorum ℈ ß.

Misc. & cum syrupo de corticibus citri quantum sufficit in eclegmatis formam reducatur,è quo drachma vna,& semis adhibenda est, & ita exhibui probéque eduxit. RENA. Cùm de hermodactylis satis dictum esse videatur, ad alia pituitam solam educentia te conuertito. BRASSA. Aliud est medicamentum quod pituitam educit, & glutinosas materias vehementissimum quo etiam raro vsus sum. RENA. Quódnam est hoc? BRASSA. Euphorbium. RENA. Miror aliquem adeo temerarium esse, qui per os ausus sit Euphorbium propinare. BRAS. Ad euacuandū raro per os exhibui,sed ad fœtus euocādos,& secūdas frequenter sum vsus,tamen cū aliis miscēs simplicib. & sex ipsius grana exhibui,hoc modo pro aluo educenda.

℞ Euphorbij Ǧ vj.
Seminum lactucæ

Portulacæ
Scariolæ
Endiuiæ
Rhu obsoniorum
Balaustiarum
Rosarum rubrarum
Singulorum ℥ ij.

Misceantur: & ex succo limonum cõficiatur pilula vna, vel duæ. RE. Eduxitne? BR. Eduxit, sed per os immensa exiuit pituita, nam illam à profundis etiã corporis partibus attrahit. RENA. Erãtne crassa pituita illa, quæ per os exibat? BRAS. Partim crassa, partim tenuis, sed forte medicamenti vis illam, quæ tenuis erat, attenuauerat, & nisi tam constanter authores per aluum inferiorem educere faterentur, arbitrarer eductionem hanc per os esse intelligendam, si ex gummi arabico, tragacantho, mastiche, & balaustiis masticaretur. RENA. Mihi videtur Dioscoridẽ nimis præbere, nam ad drachmam vsq; exhibet. BR. Hoc profectò nimis est. nã neq; auderem semidrachmã exhibere. Mesue præbet ab vno chirath vsq; ad tres, decem verò & octo chirath drachmã perficiunt. ab Auicẽna præbentur tres anolosat, hoc est tres oboli, Serapio duos exhibet obolos, licet alibi videatur excedere autr. RE.

Quicquid fit, igneum est medicamentum intrinsecus euitandum, extrinsecus verò applicandum. BRAS. Superioribus mensibus arbitror me decem olei de euphorbio libras consumpsisse in sæua illa ac horrenda ægritudine, qua Illustris Germanicus Sauergnanus afficiebatur. REN. Tandem conualuit. BRAS. Non tantùm conualuit, sed cùm penitus immobilis esset, nunc vndequaq; propriis pedibus ambulat, ac equitat. Quãtum igitur fieri potest, euphorbium per os præbere euitemus: & si nonnunquàm exhibeatur, tunc fiat, cùm homo ventriculum habet pituita plenum, quia illa mistum partes, quas tangit, inurere haud potest. memini me euphorbium gustare voluisse, adeò mihi linguam accensit, vt per totam illam diẽ ardere persenserim. REN. En si vehemens sit, quoniam cũ Auicena, Rasi, & Serapione tres drachmas interficere iudicatur, propterea cùm Dioscorides ac Paulus vnam exhibeant drachmam, faciũt hominem è tribus partibus duabus tantùm à morte distare, at verúmne est, quod à Paulo dicitur, aquas, scilicet potius educere, atq; magis quàm pituitã crassam? BRAS. Pituitam crassam eductam conspexi, & etiam tenuẽ, at quia euphorbij vis est, quæ crassa sunt attenua-

re,icirco Paulo visum est,quòd tenuia potius educat,quàm crassa. RENA. Nō legi apud Dioscoridem, quòd euphorbiū educat,sed ait,si bibatur,diem integrum cōtinere feruorem,iccirco & melle tēperatur. BRA. Mihi videtur temperiem aptiorem fieri,si frigida misceatur, quàm si mel. De eductione verò iam tibi dixi non educerē per aluum,sed per os id vehementius efficere, & pituitam crassam ac tenuem euocare.tamen in coxendicum dolore à Dioscoride præbetur,potionibus odoratis affundens,hoc verò ob eam fit causam, vt pituitosæ materiæ educantur, & vnà resoluātur,verùm euphorbio prætermisso quo raro intrinsecus vti volui, sed extrinsecus frequēter.at de Serapino loquamur,quod Sagapenum à Græcis dicitur:iuxta Mesue sententiam à drachma semis vsque ad vnū aur.pituitā crassam educit, & simul aquā citrinam. RENA. Est ne id verum? BRAS. Non solùm est verum,sed est insuper Arabum inuentum, nam à Græcis quòd per aluum educat,nulla fit mentio, At Dioscorides dicit crassos humores ex pulmone expurgare. RENA. Hoc fieri debet masticando. BRASSA. Et masticando & deglutiēdo,nōnunquàm iussi hoc modo drachmam deglutiri.

℞. Sagapeni ʒ j.
Mastiches
Gummi Arabici
Colophoniæ
Cinnamomi
Zingiberis
Singulorum Ǧ iij.

Misceantur:& ex Diaphinicone conficiantur pilulæ quinq;. RE N. Eduxêre ne? B R. Eduxêre & per aluum,& magnã sputi copiam euocarũt,nam à capite educit,à thorace,à iuncturis,& à neruis, proprium est neruorum medicamentum, id verò quod eduxit, fuit crassa pituita, tenuiori commista ichori,hoc modo facilius recipitur, quàm alio quouis, quoniã ipsius odor sumentibus displicet. R E. Nec sapor placet. B R. Tamen si masticetur magnam educit pituitæ copiam,quãdoq; præbui ad drachmam vnã ex despumato melle,& mastiche, ac aliis prædictis. R E. Rarò vsus esse debes ad euacuãdum Sagapeno. B R. Vaticinatus es,verùm à quinto meæ ætatis anno vsq; ad quadragesimum,fui magnus in his rebus ardelio,omnia etenim simplicia experiri tentaui, vt an simplicia suis effectibus,vel his, qui illis attribuuntur correspondèrent inuenirem, multáq; inueni probè dicta,& non pauca aliter, quàm ab

authoribus ſcriptum ſit, nunc poſt quinquageſimum noſtræ ætatis annũ, his vtimur, quæ aliàs experti ſumus, & raro, vel nouo, vel inuſitato medicamento vti volumus. RE. Hoc videtur eſſe ſeniorum proprium, cùm ſanguis tepeſcere incipit, non audere. BR. Fili chariſsime, ſi tot experimenta feceris, quot ego ad hanc vſq; ætatem feci, quæ nondum quinquageſimum ſecundum exegit annum, facultas medica non modicè ampliabitur: nunc verò ſi noua experiri negligam, non eſt quia minimè audeam, cauſa verò eſt, quia cùm de aliquo medicamento experimentum ſumimus, ea die hominem illum decies viſitare debemus, & omnia contemplari, quæ circa illum contigerint, at impræſentiarum non mihi ſuppetit hoc agendi tempus. RENA. Rogo te, atque obſecro, ſi quis debeat eſſe parentis erga filios amor, & ſi qua eſſe debeat filiorum in parentes pietas, vt negotium hoc decies, ac vigecies illos viſitandi de quibus experimentum ſumere placuerit, mihi committas. nam nihil vnquàm ardentius, ac lubentius ſubibo. BRASS. Tu ſolus inexplebile illud deſiderium inueniendi noua, ac experiundi reuiuiſcere facies, nam cùm laborẽ ſubire volueris, multa experiar, quæ tu poſteà

obseruabis admonitus. RENA. Nihil erit mihi gratius. BRAS. Neque vtilius, verumtamen & sarcocollam, crudam pituitam ac crassam educere testatur Mesue, & vnà alij Arabes, expertus sum ego, sputum quidem eduxit, sed non per aluum, & quod expuebatur, erat materia crassa pituitosa, tenui etiam commista, vnà præbui drachmam, & posteà duas, neque quicquam eduxit, quod consideratione dignum esset. At si masticetur, materiam egregiè per os euocat, hoc vnum est, quod à nobis experiundum est, erunt drachmæ duę, & semis, hoc modo exhibendæ, & posteà tres.

℞ Sarcocollæ ʒ ij. ß.
Salis gemmæ ℈ ß.
Zingiberis
Cinnamomi
Gariophyllorum
Anisorum
Singulorum G̃ vj.

Misceantur: & conficiantur pilulæ, quot ægrotanti placuerit. RENA. Erit magna pilularum copia? BRASS. Sint quotcunque, illas emito, & nostro præbeto stabulario famulo, qui pituitæ eductione indiget. RE. Tu statim aptissimum hominem inuenisti, ad hoc periculum faciendum, crastina dies nō exigetur, quòd ero expertus,

&

& omnia quæ contingent obſeruabo. B R. Diligenter obſeruato, neq; vnũ prætereas, vel minimum, ex his quæ poſt ſumptã ſarcocollam contingent, quod non obſerues, & ſcriptis mandes. Nitrum prætereà inter illa, quæ pituitam educunt, ab Arabibus numeratur, quod Baurach vocant. R E. Vſúſne es quandoque nitro? B R A S. Et frequenter, & diuerſó modo, vt audies. R E N A. Eduxítne? B R A S. Quis ambigit? nam materias craſſas educit, & ſimul etiam tenues, fortè craſſæ ipſæ ab eo attenuantur, & tali modo affectæ exeunt. Nam vt Gal. monet in 9. de ſimplicium medicamentorũ facultatibus, ſecat, & extenuat craſſos lentóſque ſuccos potentius multò, quàm ſal. Dioſcorides præbet illi vires ad ea, quæ euacuanda ſunt. R E N A. Tamen ab his authoribus non refertur, quòd aluum educat. B R A S S A. Non profectò, niſi in clyſteriis, ſed hoc eſt Arabum inuentum. per aluum verò educit, à drachma vna & ſemis, vſque ad drachmas quatuor. R E N A. Hoc à Meſue non dicitur. B R. De quantitate ſumẽda haud loquitur Meſue, ſed eſt illa, quã retuli, in iure drachmam vnam & ſemis adhibui, & craſſas materias eduxit, & quandoque mortuos vermes. nã mirum in modum vermes necat,

infinitis puerulis ad scrupulum vnum prębui,& vermes omnes interfecit. & ab aliquibus in aquam dissoluti,ab aliis mortui exiuêre, Aptior, ac melior sumendi modus in iure est,verùm quia ius hoc salsum efficit,iccirco zucarum miscere conuenit, & cinnamomum,vt gustui magis aptetur, aliquibus in vino adhibui,aliis in aqua aliqua vi ignis eliquata,vt ægrotanti conuenire deprehendebam. RENA.Correctione aliqua indigere non videtur. BRASS. Nulla prorsus,at solùm opus est saporem corrigere,illud vel iuri,vel liquori cupiam ex zucaro,cinnamomo, vel iuleb commiscendo,imò nonnunquàm hoc adhibemus ad alia corrigenda medicamenta, & ad illa roboranda. Cùm imbecilla sunt, pro puerulis ientacula nonnunquàm fieri iussi ex zuccaro, in quo nitrum imponeretur & placentulas.REN.Ex pasta?BRASS.Ex pasta,& in hac forma non solùm puerulis, sed & viris adhibui,& in rotulas ad pituitam educendam. sua caliditate humores attrahit, salsedine verò, quia insignitur, intestina ad vehementer excernendum extimulat,Itaque nitrum educere perspicuũ est,idem facit & aphronitrum, id est nitri spuma,quæ est nitri tenuissima pars, neq; arte paratur, vt nonnulli arbitrati sunt.

Idem efficiunt omnia salis genera, sed inter ipsa aliqua magis, aliqua minus hoc efficere possunt, à Gal. notatur victus genus Alexandrinorum, quod in prima mensa ex salsis erat ad deiectiones facere, hoc verò notauit in Aphorismis, muriam piscium adhibui ad duas vncias, & pituitam eduxit, experientia ipsa hoc ostendit, veruntamen hæc de naturali nitro dicta sint, & de naturalibus salibus, at nostro tempore nitrum adest artificio cõfectum, quo solùm vtuntur ad pulueres ignem facilè recipientes, pro bellicis machinis accẽdendis, verùm & hoc arte factum nitrũ educit. R E. Arbitror non fuisse apud antiquos eiusmodi nitrum. B R. Quicquid sit, educit, nam ex salsuginea terræ parte per artem extruditur. R E. Sumpsistine de hoc experimentum? B R. Non sumpsi data opera, sed audias quid Romæ viderim. 1535. cùm in vrbe per multos dies cum Illustriss. Duce nostro immorarer, qui Paulum III. Pontificẽ Maximũ visitatum iuerat, Germanus quidam, Romæ egrotabat, qui fratrem habebat probum virum, & mihi pernecessarium, orauit me vt fratrem visitarem, libenter illuc accesi, & ægrotantem inueni puluerem quempiam nigrum in ligneo orbe habentẽ, & insuper cyathus

aderat nigerrimo vino plenus, pulu erem hunc in vinum iecit,& totum exhausit, interrogaui quínam esset puluis,& quid per illius sumptionem expeteret. R E. Quid, respondit? B R A. Puluerem illum ex eo esse, quo i bellicæ machinæ ferreas pilas emittũt, accepisse verò vt deiiceret, in cubiculo ignis aderat prunam supra ligneum orbem imposui, crepitare cœpit, ac ardere, quia nonnulla relicta erant pulueris granula in ora, & sulfur redolebat, vt plenè deprehenderem illius generis puluerem extitisse interrogaui, quantam pulueris deuorasset copiam, ipse retulit, quòd absque mensura acceperat, quantum pugillo capere poterat, arbitror ab vncia nõ magnopere defuisse, ego quid futurum esset, diligenter obseruare constitui. R E. Hoc audire vehementissime aueo. B R A. Totum illum diem apud hunc Germanum consumpsi, post tertiam à sumpto puluere horam deiicere cœpit. R E. Quoties deiecit, si memoria habes? B R A. Decies, & nouies & in maxima pro singula vice copia, dũmq; primis vicibus stercus exiret, canebat, stercoreas emitto glandes. R E. Quos tandem deiecit humores? B R A. Vniuscuiusq; generis, nam aderant stercora, pituitæ in magna copia, & biliosi ichores. R E N A. Omnes igi

tur

tur sales aluum subducunt. B R. Subducunt prorsus. R E. At qua vi puluis hic bellicarum machinarum subducere potest? B R. Arbitror id effecisse nitri ratione, & non alterius simplicis, compositionem ingredientis, nam duo alia simplicia huius pulueris compositionem ingrediuntur, sed nō educunt. R E. Quæ'nam sunt? B R A. Sulfur, & carbo, fortè verò sulfur suæ caliditatis ratione, aperit, ac attenuat, carbo verò hęc efficere nequit, nã aliôqui adstringit. R E. Audiui & huic pulueri ardentem aquam addi. B R. Non additur diuerso pulueri, sed illi tantùm, qui finus, id est exquisitus vocatur, quo sic vtuntur, qui machinas bellicas incendunt, supra paruum foramen, vt puluis ille faciliùs accēdatur, qui in machina continetur, glánsq; impetuosè emittatur, verùm neque ardens aqua ventrem educere potest, tamen aperit, & attenuat, vt necessariũ sit totam eductionis rationē nō in nitro fuisse artificiali, sulfure tamen, & aqua ardente opem ferentibus. R E. Omnes igitur sales ventrem educere apti sunt? B R A. Experientia id testatur, & ammoniacum sal id præ cæteris præstat. R E. Non putarem nostrum vulgare sal hoc efficere posse. B R A S S. Nónne & ipsum stimulat, ac mordicat? si ex nostro vulgari

sale, balanum tibi imponi iusseris, an educat & stimulet experiméto percipies, imò Dioscorides de aqua marina ex quo conficitur, ait, ventrem turbare, & pituitā educere, & de thalassomeli dicit, quòd idem efficit, sed blandiùs. RE. A salibus iam digrediamur, nónne & bene pituitam per ventrem educere potest? BRA. Et etiam per vomitum, nam à Mesue dicitur per vomitum, & ventrē pituitam crudam, ac crassam educere, præbétque à semidrachma ad drachmā vnam, & semis. REN. Nónne est apud antiquos μυρεψικὸς βάλανος, id est vnguentaria balanus? BRA. Illa inquā est, qua & nostri temporis myropólæ balaninum oleum conficiunt sed not, quidem inodorum, sed quod facilè odores omnes recipiat, Galenus drachmam carnis ipsius ex melicrato præbet, & inquit, inde experiri per vomitum educere, imò & quandoq; per aluum vehementer educit, vt hinc colligi posśit in aliquibus vomitum prouocare, in aliis per aluum educere. REN. Es'ne hoc balano vnquàm vsus? BR. Quid petis, si vnquàm sim vsus, cum millies experimentum sumpserim, & diuersis modis. RE. Dioscorides & ipse vomitum commouere dicit. At illi potius attribuit, quòd aluum subducat, nam dicit aluum soluere

ex aqua mulſa, veruntamen illam facit ſtomacho valde contrariam. BRA. Hanc ob cauſam ego nunquàm myrepſica balano ſola vſus ſum, neque in tam pauca copia præbeo, aut præbui, vt Gal. facit, tamen neque fieri vidi euacuationes modum excedentes. RENA. Cùm ſit amara, ſtomacho potiùs conferre videretur, ſi vnà nonnihil ſtypticitatis haberet. BRA. De carne verum eſt, quòd ſtypticitate caret, at corticem aliquid ſtypticitatis habere, authores teſtantur, & præſertim Dioſcorides. REN. Modos quibus illam præbuiſti edoceto. BRA. Primò iuſsi ſimplicia grana excorticata ad drachmas duas edi, ſed in zingiberis puluerem cinnamomi, & ſalis gemmæ inuoluebantur. REN. Nónne ſunt amara? BRAS. Sunt amara prorſus, ſed multi etiam aloëm maſticant, quæ longè amarior eſt, & rhabarbarũ eodem modo à multis eſitatur, cùm tamen amarum ſit; adde puluerem, quo inuoluitur balanus amaritudinem mitigare. REN. Ego potiùs augeri arbitrarer, quia harum rerum puluis illam potiùs penetrare facit. BRA. Imò potius illam ſopit; nam ſenſus ab illis acribus quodammodo ſopiuntur, & ipſamet ſuũ imprimunt ſaporem, vt amaritudo nõ tantùm amara ſentiatur, ſed aliarũ rerum

acredo superet. R E. Induxerétne nauseã? B R. Minimè, imò nec tantillum stomachũ ad vomitum cõmouêre. R E. Quid eduxêre? B R A S S. Et fæces & pituitam copiosé. R E N A. Quo alio modo vsus es? B R A. Balani carnem cõtundi iussi, zingiberémq; , cinnamomum & sal gemmæ misceri, placentulásque addito zuccaro fieri, quarum vnaquæque receperat

Balani Myrepsicæ ʒ ij.
Zingiberis
Cinnamomi
Singulorum ℈ vj.
Salis gemmæ ℈ iiij.

Misceãtur: posteà iussi, vt vna aderetur placentula, & eodem eduxit modo, vt fecerat, cùm simpliciter illam adhibui, itaq; condita minus videtur amara, eadẽmet eduxit, nõnunquàm iussi, vt ex mulsa aqua biberetur, vt Dioscorides præbere docuit, & hoc etiã modo haud mediocriter eduxit. R E. Præbuistíne alio modo? B R. In formã catapotiorum præbui, cùm prædictis pulueribus, & in eclegmatis formã, sempérq; eodem modo eduxit. R E N A. Euariastíne quandoque quantitatem? B R. rarò, tamen potius augebã in adultis, in puerulis drachmam haud excedebam, veruntamen & eius expressõ, vel succo, vel oleo ad eua-

cuan

cuandum vsus sum, neq; vehementius eua cuauit, quàm faciat huius seminis substantia. REN. Arbitrabar, cùm oleum sit pinguissima huius balani pars, vehementius educere posse. BRAS. Tamen experientia ostendat haud magis educere, imò potius minus, fortè crassiores partes illæ sunt, quæ eductionem parant, oleum verò est tenuior pars. REN. Quantam olei copiam adhibuisti? BRAS. Ad tres & quatuor drachmas hoc modo commiscendo vt minus sentiretur amaritudo, & ne ventriculo obesse posit.

℞. Olei balanini ℥ iij.
Zingiberis
Cinnamomi
Anisorum
Singulorum ʒ viij.
Salis gemmæ ʒ iiij.
Iuleb violati ℥ j.

Misceantur. RE. Educebátne pituitã? BR. Pituitam quidem, & non mediocriter, tamen & cum aliis simul excrementis, & humoribus, omnibus ferè displicebat. REN. Non dubito. BR. Et quod in hoc oleo vtilissimũ existit, est, quòd post eductionem lubricam aluum sinebat, & hoc per dies aliquot. RENA. Træbuistine in alia forma? BRAS. In decoctione hoc modo.

Bala

℞. Balani vnguentariæ ℥ ß.
Mentæ
Absynthij
Singulorum M. ß.
Zingiberis
Cinnamomi
Anisorum
Singulorum ʒ ij.
Salis gemmæ ℈ ß.

Misceantur:& bulliat in sufficienti quãtitate aquæ secundũ artem, postea ex hoc decocto tres vnciæ bibantur, vsq; ad sex, magnam pituitæ copiam absq; molestia educit, hi sunt modi, quibus vsus sum balano myrepsica, id est, glãde vnguẽtaria. RE. Ad alia igitur te cõferas. BRA. Vsus sum etiã cartamo ad pituitam educendam. REN. Nonne illud est, quod cnicum à Græcis vocatur? BRA. Id inquam, quod impræsentiarum cartamum corrupto vocabulo nuncupatum est, & hoc etiam egregiè educit, neque vllus est, qui vel pauxillum dissentiat. RENA. Legi Arabes ita dicentes, imò & addentes pituitam per vomitum educere. BRA. Vomitum quidem inducit, si per se sumatur. Verùm eo modo quo ego prębeo, non vomitum quidem, sed neq; nauseam mouet, nam semper odoratis cõmisceo, & os ventriculi roborantibus. REN.

Diosc

Dioſcorides non meminit, quòd pituitam educat, ſed ait quòd ſuccus eius ex aqua mulſa, vel iure gallinaceo potiùs aluum ducit, & deinde emollire dicit. BRAS. Et Gal. in 7. de ſimplicium medicamentorum facultatibus libro ait, cnici ſemine duntaxat ad purgationes vtuntur. RENAT. In quinto etiam ſalubrium libro idem Gal. cnicum ſenibus præbet, & in hac ætate ipſum aloë præfert, in purgando. BRAS. Ex his tamen humorem quem euacuet, minimè refert. præter Meſuem verò, Auicennam, ac Serapionem, Auerrois ait, eſſe nobiliorem medicinis omnibus purgantibus, additque pituitam euacuare abſque timore. REN. Quid euacuari à cnico percepiſti? BRAS. Ex omnibus ferè humoribus euacuatum percepi, ſed potiſſimùm pituitam. REN. Quibus modis præbuiſti, & quam partē? BRAS. Seminibus tantùm vſus ſum, & nulla re alia de cnico, iuſsi ſemina præduris corticibus emūdari, poſteà drachmas duas accipi, ex maſtiche, zingibere, & cinnamomo maſticādo. REN. Hi, qui maſticabant, pſitaci videri debebant. BRAS. Si cortices habuiſſent, forte pſitacis ſimiles viſi eſſent, cùm eiuſmodi edunt grana, at cochleari edebant. R.E. Eduxerēne? BRAS. Et amplè fęces, ac pituitā. REN.

Mesue præbet ab vna drachma vsque ad aur.ij. BRASSAV. Ego semper in adultis drachmas duas educere expertus sum, in minoribus natu drachma satis est. RENA. Tamen & eiusmodi granum amarum est. BRASSA. Est potius subamarum, nam est amaritudo nõ vehemens, quam zingiber, & cinnamomũ sopire possunt, cauendum verò ne rancida sint eiusmodi grana aliter ægrè educũt, nec thoraci conferre possunt, ego carthamo potissimũ vtor, cum à thorace, & pulmone pituita educẽda est, sicuti & myrepsica balano vtor cùm idem agendum erit, nõnunquàm in placentulas præbui, quæ ex cnici excoriatis granis, & pinsis erant confectæ mastiche addito, cinnamomo, zingibere & anisis. REN. Ad quantam copiam erant hi pulueres? BRASSA. Carthamus erat ad duas drachmas, pulueres verò ad sex grana singulorum, his placentulis nõnunquàm addi zuccarum præcepi & his qui sumpsere sapiebant, nonnunquam iussi grana excoriata contundi, & ex eisdem pulueribus in aqua mulsa bibi. RENA. Quanta erat cnici quãtitas? BRASSAV. Quantam superius enarrauimus, ex granis succus quidam oleagineus exprimitur, pinguis, quẽ præbui ad drachmas tres cum prædictis pulueribus, & pituitam

tuitam eduxit, ac alias materias quę in venis continebantur. præbui etiam horum granorũ decoctum hoc modo. primò iussi vt cum corticibus crasso modo contunderentur, postea ita agendum institui.

℞. Granorum cnici contusorum ℥ ß.
Mentæ
Pulegij Stæcadis
Singulorum M ß.
Anisorum
Zingiberis
Cinnamomi
Singulorum ℈ ß.

Misc. & bulliant in sufficienti quantitate aquæ secundũ artem, postea tres vnciæ huius decocti zucaro dulcorati bibantur.

REN. Vehementer educere dicunt. BRAS. imò mediocriter eduxere, & nonnullis quatuor vncias adhibui, plerunque in iure pulli ebullire iussi, vt Dioscorides facit.

RENA. Præbuistíne alio modo? BRAS. eo modo præbui, quo Dioscorides fecit, cũ iussit fieri coptaria. REN. Quid intelligit per coptaria. BRAS. Placentæ genus.

RENA. Quónam modo conficiebat Dioscorides coptaria? BRAS. Hoc modo.

℞. Cnici albi
Anisorum
Singulorum sextarium.

Amygdalarum tostarum expurgatarum cyathos tres.

Aphronitri. ℥. j.

Ficuum siccorum triginta carnem.

Ex omnibus his medicamentum illud cōponis, scito verò cyathum continere quatuor parua mistra, mistrum verò paruum, quod & ciclum vocabatur, duo cochlearia continebat, cochlear verò dimidium denarium pendet, at denarium, drachmam vnā & semis pendet, vt cyathus drachmas sex contineat. REN A. Erunt ergo amygdalæ tostæ, & purgatæ drachmæ sex. BRAS. Ita erunt in Dioscoridis coptario. REN A. At quę nam quantitas est sextarii? BRAS. Quidam volunt decem & octo capere vncias, alij viginti, alij sexdecim, ego singulorum octo vncias solum accepi, & etiam addidi mellis despumati quātū erat satis. REN. Et Dioscorides mel apponit. BRAS. Ob hoc & ego apposui, verùm & ex zucaro fieri quandoq; iussi. REN. Illi forte cōpositioni assimilatur, quæ vulgò Copeta vocatur, ac si Coptariū dictū sit. BRAS. Inde nomen deductū esse non dubito, tamen diuerso sit modo. REN. Hi ergo sunt modi quibus vsus es cnico semine? BRAS. Sic inquam & non plures, nonnunquā verò ad eandem pituitam educendā minoris ser-

pentariæ radice vsus sum, quã Arabes pituitam educere dicũt,& iuxta Gal. in libro de alimentis edendo est, tamẽ neque Dioscorides, neque Galenus, neque quispiã alter ex Græcis purgatoriã vim illi attribuit. REN. Imò Gal. vim purgatoriã illi inesse fatetur, quia inquit à Dracũtio viscera expurgari. BRAS. Idem dicit Paulus Gal. secutus, at non intelligunt de purgatione illa, quæ est per secessum eductio, sed de illa, quæ est obstructiones aperire & vias reserare, nam Gal. ait, quòd precipuè crassos, & tenues humores attenuat, hoc verò non est per aluum educere. RENA. Tamen à Plinio scriptum est, folia ex sale & aceto insumpta aluum inanire. BRAS. Multi sunt, qui folia edunt, & tamen nõ educunt, iussi quandoque ex oleo edi folia in acetario, & minimè eduxere, ventrem verò cõmouere, fortè si in maiori essent exhibita copia eduxisset, radicem & crudã, & coctã præbui in acetario, ex zingibere, pipere, ac cinnamomo, pauca copia non educit, eo potissimum vsus sum ad pituitam à renibus & vesica trahendam, & etiam à thorace. RENA. Subduxitne huius generis materiã? BRAS. Haud probè, iccirco ipsius vsum prætermisi, sum & daphnoide vsus, & pituita mirè subducta est, foliorum so-

ſolam drachmam præbui in puluerē redactorum, ex iure, in quo ebullierint, endiuia, portulaca, & lactuca. REN. Nonne eſt illud ſimplex medicamentum, quod aliqui putant apud Arabes laureolam eſſe, alij mezereon? BRASSAV. Illud inquam eſt. RENA. Folia præbuiſtine integra, an pinſa? BRAS. Pinſa. REN. Arida igitur eſſe debebant. BRAS. Arida erant, à Dioſcoride tamē dicitur pituitoſo folio recenti, & arido exigere per aluum. REN A. Præbuiſtine vnquàm folium recens? BRAS. Nunquàm, ſed ſemen pro euocando ſputo maſticari feci, & à capite mirificè educit, ac circunſtantibus partibus: at ille qui maſticauit, ob ardorē lactucas maſticare coactus eſt, & os ob ardorē in ore, lingua, & faucibus derelictū frigida aqua ſexcenties abluere. RENA. Et à Dioſcoride hoc dicitur foliū maſticatū pituitas extrahere? BRAS. Arbitror ſemen eſſe folio vehementius, tum & foliū vehementer iuuat. Arbitror Dioſcoridem pro pituita educenda nūquàm maſticaſſe. REN. Satis eſt alijs imperari potuiſſe, vt maſticarēt. BR. Hoc eſt ferè medicorum munus, aliis imperare vt illa faciāt, quę ipſimet in ſeipſis nō exercerent. REN. Arbitror hoc nō eſſe probi medici munus. BRAS. Non eſt prorſus, nam probus me-
dicus

dicus nihil præbere debet, quod ipse si ægrotaret, eóque indigeret, non acciperet, tamen prouerbium circunfertur medicos illa adhibere; quæ pro ipsis nō acciperent, & aliis pro obolo cōsilium adhibere, quod pro centum aureis ipsi non acciperet. RENA. Hæc missa faciamus, & ad rem ipsam reuertamur. BRAS. Nonnulli arbitrati sunt omnia resinarū genera, & piciū & colophoniam, pituitam educere posse. REN. E'stne verum? BRAS. Vigeties expertus sum, neq; inueni, quòd vel mini mū pituitæ educerent, tamen in copia sumpta aluum quidem emollire videtur. RENA. Et hoc à Dioscoride notatur. BRAS. Masticata verò, & ex melle sumpta, vel alio simili per os pituitā educunt, vt mastiche, quanquàm Aetius libro octauo capite 67. in pleuritide moneat esse aluū emolliendā ex nouem scrupulis masticheś tenuissimè triti, ex aqua, aut lactis aqua, sed deinde vult octo amygdalas excoriatas esse superingerendas, & deinde calidam aquā superbibendā. RENA. E'sne hoc expertus? BRAS. Nunquā experiri volui, quia rationi repugnare videtur, tamen ab hoc viro refertur; nisi de educenda aluo tam planè ab Aetio exprimeretur, intellexissem, per os eruptūram pituitam, Galenus in octauo de

simplicium medicamentorũ facultatibus libro, picem præbet cum melle ad educendas è thorace materias. Hoc verò intelligere oportet per os expuendo, non autem per secessum. De aliquibus autem resinis, vt de Sarcocolla, serapino: superius docuimus nos illas expertos esse. Verùm enumeratæ resinæ vt terebinthi, pini, piceæ laricis per aluum pituitam minimè educunt, licet aluum emollire possint, terebinthinam nonnullis adhibui per quadraginta dies singulo mane ad duas drachmas, aluum quidem molliorem reddidit, pectoris affectus abstulit, obstructiones aperuit, & vrinam prouocauit, tamen per aluum nõ eduxit, vt catharticum dici possit, imò in multis erat laricina, & non vera terebenthina, naualem picem nũquàm exhibui ad hunc finẽ, vt experirer, an ventrem subduceret, sed ea plerunque extrinsecus vsus sum. fertur, & de bdellio perlucido, ac flauo, sed potissimùm de arabico quod pituitam educat, at hoc neque à Dioscoride, neque à Gal. scriptum est. RENA. Nónne & hippophæstum pituitam educere aptum est? BRAS. A' Dioscoride quidem dicitur succũ foliorum siccatum præberi ad aquas cõtra pituitas, si tribus obolis exhibeatur ex aqua mulsa, at à Diosco-

ride nō exprimitur quòd educat, quia multa contra pituitas valent, quæ non educunt, & prætereà per os educere posset. Nam Dioscorides ait in comitialibus maximè valere, imò adde, an herba illa, quam pro hippophæsto habeo, hippophæstum sit, adhuc sum anceps. RENA. De hyssopo montano quid sentis? Nam recentiores inquiunt pituitā educere. BRASSA. Idem iudicium facio de mōtano hyssopo, quod de hortensi faciebam, hoc solum mō neo efficaciorem esse mōtanum. RENA. Audiui & scordeon pituitā educere. BRA. Eo frequentissime vsus sum ad puerorum vermes abigendos, hos mirum in modum necat, aquas expurgat, & ea quæ in intestinis cōtinentur ipsius pulueris drachma insumpta, puerulis scrupulū præbeo, & educit, ipsius decoctum, vel recens, vel exiccatum sit, in quo maniplus in aqua ebullierit ex melle eas educit quas retuli materias, forte à vi herbæ vermes eliquantur. possunt verò ab vnciis quatuor huius decocti vsq; ad sex bibi. RENA. Quódnam efficacius est recens, an siccum? BRAS. Recens efficacius est. RENA. Vbi Scordion in Ferrariensi agro reperisti? BRAS. In Illustriss. Ducis nostri Leporario, tāta adest huius herbæ copia, vt totā Italiam im-

plere poſſet, ad eoſdẽ vſus bryo thalaſsio hoc eſt vocata corallina vtor, vẽtrem educit vermes necando, & materiæ, quæ exeũt aquoſæ ſunt, fortè eſt pituita craſſa, ex quã vermes gignuntur, quæ huius medicamẽti vi attenuatur, eodẽ modo in puluerẽ præbeo ex iure, vel aliqua aqua ad drachmam vnã, in decocto etiam educit, puerulis puluerẽ præbeo ad ſcrupulũ vnum, verméſq; necat, atq; educit, idem experimentũ exercui in ſementina vocata. RENA. Eſt'ne illa, quam nõnulli abſynthij Seriphij ſemen eſſe arbitrati ſunt? BRAS. Illa inquam, quæ vermes necat, atq; educit, interim verò dum vermes educuntur, multæ aliæ exeunt materiæ, & potiſsimùm liquidiores. RENA. Audiui & cucurbitæ radicem, atq; vrticæ pituitam educere. BRASSA. De cucurbita experiri volui, quia à Dioſcoride ſcriptum eſt, decoctæ verò vniuerſæ ſuccus cum exiguo melle, atq; nitro potus aluum modice liquat, ita eſſe reperi, aluũ ſcilicet emollire, nõ tamen pituitã attrahere: communes fæces exiuere, & quæ in inteſtinis, ac ventriculo continebãtur. At dicere poſſes, hoc etiam contigiſſe ratione nitri, ac mellis, ſed hoc nõ negamus. Verùm de radicis ſucco (quia Dioſcorides de ipſius cũ cucurbitæ ſucco locutus eſt) huius generis

experimentum sumpsi, aliquæ sunt amaræ cucurbitæ. RENA. Hoc in minutalibus plerunque expertus sum. BRASSA. Illæ, quæ amaræ sunt, amaram etiam habent radicem, harum succum větrem soluere arbitratus sum, iccirco succum hunc præbui ad vnciam integram ex melle despumato, vt dulcoraretur, & ex modico cinnamomi & zingiberis ad os ventriculi roborandum, fortè ob amaritudinem qua infectæ sunt, aliquid habent cōmune cum colocynthide. Adhibui verò dulcis cucurbitæ radicis succum ad duas vsque vncias, tamen non eduxit, neque ventrem vel tantillum commouit, fortè in maiori copia eduxisset, quod etiam credere nō possum, quia frigidas habet & humidas vires, ac insipidissimum succum. RENA. Iussistíne hunc succum decoqui, vt Dioscorides facit? BRASSAVOL. Decoqui non iussi, sed præbui, vt à radice expressus fuit, melle addito, zingibere, ac cinnamomo. Arbitror verò coctūram aliquid potiùs virium eductricium auferre, quàm addere. RENATVS. Hoc rationabile videtur, quòd amaræ cucurbitæ radix educat. Adde, si Dioscoridis modo cucurbitæ amaræ succus ex melle, & nitro coquatur, magis educturus, quàm succus dulcis facturus

sit.

sit. De vrtica verò an pituitã educat, ignoro. at aluum emollire scio, imò à Dioscoride dicitur, difficilem ventrem folia cum conchulis decocta molliunt; verùm conchulæ ipsæ nonnihil habent salsuginei, quo ad excernendum proritant, quãquam dici posit hoc de herba ipsa à Dioscoride scriptum esse, de semine verò, id est quod circunfertur, pituitam, scilicet educere. REN. De Aristolochia quid sentis? BRAS. Scio à recentibus nonnullis pituitam educere moneri, verùm an aliquid educat incertus sum, cùm nullum de ea fecerim experimentum, constat verò apud Dioscoridem & Galen. inter illa, quæ purgant minimè enumerari. RENA Facilè poterimus de ipsa experimentũ sumere. BRASSAVOL. Id cras fiat, ne diutius retardemus. RENA. Vt iubet. Fortè verò qui de Aristolochia hoc dicunt, quòd scilicet pituitã educat, id ob Gal. dicunt, qui in sexto de simplicium medicamentorum facultatibus libro inquit, Aristolochiæ radicem multò esse ad medicamenta vtilissimam. BRAS. At non dicit ad medicamenta cathartica, & ad euacuationes, quæ per aluũ fiunt. RENA. Piretrum quoque pituitæ eductiuũ facere videntur recentes. BRAS. Per os verum esse fateor, non autem per

aluum,

aluum,nam Dioscorides dixit, & ad pituitam oris siccandam tenetur in ore commanducatúrque; hoc ego frequenter iubeo his,qui pituita in capite abũdát,vt pyretrum masticent, quo pituita ad os elicitur &facilè expuitur,vnde & à Romanis herba saliuaris vocatur,à saliua quam copiosissimè excitat, hanc eandem radicem illis præbeo masticandam,qui multum expuunt,vt id expuendi negotium acceleremus,& id citius expuant, quod in magno expuerent spatio. RE. Medicus plerunque ita facere debet, accelerare, scilicet morborum &actionum consistentias,vt finem breuiùs assequantur. Ad pyretrum redeuntes,per ventrem igitur pituitam non educit? BRA. Minimè omnium,omnino si insumeretur, exiccaret, ac adureret, per os verò pituitam educere nulli dubium esse arbitror,imò ita ab ore educit,vt à natura ad hunc finem factum esse videatur. A Paulo etiam proditum est oleæ radicis corticẽ pituitam subducere. REN. Alia igitur prosequaris,quibus vsus es ad pituitã solã per aluũ educẽdã. BR. Thymbra à Dioscoride inter illa numeratur, quæ pituitã per aluũ eximunt,vt thymus etiã efficere potest, ex sale,scilicet & aceto. RE. Nónne & anemones radix inter illa quæ pituitã edu-

cunt à Dioscoride connumeratur. B R A S. Connumeratur quidem, sed inter illa est, quæ per os educunt, nam dicit Anemone radix commanducata pituitam trahit, hoc verò fit illam à capite trahendo, dum manducatur, idem à Plinio scriptum est, libro 20. cap. 23. at de succo ampelos leuces, hoc est vitis albæ, Dioscorides quidem dicit pituitam educere, & ego vsus sum tenuioribus cauliculis in acetario & pituitam educere expertus sum, & Plinius idem de radice dicit libro 22. capite 49. R E N. Idem iudicium facit in ampelo melana, id est vite nigra. B R. Et verum est iudicium quod medicos haud fallere potest, nam ita esse experientia constat, à Plinio etiam notatur lib. 20. capite. 14. mentam pituitas corruptas purgare in mulso, & aqua. R E N. Id facit per os. B R A S A. Per os omnino illam elicere posset, at per secessum educere non sum expertus. de Aegypti moris Plinius lib. 23. cap. 7. ait, quòd aluum soluunt & pituitas trahunt. R E. De his nihil ad nos, cùm in Aegypto non simus, nec huius generis mora habeantur, at expertúsne es lauri baccas quas eodem libro capite 8. pituitam coquere & extrahere prodidit? B R A S. Non sum data operâ expertus, sed pro capitis pituita educenda freque

quenter illis vſus ſum in ægrotis,quos cu-
raui,illam à capite mirificè educunt, arbi-
tratus eſt etiam Plinius ſemine tithymali
charatias ſale adiecto in potu pituitam
educi libro 26.capite 8. REN A. Arbitror
cruditates eſſe pituitoſos humores. BRA.
Sunt quidem pituitoſi, ſed etiam non pi-
tuitoſi,crudi dici poſſunt,tamen crudita-
tes ad pituitas potius ſpectāt,ſed quorſum
hoc petiiſti? REN A. Hęc fuit cauſa,cur pe-
tierim,quia à Plinio dicitur libro 27.capi-
te 7.abſinthium cruditates detrahere cum
ruta,pipere,& ſale,iccirco pituitam edu-
cet. BR. Superius bilē educere notatū eſt,&
hoc Plinius etiā cenſet eodē capite, quod
adduxiſti,fortè verò aliorū ſimpliciū ratio
ne cruditates detrahit. Nota verò crudita-
tes propriè eſſe ciborum nō autem humo-
rum. REN A. Ita arbitrabar. BR A. Imò &
quæ craſſa vocantur, pituitoſa dici poſ-
ſunt,hæc verò quæ craſſa ſunt, à Dioſcori-
de æris flore per aluum exiguntur. REN.
Memini me apud Aetium legiſſe chamæ-
leontis nigri radicem,quam & iſcoron vo-
cant pituitam educere. BR A. Non ſum ex-
pertus,neque etiam expertus ſum, quod à
Paulo proditum eſt,videlicet lauri folia vi-
ridia pituitam educere. REN A. Hæc bre-
ui experturus ſum. BR A S S. Imò ne præ-
ter

tereas, illas in puluerem præbeto ac in decoctum. R E. Ita efficiam, sed fertur & mororum maturorum succum pituitas pellere atque tineas. B R A. Imò & hoc idem de arboris radice scriptum est. R E. Et rhus erythros pituitam educere fertur, at his prætermissis ad illa quæ expertus es, sermonem vertamus. B R A S. Nihil prorsus mihi in mentem venit, quod sim expertus: veruntamen apud Serapionem scriptum est, granum Nil, quod habeh, & granum Indicum vocatur, per aluum pituitam subducere, & à Dioscoride proditum est apion radicem habere, cuius pars superior bilem per vomitum & inferior pituitam per inferiorem aluum educat. R E N. Putásne hoc esse verum? B R A S S. Arbitror fabulosum. R E N A. Multa alia à recentibus numerantur, quæ pituitam per aluum subducũt. B R. Nihil amplius extat (quod sciuerim) pituitam solam per aluum educens, præter illa, quæ à me superius enumerata sunt, & in vsum recepta. at non me latet multa à recẽtibus proponi, quæ pituitam euacuare dicunt, sed & alios simul humores subducũt, de quibus suis agemus locis, cùm illa pertractandi occasio præstabitur, quæ duos simul eliciunt humores, vel tres, vel quatuor, vel vniuersim omnes. R EN.

Sic ordo mihi summopere placet; reliquum verò est, vt de phlegmagôgis medicamentis compositis rerba facias. BRAS. Vt lubet, in publico vsu sunt pro educenda pituita pilulæ cochiæ, pilulæ de agarico, & Diaphinicon. REN A. Verùm huius generis medicamenta alios etiam educunt humores, nam cochiæ vocatæ pilulæ bilem, & pituitam educunt, eosdémque humores subducunt, pilulæ de agarico, idem quoque efficere potest Diaphinicon. BRASSA. Non me latet, verùm, vt de his loquamur quæ in publicis seruantur pharmacopôliis, si aliquid sit, quod puram pituitam educat, erunt trochisci Alâdaal, quanquam & ipsi præter pituitam bilem educere valeant, tamen primæ partes pituitæ præbentur. REN. Nihil ergo aderit, quòd solam pituitam absq; alio humore educere possit, quod in pharmacopôliis compositum seruetur? BR. Rarissima sunt, nā tātùm adsunt Diaturbith, & pilulæ de Sarcocolla. RE. Cupio impræsentiarum composita illa audire medicamēta, quibus vsus es ad solā educendā pituitam. BRAS. Hoc nonnunquā vsus sum in catapotiorū formā, quod phlegmagôgum facilè voco.

℞. Agarici

Myrobalanorum chebulorum

Singulorum ℈ ij.
Salis gemmæ
Aniforum
Amidis
Masticħes
Singulorum ℥ iij.
Misceantur:& ex Diaphinicone conficiantur pilulæ quinque.massam in pharmacopôliis seruari iubeo, & drachmam vnam vsque ad duas præbeo,facilè pituitam educunt,si verò quispiam sit, qui pilulas trāsglutire nequeat;quod sequitur phlegmagôgum facilè conficiatur.
℞. Agarici
Myrobalanorum chebulorum
Singulorum ʒ j.
Zingiberis
Aniforum
Salis gemmæ
Singulorum ℈ ß.
Misceantur:& infundantur in aquam saluiæ, vel amaraci vel Absinthij, ad sex vncias,per decem horas, posteà exprimātur, & expressum hoc solum zuccaro tantùm dulcoratum accipiatur;vel absque infusione,ita præberi potest in substantia.
℞. Agarici
Myrobalanorum chebulorum
Singulorum ℈ ij.

Zingiberis
Aniſorum
Salis gemmæ
Singulorum ℥ vj.

Miſceātur:& fiat puluis ſubtiliſsimus, qui in iure diſſoluatur, vel in aliqua ex prædictis aquis, vt ignis eliquatis. nonnullis eandem quantitatē præbui ex zuccaro in placentulam redactam, vel in vocatum morſellum. RENA. Fortè & mediocri vſus es nonnunquàm ad hoc propoſitum medicamento. BRASS. Imò eo vſus ſum, & hoc eſt quod ſequitur phlegmagôgum medioere nuncupatum.

℞. Agarici
Myrobalanorum chebulorum
Singulorum ℈ j.ß.
Turbith ℈ ß.
Salis gemmæ
Aniſorum
Maſtiches
Amidis
Seſelidis
Zingiberis
Cinnamomi
Singulorum ℥ iij.

Miſc. & ex aqua ſaluiæ cōficiantur pilulæ quinq;, quæ hora conuenienti adhibeātur. Si quis verò pilulas abhorruerit, hæc in

puluerem redigi debent,& ex aqua saluię, aut roris marini, aut amarici, aut ex iure recipiat. RENA. Nonne & in potionem infusum præbes? BRASSA. Hoc confici iubeo, quod mediocriter educit.

℞. Agarici
Myrobalanorum chebulorum
Singulorum ʒ j.
Turbith electi ℈ j.
Cartami ℈ ß.
Anisorum
Masstiches
Zingiberis
Gariophyllorum
Cinnamomi
Singulorum G̃ vj.

Misceantur & infundantur in vncias sex aquæ saluiæ per horas decem, posteà exprimatur,& expressum ipsum zucaro dulcoretur. Præter hæc verò, electuarium seruari facio, quod pituitam solam mediocriter educit, est verò hoc:

℞. Agarici ʒ vj.
Myrobalanorum chebulorum ℥ j.
Turbith electi ʒ iiij.
Cartami ʒ iij.
Anacardi ʒ j.
Hermodactylorum ʒ ß.
Zingiberis

Cinnamomi
Gariophyllorum ℥
Aniſorum
Mentæ
Abſinthij
Maſtiches
Maceris
Singulorum ℈ ß.
Salis gemmæ ℈ j.
Succi glycyrrhizæ ℨ ij.
Zucari quantum ſufficit.

Miſceantur,& conficiatur electuariũ ſecũdum artẽ, cuius ſumenda quantitas eſt,à drachmis duabus vſq; ad quinq;. RENA. Arbitror hoc debitè eſſe vehementiſsimũ. BRAS. Non eſt vehementiſsimũ,ſi in conuenienti copia ſumatur. Nam ſi in copia excederetur,vehementiùs omnino efficeretur. REN. Quæ erunt vehementiſsima phlegmagôga? BRASS. Illa,quibus plerunque vſus ſum, & ſeruari facio. RENA. Et hæc (ni pigeat) referto. BRASS. En refero,hoc eſt in catapotiorum forma:

℞. Pulpæ colocynthidis ℨ ß.
Turbith ℥ j.
Hermodactylorum ℨ v.
Anacardi ℨ ij.
Thymi ℥ iij.
Myrobalanorum chebulorum

Agarici
Singulorum ℥ I.
Euphorbij ℥ ß.
Camphoræ
Boli armeni
Aniſorum
Maſtiches
Zingiberis
Cinnamomi
Salis gemmæ
Amidis
Singulorum ℈ ß.

Miſceatur: & ex melle deſpumato, ac modico tragacantho maſſa conficiatur. REN. Quæ eſt huius compoſitionis quantitas exhibenda? BRASS. A ſcrupulis duobus vſque ad drachmas duas. REN. Qui duas inſumũt drachmas excernere debent vſq; ad inteſtina. BRAS. Cùm ad hanc quantitatem peruenitur, iam expertus eſt multa alia vehementia non eduxiſſe, & eſſe ruſticum robuſtum, & qui etiam Gallica ſcabie laborat, tunc à penitioribus corporis partibus pituita educitur. Eandem compoſitionem (melle ablato) in puluerẽ redigi iubeo, & in iure præbeo, vel in aliqua aqua vi ignis eliquata, vehemẽs etiam electuarium parari moneo ad ſolam pituitã per aluum exigendam. RENA. Quonam modo

do? BRAS. Isto qui sequitur.
℞. Turbith ℥ j. ß.
Pulpæ colocynthidis ℥ j.
Hermodactylorum
Anacardi
Singulorum ʒ vj.
Myrobalanorum chebulorum
Agarici
Singulorum ʒ v.
Euphorbij ʒ j.
Anisorum
Fœniculorum
Zingiberis
Cinnamomi
Camphoræ
Absinthij
Rosarum rubrarum
Masticbes
Gariophyllorum
Mentæ
Singulorum ℈ ß.
Conseruæ ex floribus saluiæ ℥ vj.
Mellis quantum sufficit, vt in tenelli electuarij formam reducatur. REN. Dicitur præberi posse in maiori copia, quàm pilulæ. BRA. Imò à drachmis quatuor vsq; ad octo, exhiberi conuenit. REN. Si octo sumãtur drachmæ, vehementissimè educere debẽt. BRA. Vehementissimè, iccirco non

exhibetur nisi rusticis robustissimis. RENA. Vsúsne es aliis compositis phlegmagôgis? BRASSAVOL. Infinitis aliis, obiter vsus sum ex duobus simplicibus, vel tribus pituitam educentibus, vt tunc mihi commodum videbatur, at illa nõ sunt afferenda, quia numero carent, neque hæc numero comprehendere conuenit. REN. Superest igitur vt de Melanogôgis verba faciamus. BRASSA. At prius notandum est, multa esse pituitæ genera, salsa inquã, insipida, dulcia, vitrea, acida, gipsea: omnia autem genera prædictis educuntur medicamentis, sola salsa, & illa pręsertim, quæ ex miscella ichoris biliosi & pituitæ talis fit saporis, eductione indiget medicamenti cuiuspiam ichores biliosos educentis medicamentis pituitam educentibus iuncta. Plerunque syrupum rosaceum solutiuum cõmisceo ad hunc finem, quando salsa pituita subducenda est. RENA. Hoc prætereundum non erat, nunc rem ipsam de Melanogôgis aggrediamur.

*

De

De medicamentis tam Simplicibus quàm Cõpositis atram bilem solam euacuare potentibus.

CAPVT III.

BRASSAVOLVS.

DE melanogôgis acturi, ab his incipere visum est, quæ cõmunia sunt, atq; facilia. RENA. Imò à simplicibus exordiri oportet, vt præscriptus ordo seruetur, & de his solùm agendum est, quæ tu ipse expertus es. BRAS. Et de his solùm agere animo est, nam illa, quę non sum expertus præterire decreui, quoniam illa quæ tibi dicturus sum, firma ac stata esse iudicato. RENA. Nec liceret patrem erga filium mentiri. BRAS. Imò cùm nulla in re mentiendum sit, in illa autem potissimùm à mendacio abstinendum est, in qua de humana vita agitur, ac salute. RENA. Illum & in Deum & in homines peccare arbitror, qui de medicis rebus mentitur. BRA. Lingua igitur tua fili, ne vel iota vnum labatur, sed vera semper proferat, ac fateatur, & hoc non solùm in arte ipsa medica, quæ diuina est, sed & in aliis omnibus rebus. nã Deus qui omnibus præest, omniáq; cognoscit, impiorum cõsilia & mendacia

destruit. REN A. De his hactenus, nam à Dei præceptis nunquam discedere statui, qui ait: Noli mentiri. Ad rem verò ipsam reuertamur. BRAS. Primum quod millies expertus sum, & solum, & in compositione, est Myrobalanus indus, cuius vis est nigram bilem attrahere, si adhiberi possunt in catapotia ad duas drachmas, quæ catapotia ex diacatholicone conficiantur, vel puluis ille in iure bibatur, vel in aliqua aqua ex his quæ vi ignis eliquatur. REN A. Educúntne amplè hæ duæ drachmæ? BRAS. Imò modicè, vt quandoq; addiderim salis gemmæ ℈ v. vt aluus ad excernendum proritaretur. REN. Præbuistine decoctum? BRA. Præbui, sed in maiori copia, quandoq; etenim in iure decoqui iussi, & nonnunquam quatuor drachmas accipi, nonnunquam sex monui, de inde huius iuris sex vnciæ supramodum non educebant, & in ebullitione cinnamomũ, similiter zingiber ebullire feci, ne obstructionem inducerent, quandoque in infusionem hoc modo imposui.

℞. Myrobalanorum Indorum ℥ v.
Zingiberis
Cinnamomi
Salis gemmæ
Singulorum ℈ ß.

Miſceantur & infundantur in ſex vncias aquæ fumi terræ per decem horas, poſteà exprimãtur,& expreſſum hoc zuccaro dulcoretur,ac bibatur,nonnunquàm adhibui in caprini lactis ſero,nõnunquàm bubuli, & hoc modo in ſubſtantia bibi iuſsi:

℞. Myrobalanorum Indorum ℥ iij.
Zingiberis
Cinnamomi
Singulorum ℈ j.
Salis gemmæ ℈ ß.
Seri ℔ j.
Miſceantur & calidum bibatur.

RENA. Eduxítne? BRASSA. Et non mediocriter.primò materias atras,poſteà pituitam craſſam ac glutinoſam,ſimúlque biles aderant, atque ichores, niſi id,quod ichor videbatur, ſerum fuiſſet, nonnunquàm iuſsi fieri caulium ſuccum ad quatuor vncias,in quo duas myrobalanorum Indorum drachmas cum prædictis aromatibus imponi iuſsi, & atram bilem haud mediocriter eduxêre. REN. Forte & cauliũ ratione ſubductio facta eſt,nã paſsim fertur hunc ſuccum atrã bilem educere. BR. Fertur quidẽ, ſed non à probis viris. nam Dioſcorides crudæ ſuccum emollire aluum prodidit: quòd verò nigra educat haud ſcripſit,imò neq; hoc per ſe facit, ſed cum

cum iride,& nitro. R E. Es'ne hoc expertus? B R A. Sum. & percepi non tantum ventrē mollem redditum, quantum quòd nonnulla nigra eduxit. R E N. In quanta copia & quomodo præbuisti? B R A. Hoc modo:

℞. Succi caulium ℥ iij.
Pulueris radicis iridis ℥ j.
Nitri ℈ j.
Misc.

R E N A. Non mirum, si eduxerit, quoniā & iris, & nitrum vētrem excitare possunt, tamen atra nō educunt. At mirū videtur, quòd brassica atram bilē educere possit, cùm ex ipsa atra bilis generetur, & atræ bilis qualitates habet frigiditatē, scilicet & siccitatē. B R. Ne admiratione afficiaris, quia attractio illa à substātiali quadā proprietate fit, ac similitudine iuxta Galenū: quam tantò facilius habere potest, quantò manifestas humoris qualitates habet. R E. Hæc disputatio de humorum per medicamenta attractione nondum finem habet, quomodo, scilicet attrahant, an à similitudine substantiali, an à forma specifica, an à qualitatum similitudine, an quia medicamentum ita sit à Deo dotatum, an sit ex naturæ à medicamento vti veneno irritatæ motu, an alio quouis modo? B R A. Neque vnquam finem habebit eiusce modi

disp

disputatio: quoniam actiones, quas homo non videt, difficile est inuenire, quomodo fiant, sensu hos & illos humores attractos videmus, quomodo verò & à qua medicamenti vi sint attracti ignoramus: nunc verò tempus non est de hoc disserendi negotio, de quo & aliâs à nobis disputatum est, veruntamen & brassicæ iure ex oleo vsi sumus, & solo, & ex myrobalanis Indis, & atra etiam eduxêre, quando, scilicet cum indis fuit commistum. REN A. Legitur primam cocturam aperire, & ventrem commouere, secundam verò adstringere, imò & ab Aristo. ipso in problematibus hoc suadetur. BRA S. Omnes in hanc sententiã descendunt, primam brassicæ cocturam ventrem subducere, & non ob aliam causam, quam ob partes quasdam salsugineas ac nitrosas superficiales, quæ ex secunda coctura auferuntur, & hæc secunda coctura adstringit, si prima abiiciatur, & in noua aqua brassica decoquatur. nam Aristot. in problematibus ita fieri iubet. REN. Si diutius in eadem ebulliret aqua, amiteréte eandem vim educendi? BRA S. Amitteret prorsus, vt omnia illa faciunt, quæ longa non indigent coctione: tamen ego frequẽtissimè vsus sum brassicæ iure ex oleo: & prima coctura ad aluum emolliendam,

non autem ad atram bilem educendam, at de ipso in emollientibus verba faciemus. RENA. Audiui ozimi semen atram bilem educere: ésne expertus? BR. Expertus sum, vsque ad tres drachmas in puluerem redactas, & ex iure adhibitas, non solùm atrã bilem non eduxit, sed ne aluum quidem commouit, præbui & decoctum ipsorum in iure, & in aqua ad quatuor vncias, & seminum vncia in decoctione aderat, expertus sum & in infusione, educere non perce pi, neque aliquis quòd educat scripsit, quãquam Dioscorides dixerit, ozimi semen contra bilem atram, & difficiles quoq; vrinas bibi. At fortè intelligit contra bilem atram alterando valere, & non educendo, neque aliquid in hoc semine reperitur, cuius ratione atrã bilem educere dici possit. RE. Fortè est nigredo. BR. Neq; nigredo, neq; color alius educit. RE. Intelligo nigredinẽ, eductiuã qualitatẽ ostẽdere, quæ per similitudinem fit substantialem. BRAS. In mẽtem mihi venit, vt experiamur, an eiusmodi semina ex nitro & sale eduxerint. RENA. Tunc ratione propria non educent, sed ex horum miscella. BRAS. Nonnulla recipiũtur simplicia, quæ educũt quidem, sed imbecilliter, at si aliquo roborentur stimulante, tunc probè educunt, inter

illa verò, quæ stimulant, & medicamentorum vim augent, sunt sales, & potissimùm sal gemmæ, & sal nitrum, nunc sal iudaicum prætereo & alia genera à Mesue posita. RE. Nónne & ammoniacum sal idem efficere potest? BRAS. & vehementius etiam, eóque nonnunquam vtor. In proposito igitur ozimi semina sunt fortè in educendo tam imbecilla, vt ex his sint, quæ calcari indigent, & non fræno, hócq; pulcherrimum in salibus notandum est, cùm medicamenta imbecilla ad educendum adiuuant, illum humorem educendum adiuuant, qui est illius medicamenti proprius, vt si medicamentum bilem educat, sales ad bilem educendam adiuuant, si atram bilem, ad atram bilem educendam adiuuant, si pituitam, pituitam educendam adiuuant, & hic est proprius humor quem sales educunt, tamen alteri medicamento iunctum sal, quod alios humores educat, à sale pituita non educitur, & ratio esse potest, quia cum aliis medicamẽtis in pauca misceatur copia, vt solùm stimulare possit, & proprium humorem non educere. medicamenti verò, cui iungitur, vires augentur ad humorem sibi propriũ educendum. RENA. Iterum igitur ozimi seminibus ex melle, & nitro, vel salgemate

vel sale ammoniaco experiemur. BRASS. Nec ab re erit, vt in his rebus quæ humanam vitā adiuuare possunt, vniuersam diligentiam adhibeamus, origanum etiā talis naturæ esse constat, nā vt Dioscorides ait, atram bilem per aluum educit, sed calcari indiget, vt hoc probè efficiat. RE. Quomodo origano vsus es? BRA. Diuersis modis. Primò olerum modo in iure coctum addito in patera nitri scrupulo semis, iussíq; integram edi huius minutalis pateram, atrámq; bilem eduxit, nōnunquam coqui iussi ex aqua, oleo, & sale, & idem effecit. Aliàs in puluerem adhibui ad semiūciam in iure, idémq; fecisse constat, at quid mihi contigerit audito. domi meę elixos phasiolos pro minutali pararant, ego origani pugillum supra phasiolos sparsi, vt flatuosa horum leguminū natura exhauriretur, phasiolos vnà & origanū comedi, sexties vel septies fortè deieci, at quæ'nam essent materiæ non aspexi, liquida verò esse sentiebā; primò arbitratus sum deiecisse ob phasiolos, posteà cogitare cœpi, cùm millies phasiolos comedissem, id mihi nunquàm cōtigisse, iccirco noui fuisse gratia origani subductionē. RE. Fortè erat cretense origanum, quod vti piper ferè mordicat. BRA. Imò erat Cretense, ex eo quod

Excel

Excellentissimus ac probissimus Marcus Catarozus Cretensis ex vrbe Cidonia prȩceptor tuus, Ferrariam ad nos afferri curauit, cũ vir ille esset nobis cõtubernalis, cuius probi & sancti mores effecère, vt ipsius cognomini (dum illi doctoratus insignia præberem) agnomen addiderim, Partheniũ, scilicet vt deinceps vocatus sit: Marcus Catarozus Parthenius. at de Cretensium herbarũ exquisitiore natura, nihil attinet dicere, cùm à Gal. cæteris præferantur totius orbis herbis, & Cretam ipsam herbarum feracissimam nominauerit, imò cùm Romæ esset, Cretenses herbas Romam asportari iubebat, nostrates verò herbas Cretenses tam longè superant, vt breuia virgulta, à procerioribus superantur cupressis. RENA. Hoc in Cretensi origano expertus sum, nam à nostrate tantum differt acredine, quantum à cinnamomo piper. BRAS. Et ita in aliis rebus contingere arbitrandum est, quæ calidam habent, ac siccam temperiem, de frigidis verò ac humidis Cretæ non cedit Italia. Verùm cùm easdem vires habeat origanum onitis, cum nostro vulgari origano, quòd heracleoticum vocatur, & nos illud non simus experti, icirco de eo nihil agamus. RENA. Cùm inueniendi onitim otium

præstabitur, experiri poterimus, interim verò dicito num de pulegio experimentũ vnquàm feceris. BRAS. Et experimenta feci, & non semel, nam eisdem ferè modis quò de origano dictum est, expertus sum, ineptius ac infirmius educit, quàm origanum. RENA. Præbuisti ergo in minutali pulegiũ? BRAS. In minutali præbui, & ex nitro, ac cinnamomo, decoctúmque ipsius adhibui ex aceto & salgemma, & nonnuquàm ex nitro, adhibui & ipsius puluerem ad drachmas tres hoc modo in iure:

℞. Pulegij ʒ iij.
Nitri ℈ ß.
Cinnamomi ℈ j.

Misc. & fiat puluis subtilissimus. RENA. Educítne egregiè? BRAS. Egregiè quidē non, sed potius ægrè, & nigra quædam omnino educuntur, sed adsunt vnà & pituita, & ichores aliqui. REN. Omnia ferè ita faciunt. BRAS. Non omnes procedũt eodē modo euacuationes, sed illæ tantùm ita procedunt, quæ in euacuando suũ propriũ excedunt humorem, tunc enim pōstquàm proprium eduxêre humorem, & medicamenti vis adhuc non sit extincta, alij educuntur per hunc ordinem humores, primò tenuiores, posteà crassiores, vsque ad sanguinem. expertus sum in placentulas ex pasta

pasta pulegium imponere, at non educit, in magna etiam copia sumptum ex sale, nõnunquàm mel addidi, & ventrem commouit. RENAT. Fortè mellis ratione id contigit. BRAS. Et salis etiam ratione, quòd in magna copia cõmisceri iussi, tamen & mel ipsum adiuuit, imò & pastam melle subigi iussi modico addito cinnamomo ac zingibere, feci & periculum in Cretensi dictamno. REN A. ex illo quod è creta Ferrariã allatum est? BRAS. Ex illo inquam. REN A. Cur hoc experiri tibi in mentem venit? BRAS. Quia à Dioscoride dicitur à quibusdam appellari agreste puleiũ, dicitque ad eadẽ valere, ad quæ puleiũ satiuum, propterea & ad atram bilẽ educendã conueniet, imò & ad omnia efficacius esse fatetur. REN A. Quid successit ex experimento? BRAS. Intentum finem haud probè sum assecutus, nam solum non eduxit, nitro addito ac melle ægrè eduxit, ac imbecilliter. REN. Quomo illo vsus es? BRAS. Eo modo, quo pulegio & origano, in minutali, in decocto, in puluere, & ex nitro & melle, verùm & ex pseudodictãno idem sentit Dioscorides, & de tertio dictãno, & de tragorigano etiã dicit, quòd ventri facile est, & atram bilem educit decocto insumpto. REN A. Es'ne vnquàm Par-

thenium expertus? BRAS. Sum prorsus expertus, at atram bilem educere nõ percepi, licet (vt Dioscorides ait) melancholicis præbeatur, bilem verò potius educit, ac pituitam, at pro Parthenio herbam expertus sum, quæ vulgò Marella dicitur, & illá, quę vulgò dicitur, Brusaculo. hęc verò magis educit, quàm prædicta matricaria. præbuimus verò & in minutali, & omnibus illis modis, quibus præbuimus origanum. RENA. Cur ergo à recentibus scriptum est, quòd bilem atrã educat? BRAS. Vnde illud acceperint ignoro: quod autem experientia vidi, tibi indicaui. RENA. Ad reliqua igitur accedamus. BRAS. Ferunt & recentiores tartarum bilem atram educere, quod penitus absurdũ esse experientia testatur, cùm tartari drachmam experiri poteris, in iure ventrem deiicere percipies, at atram bilem eductam non percipies, sed communes fæces, pituitam, & aliquid aquositatum. RENA. Ergo inter illa numerandum non est, quæ atram bilem educunt. BRAS. Ego nullo modo inter ista tartarum numerarem, quia experientia oppositum ostendit, quanquàm fieri posset, vt nõnunquàm nigra essent in viis, quæ à tartaro educerentur. RENA. Ego breui hoc experiar, at quid censes de sena?

BRAS.

c

BRAS. Quid censeam? esse mirificam herbam, quæ apud antiquos haud inuenitur, nam Arabum est inuentum, ipsi enim soli, & primi de illa locuti sunt, & eius vires expresserunt, hæc mirum in modum atram bilem educit, & folio, & folliculo, quanquàm aliqui dixerint, & bilem & pituitã simul educere. RENA. Quid de hoc sentis? BRAS. Nihil de sena sub dubio censeo, sed quæ oculata fide percepi, tibi aperiam, sena omnes humores educit, sed primò atrabilares, ac biliosos adustos, vnde à Mesue probè notatũ est atram bilem educere & biles adustas. RENA. Accipitúrne alio modo, quàm in infusione? BRASSA. Mille sunt modi (vt ita dicam) illam sumẽdi, sed notissimus ac vsitatissimus modus est in infusione, floribus simul corroborãtibus additis, ac zingibere. RENA. Quónam modo? BRAS. De hoc modo in syruporum examine locutus sum, imò plerunque & cinnamomum addidi illi infusioni, & passulas & aranciorum flores ac alia, quatuórque præbentur infusionis vnciæ, vsque ad octo, & atra bilis educitur, ac alij etiam humores, & præsertim aquosi, imò & si eiusmodi medicamentum inter leuiora, & inter illa, quæ à recentibus benedicta vocantur, numerandũ videatur, tamen & à

penitioribus etiam educit partibus, natura & ipsa in vacua loca illa expellente, quæ in penitioribus sunt locis, & illa potissimùm quæ à medicamento attrahuntur, quandoque infusionem in iure parari iubeo, & eandem præbeo ad æqualem quantitatem, neque pondus infusionis noto, sed tantùm animaduerto, quòd pateram sumant. REN. Quomodo indicis? BRAS. Hoc modo indico, & ipsis domesticis mulieribus iubeo, vt ad pharmacopôlam proficiscantur, & quòd in schæda, quam exhibeo, scriptum est accipiant, hoc verò scriptum est, quod sequitur:

℞. Senæ ℥ j.
Florum boraginis
Buglossi
Violarum
Rosarum
Singulorum ʒ ij.
Zingiberis ℈ j.

Misc. mulieribusque præcipio, vt duas cõmunes pateras iure bene plenas accipiant, si verò ius non valde salsum, in ollam deinde ponant, ignique suspendant, & prædicta in ius iniiciant, deinde vna ebullitione ebullire faciant, hoc est tantum, vt vehementer ferueat, deinde ab igne eximatur, & amplius ebullire non sinatur, sed

oper

operculo olla cooperiatur. deinde facculo vel ceruicali tegatur, hoc autẽ vesperi fieri iubeo, mane patera vna percolanda est, & per densum linteum excernenda, dein zucaro dulcoranda, & cui conuenit præbenda, nonnullis mirè educit, aliis mediocriter, sed nulli sunt, quibus ventrem nõ subducat. RENA. De reliquo iure quid faciendum? BRAS. Sequenti die præbendum, posteà per tres aut quatuor dies immorandum, antequàm intentum accipiat. RENA. Infusioni senæ simile est. BRAS. Imò est eadem prorsus, sed ius hoc medicamentum mollius facit, & à natura non despicitur. RENAT. Præbésne alio modo senam? BRAS. Nonnunquàm præbeo in substantia hoc modo, ℞. pulueris senæ simplicis drach. ij. addo particulam simplicis, ne puluis senæ accipiatur, qui alia recipit, præter senam cathartica simplicia. RENAT. At quomodo hunc puluerem præbes? BRASSA. In iure bibendum, si alicui placeret, vt in catapotia redigeretur, nihil impediret addito zingiberis modico, cinnamomi, & nitri, quæ etiã commiscebam, cùm in iure puluerem bibendum adhibebam, tamen rari sunt, qui puluerem hunc in catapotia velint cõformatum, quia opus est vsque ad decem con-

ficere catapotia,hic verò numerus ſumentibus faſtidio venit. RENA. Quomodo pulueris ſenæ quantitatem indicis cum zingibere,& aliis? BRAS. Hoc modo:
℞. Senæ puluerizatæ ℥ ij.
Zingiberis
Cinnamomi
Singulorum ℈ j.
Nitri Ĝ x.
Miſc.& fiat puluis ſubtiliſsimus, iuſsi nõnunquàm paſtam accipi, & melle optimè deſpumato ſubigi, & puluerem hunc miſceri,addito etiam piperis ſcrupulo ſemis, deinde paſtã in placentulam redigi,& ſub cineribus,vel in furno decoqui, huius placentulæ genera libenter edunt pueruli. RE. Educitne in hac forma ſena? BRA.Et probè,abſq; vllo incõmodo. REN. Audiui aliquos,qui ſenam probè decoquunt,tamẽ educere dicunt. BRAS. Receptum erat, ſenam decoctionem minimè ferre, quin vires amitteret,at experientia oſtendit,vires penitus nõ amittere,etiam ſi diu ebullierit.Notandum verò eſt hoc efficere ſenam in magna copia ſumptam.nam ſi in illa copia,qua infunditur,ebullierit, vires amittit.Vnde ſi in infuſione vncia vna recipiatur, in decoctione tres, aut quatuor vnciæ ſumi debent, electuarium præterea

ex ſena hoc modo confici iuſsi:

℞. Senæ ℥ j.

Zingiberis

Cinnamomi

Piperis

Singulorum ℈ ß.

Nitri Ǧ x.

Lætificantis Almanſoris ℥ ß.

Syrupi de pomis ſaborũ quantũ ſufficit. Miſc.& conficiatur electuariũ,de quo drachmæ quatuor accipiantur,quandoq; præſcriptũ ſuperius puluerem præbui in ouo ſorbili, & pro pueris iuſsi fieri ientacula, quæ vulgò *cialdoni* vocãtur,adeò bellè puluis hic ientaculis commiſcetur, vt pueruli libenter veſcantur. præſcriptum etiam puluerem puerulis in intinctum præbui, iuſsi petroſelini folia & mentam in mortario contundi, quoad liquida effecta eſſent, poſteà mollem panis partem in aceto iuſuſam, zucarum & cinnamomum miſceri iuſsi, denique duas drachmas prædicti pulueris ex ſena cum aliis aromatibus, in hac forma libenter à puerulis editur ſena. RENA. Eduxítne in hoc intinctum? BRASSA. Eduxit. RENA. Cur tot modis ſenã expertus es? BRAS. Quia illam præ aliis catharticis diligo,faciléq; educit, imò & illã in ſinapium quandoq; imponi

præcepi, & non mediocriter eduxit. REN. Fortè sinapi ipsius vires acuit. BRASSA. Imò acuit, & melius eduxit, his omnibus modis vsus sum sola sena. RENA. Imò (vt video) aliis rebus semper cõmisces. BRAS. Intelligo sola me vsum esse sena pro cathartico, nam in prædictis cõpositionibus nihil aliud adest præter ipsa, quod catharticum sit, reliqua adiiciuntur ad eius vim corrigendam, & ad os ventriculi roborandũ, miscellas verò cũ aliis catharticis nunc referam. nam illam nõnunquàm cum Indis myrobalanis commiscui, nõnunquàm cum epithymo, & cum aliis similibus, quæ & ipsa atram bilem educunt. RENA. De his in compositis medicamẽtis, quæ atram bilem educunt, agendũ erit. BRAS. Ita efficietur, interim verò de polypodio verba faciamus. RENA. Dioscorides inquit pituitam educere, ac bilem. BRASSA. Et si Græci hoc testentur, tamen experientia vidi atram bilem educi, & semper cũ eo vsus sum, atram bilem eductã percepi, veruntamẽ de modis, quibus eo vsus sum deinceps verba faciemus, cùm de his, quæ pituitam & bilem educunt pertractabimus. vnum verò est polypodiũ ipsum atram bilem educere, & hoc etiã dici ab Auicenna planũ est, at de epithymo agamus. RENA.

Omnes

Omnes in hoc consentire videntur ac conspirare, quòd atram bilem educat, tamen & Dioscorides dicit pituitam etiam educere. BRAS. Hoc verum est, at ait priuatim melancholicis præberi, quo notet atrã bilẽ magis educere, ipso vsus sum in decocto, & in infusione. in infusione hoc modo:

℞. Epithymi ℥ j.
Nitri ℈ ß.
Violarum ʒ ij.
Passularum ʒ iiij.

Misc. & infundatur in ius pulli per decem horas, postea huius decoctionis sex vnciæ accipiantur, vel cõmunis patera absq; pon dere sumatur, aut in violarũ aquam infundantur, aut in caprinũ lac, vel in bubulum serum, omnibus his modis præbui in infusione, & in decoctione, in decoctione verò duas vncias ipsius ebulliendas præberi volebam. RENA. Educebátne? BRASSA. Mediocriter, non enim vehemens est medicamentum. RENA. Ob hoc fortè à Mesue dictum est, esse ex his medicamentis, quæ imbecilliter & tardè deiicere faciunt. BRASSA. Quandoque in puluerem redactum in iure adhibui ad semiunciã, & eduxit, in pilulas conformari potest, & in eclegmatis formam, ex zuccaro rosaceo, præbui, atque violaceo, omnibus modis

educit

educit & atram bilem, licet vnà videre poteris & pituitam. RENA. Expertúsne es vnquam alipo? BRASSA. Neque noui. RENA. Fortè quia solùm nascatur in maritimis Aphricæ. BR. Hoc non dico, quia nec à Dioscoride sciptum est, quòd ibi solùm nascatur, sed quòd quã longissima ibi nascatur copia: arbitror tamen me illã vidisse in Illustriss. Ducis nostri maritimis. Verùm diligenter non animaduerti, de ea Dioscorides dicit, quòd atras biles educit, cum aceto, & sale, eadẽ mensura qua epithymũ. REN. Ex eo ergo acetarium fieri poterit; quia oleum eius actionem potiùs adiuuabit, quàm reprimet. BRAS. Nihil impedit, & in acetariis præberi. RENA. In quanta copia præbetur polypodium? BRAS. Dioscorides dicit ab acetabulo vsque ad quatuor drachmas. RENA. Hanc herbam tam diligenter quærã quòd illam prorsus inueniam, cùm vna ex illis sit, quæ atram bilem solam, & non simul omnes humores educunt. BRASSA. Imò ad hoc agendũ te hortor, non solùm in alypo, sed & in omnibus aliis ignotis herbis, & quid impediet te ioci gratia Illustrissimi Ducis nostri maritima loca inuisere? in quibus cùm eris, non hanc solam herbam, sed & multas alias quas tibi indicabo quæres, &

in

inuenies fortè, hoc verò post publicas lectiones efficere poteris recreãdi animi gratia, vnà & humanum genus iuuandi, nam homo semper niti debet, vt homini Deus euadat, & omnibus quoad fieri potest opem ferat. RENA. A te hoc didici & perenniter obseruabo, à quo nemo recedit, aut verbis, aut rebus ipsis non satisfactus. BRAS. Ad hoc omnes nati sumus, vt totis viribus aliis omnibus obsecundare conemur, & nemini vnquàm iniuriam inferre, hac proceres iere Romani, nunc verò alia prosequamur. RENA. Vt prosequaris expecto. BRASSA. Apud Serapionem aliàs legi viscum atram bilem educere, ob hoc experiri volui, & egomet tria aut quatuor grana edi. RENA. Nónne à Dioscoride inter venena numeratur? BRASSA. Non est commune viscus illud, quo ad capiendas aues vtimur, nam Dioscorides ait hoc quod toxicũ est, ozimi odorem habere, & inter bibendum saporem, quo lingua insigniter inflammatur, at viscus quo ad capiendas aues vtimur, & quod in aliena semper nascitur arbore, subdulce est, cum insipiditate quadam, nec ozimi odorẽ habet, nec vllum in lingua odorem inserit, vt tibi dixi, ego tria aut quatuor grana edi, at famulus meus triginta fortè edit

gran

grana, & pituitosa potiùs ac crassa exeruit, quàm atrabilaria, hoc solū de visco sumpsi experimentū in Gallia apud sanctum Germanum, Ferrariæ non adest neque in agro Ferrariensi viscū, iccirco aliàs & cum meo cōmodo experiri non potui, per totam ferè Italiam nascitur præterquam in nostro Ferrariensi agro, nisi aliquis sit locus, in quo vireat, quem ignorē. RENA. Curare debebas vt ad te afferretur. BRAS. Hoc neglexi, cùm tot alia in promptu habeantur, quæ hoc munus atram bilem educendi efficere possint, at si tibi lubuerit, facilè erit ex Mutinensi agro recens viscum habere, tuncq; diuersis modis experimētum sumere poterimus. RENA. Audiui & dracuntij radicem bilem atrā subducere posse. BRAS. Audiuisti fortè, & legisti apud recentes, at Mesue dicit pituitam crassam educere, de qua re superiùs locuti sumus: experiaris tu, nunquàm aliud educi videbis, quàm id, quod superiùs diximus, cùm de his verba faciebamus, quæ pituitā solam educūt. RENA. Illa adhuc memoria seruo, quæ de hoc Dracuntio disseruisti, at audiui & centaureum maius atram bilem educere, à multísque recentibus hoc suadetur. BRASSA. Hoc neque apud Græcos legi, neque apud Arabes, nam Græci illud

illud faciunt adstringentis naturæ, Arabes verò vt Mesue, dicunt bilem & pituitã subducere, hócque testor ego centaureæ maioris succum me præbuisse, & bilem crassam eductam esse, at non subducit, nisi in copia accipiatur. RENA. In qua copia? BRAS. Ad vnciam vnam, imò si centauriũ illud accipiatur, quod in aliquibus hortis nunc Ferrariæ viret, opus est succum ad duas vncias accipere, si educere debeat, idque etiam ineptè facit. REN A. Fortè est, quia solum humidum est, vel sibi non proprium. BRASSA. Ita esse non dubito, verùm de sumendi modis posteriùs verba faciemus, quia de illis impræsentiarũ agendũ non est, cùm atram bilẽ non subducat. REN. Legi apud Serapionẽ ius Galli antiqui atram bilem subducere, expertúsne es? BRAS. Sum omnino expertus, sed verum esse nõ reperi, tamen leniendo omnia educit, quæ in ventriculo & in intestinis continentur, à Græcis omnibus vẽtrem soluere notatur, & ita esse constat, & Dioscorides ait, ius è vetere Gallinaceo alluum soluit, itaque faciendi eius hæc ratio sit, interanea Gallinaceo detrahuntur, inuicem sal inditur, atque insumitur, deinde in sextariis xx. aquæ ad tres heminas coquitur, ita refrigeratum sub dio, mox bibitur. aliqui

qui efficacius arbitrantur cũ brasſica marina incoctũ, aut herba mercuriali, aut polypodio, aut cnico, detrahit craſsitudines crudas lentáſq; atq; nigras. REN A. Etiam ſimpliciter decoctum, & ſine tãta diligentia aluum ſubducit, tamen nõ eſt opus intelligere, quòd quatuor vel ſex vnciæ ſumantur, ſed ad duas vſq; libras bibendum, vt à Meſue notatur, qui prudenter de hoc iure locutus eſt. Nam dicit, varia educere, ſi cum variis miſceatur rebus, huic iuri ſenam quãdoq; miſcui, & atram bilem eduxit, quandoq; turbith & pituitam eduxit, quandoq; myrobalanos citrinos, & bilem flauam eduxit, & ideo aliis miſtũ rebus ſecundum ipſarum actionem, illos humores educit, qui illi medicamento cui miſcetur proprii ſunt. REN A. Atrã igitur bilem nõ educit. BRAS. Non profectò, ſed illa à lapide lazuli optimè educitur. REN. Quomodo ab antiquis vocatur hic lapis? BRA. Illum eſſe arbitror, qui cyaneus & cæruleus ab antiquis nominatur. REN. Neq; apud Dioſcoridẽ, neq; apud Gal. reperitur, quòd atrã bilẽ educat, nédum ſimpliciter educat, imò reprimendi vim habere dicitur. BRASSA. Quicquid ſit, & quicquid à Græcis authoribus dicatur bilem atrã educere certum exploratúmque eſt, & ego in diuer

diuersis formis plerũq; expertus sum. R E. Præbuistíne illũ nõnunquam solum? B R. Imò frequenter absq; alia re vẽtrẽ exoluẽ te, veruntamen rebus ventriculũ roboran tibus commiscui, & lapidis venenosam quandam vim retundentibus. R E N A. Est ergo vehemens medicamentum? B R A S. Vehementissimum, neq; simpliciter præbendum est, nisi nouies lotus sit eo lauandi more, quo Dioscorides ac Mesue illum lauandum monent. R E N A. Quot modis lapidem hunc præbuisti? B R A S. Omnibus ferè modis, quibus catharcticum medicamentum præberi potest, primò in forma catapotiorum ad scrupulos duos, & in duram aluum habentibus ad drachmam vnam, nunquam verò drachmam excesi. R E N A. Tamen Mesue de loto præbet à drachma vna vsque ad duas. B R A S. Non lotum nunquàm experiri volui, lotum expertus sum, & drachmam nunquàm excessi, & semper profuit, neq; tormina induxit, qualia putabã antequàm essem expertus inducere debere, neque ori ventriculi multum obesse percepi. R E N A. Præbuistíne simpliciter ac semper in pilularum forma? B R A S. Quid per hæc verba intelligis? R E N A. Nunquid præbueris solùm in forma pilularum, & nunquid so-

lum præbueris nulla alia addita re? B R A. Ita præbui in pilulas conformatum.

℞ Lapidis lazuli præparati ʒ j. ß.
Camphoræ
Anisorum
Cinnamomi
Zingiberis
Mastiches
Singulorum ℈ vj.

Misceantur: & cum succo saluiæ, vel diacatholicone reformētur pilulę numero quinque. R E. Eduxerêne plené? B R. Exquisitè, cùm aliquibus drachmā præbuerim, aliis scrupulos duos, vt conuenire videbatur. R E N. Quibus aliis modis adhibuisti? B R. In puluerem redactum cum eisdem aromatibus, in iure quandoq;, quādoq; in boraginis aqua, sed opus est, vt in tenuissimū puluerem redactum sit, ne ob sui grauitatem in pateræ fundū descēdat, posui quandoq; prædictos pulueres in vnā zucari boraginati vnciā, & deglutiendos præbui, vt eclegmata deglutiuntur, nōnunquàm cuidam puellulo in ientaculi formam scrupulum præbui, nonnunquàm in placentulam ex pasta, sed qui masticabant, semper dentibus puluerē habere arbitrabantur, tamen si probè supra porphyriū lapidem porphyrino pistillo cōtractetur, haud per-

ſentitur, in vino etiam odorato bibendum iuſsi, vt in vino Cretico aut alio ſimili. RENA. Eiſdem modis vſus eſſe debes in lapide Armeno: qui & ipſe atram bilem educit. BRASSA. Eiſdem modis & in eodem pondere, & mirum in modum atram bilem educere percepi, huicque prædicta aromata addidi. Notato autem me eſſe expertum lapidem Armenum ex Germania lotum ac præparatum, & eoſdem feciſſe effectus, vt ille qui ex armenia Venetias aſportatur, vel aſportari dicitur, minus verò moleſtat, quam faciat nigrum elleborum Armenus lapis, & vehementiùs educit, quàm cyaneus lapis, & hoc non ſolùm Auicenna notauit, ſed etiam addidit nigrum elleborum eſſe dimiſſum ob eductionis moleſtiam quam haud facit lapis armenus. REN. De ſtellato lapide atque lyncis, quos atram bilem educere fatentur, quid ſentis tu? BRA. Hos lapides nondum noui, niſi forte ſtellatus lapis is ſit, qui marchaſitā vocatur, quanquā & pyrites nominetur, quicquid tamē ſit, marchaſitam ablui iubebo, & experiar quid in hu magno corpore euacuando agat. RENA. Nondum ergo expertus es? BR. Nondum, tamen tertius dies non explebitur, quòd nō ſemel experiar. RE. In cane aut in alio

bruto animante experiundum est. BRAS. Imò in homine experiar,& in longè minori copia,quàm de suo stellato lapide præbeat Mesue, posteà iterum in maiori coipa experiar.& ita paulatim incedam, vt neque animalculum quodpiam interimi posfit. RENA. Iudaico lapide ésne vnquã vsus? BRASS. Plerunque, sed non ad atrã bilem educendam,at ad lapidem in renibus comminuendum,atque expellendum, ídque effecisse deprehensum est,tamen illum nunquàm præbui solum,sed aliis sem per commistum,quæ & ipsa minuendi lapidem vim habebant.neque percepi iudaicum hunc lapidem per aluum subducere. RENA. De scilla verò quid censes? BRAS. Dico humores crassos educere,ac glutinosos,iuxta Mesuem, Halìmque dicere atrã bilem subducere,quando cocta fuit, nunquàm vidi atram bilem eductam, percepíque materias eductas,quæ in intestinis continebantur:multis verò præbetur modis, nam scilliticum acetum conficitur, quod iuxta Mesuem à drachmis quinque vsque ad duodecim subducit.quatuor drachmas præbui, vnciá præbui, & non eduxit, in nonnullis vncia educit, in frigidis verò materiebus ac crassis vnam præbui vnciam,cum alio syrupo & aquis ad illas

incid

incidendas atque attenuandas, nunquàm verò subducere percepi, vel id raró contigit. RENAT. Fortè non erat probè confectum scilliticum acetum, neque acre erat, vt ipsius expedit natura. BRASS. Hoc non consideraui, fiunt & trochisci de scilla, qui iuxta Mesuem à drachmis duabus vsque ad quatuor educunt, tamen nonnunquàm præbui drachmas sex, neque etiam valenter eduxêre, De oxymeli autem scillitico Mesue adhibet ab aur. vj. vsq; ad ℥. iij. ego ℥ ij. adhibui; neque in educendo magni quidpiam fecit. RENA. Audiui & iuncum angulosum atram bilem subducere. Iuncus angulosus BRA. Ita à recentioribus quibusdam proditum est, ego autem non sum expertus. RENA. Experiemur breui, si tibi placuerit. BRASS. Et cur placere non debet? R E. Fortè es circa alia negotia occupatus. BR. Nunquàm sum adeò occupatus, quin pro experimento aliquo sumendo horam nõ seruauerim, quam expendere possim. R E. Multis indigebis horis. BRASS. Quam ob rem? R E. Quia tam breui non educet, si educturus sit. BR. Ob hoc sûmne ibi semper commoraturus? mihi satis est, quid agendum sit præcepisse, posteà bis & ter regredi, & quæ excreta sunt inspicere, num atrabilaria sint, an alterius generis. R E-

NATVS. Si nihil educeret? BRASSAVO. Et hoc notarem, & aliàs in maiori copia præberem, interrogarémque an persenserit in ventre commotiones, & rugitus, ac si excernere voluisset, & nunquid tormina, & sitis excitata sint, hæc enim si fateretur, specie præberent esse eductorium medicamentum. RENA. Visus es nigrum elleborum prætermitere, in hoc atræ bilis eductiuorum catalogo. BRASSA. Nondum finis est. RENA. Arbitrabar te prætermisisse, quia à Mesue bilem crassam educere proditum est, pituitam, & atram bilem, vt illud reseruares, cùm de his humoribus vnà à te agendum erit, & illos euacuare contingit. BRASSA. Imò ob illa quæ de elleboro nigro expertus sum, hîc de eo mentionem facturus eram. RE. Et quæ nam expertus es? BRAS. Atram bilem semper educere, si pituita aliqua commista esset, videri non poterat, neque bilis ipsa ob atræ bilis nigredinem, imò in Anticyram mittebantur insani, in qua copiosissimè prouenit niger elleborus, & non ob aliam causam, quàm quòd eo bilis atra euacuatur, & poetæ fingunt Prœti filias furentes hoc ipso elleboro fuisse sanitati restitutas. Vnde Melanpodium vocatum est, à Melanpodio pastore, qui pri

primus hoc atram bilem educere inuenit, & eaſdem Prœti filias furentes eo curauit, & in ſanitatem reſtituit. Dioſcorides ait bilem & pituitam ſynceram deuoratum per aluum educere. RENA. Cur de atra bile mentionem non facit? BRASSAVOL. Ego nullum alium humorem præter atram bilem ab hoc eductum vidi, in deſuetudinem venerat, vt nemo illud præbere auderet, ego primus (abſit iactantia) nigrum elleborum præbere cœpi, & ſolum & cum aliis roborantibus miſtum, à ſcrupulo incepi, & ad drachmam vſque perueni, abſque moleſtia atram bilem ſemper educere percepi, cui forte bilis & pituita erãt admiſta, at ob atræ bilis colorem, qui omnia inficit, non videbantur. REN. Recordariſne de Malateſta fatuo in ſancta Anna, quem Ioannes Imolenſis, cacodæmone agitatum fatebatur, & ab eo dæmonas abigere nitebatur? RENAT. Et quis tantæ fatuitatis non recordaretur? BRASSA. Verùm hunc Malateſtam mihi commendauit Illuſtriſs. Dux, vt ſi poſſibile eſſet illi opem medicam ferrẽ, nam melancholicus erat, & furioſus, iccirco illum ferrea catena ligarũt. RE. Omnium recordor, nam puer eram, & ab vno ex

nostris seruis illuc fui ductus, qui & ipse magis cupiebat fatuum illũ videre, quàm ego cuperem, imò ibi aderat præceptor quidam meus, qui posteà me domum duxit. BRASSA. Huic Malatestæ nigrum elleborum in puluerem redactum in minutali ex pane contrito præbendum iussi, hoc fuit mane, quando illum vesperi visitatum iui, ipse manibus in terram depositis, & anum versus cœlum eleuans ac si videretur Socraticus ille Aristophanis, qui Geometricas figuras in terram scribens tubera colligere videbatur, & per anum atram bilem in album parietem iniiciebat, quæ attramentum videbatur, imò totum parietem adeò deturpauit, vt videretur atramento perlotus. RENAT. Conualuitne? BRASSAVOLVS. Denique conualuit. Verùm ex sola illa prima euacuatione, furor cessauit, neque cum omnibus amplius excandescebat, sed quietus viuebat, & ab aliis omnibus quibus nigrũ elleborum exhibui, bilem atrã semper educi percepi. RE. Quibus modis præbuisti? BR. Omnibus ferè quibus medicamẽtum aliquod exhiberi potest, veruntamen hoc modo frequenter adhibui:

Modus ellebori exhibendi

℞. Ellebori nigri ℈ ij.
Zingiberis

Mast

Masticheṡ
Rof. rub.
Cinnamomi
Anisorum
Dauci
Camphoræ
Singulorum ℥ iij.

Misceātur, & fiat puluis subtilissimus, qui iure bibatur, nonnunquàm semidrachmā adhibui, nonnunquàm integrā drachmā, & aliquibus in oxymelite præbui, & non in iure, aliis in aqua boraginis vel acetosæ, huncmet puluerem in catapotia digeri facio, & alias feci, nonnunquàm zucaro miscui boraginato, & in eclegmate præbui. REN. Educítne semper? BRASS. Semper & atram bilem, nonnunquàm drachmam integram in iure decoqui iussi, & iuris pateram bibi zucaro dulcorati, & sine aromatibus prædictis, & cum aromatibus. RENA. Nônne Galenus in libro, cui titulus est, quibus medicamentis quenque oportet purgare, elleborum ponit in raphanum, & raphanum in oxymeli infunditur? BRASSA. Hoc facit in albo elleboro, quoniam vehementer commouet, & ventriculum mirè perturbat, at nigrū millies præbui solum, hæc'q; minime facit. RENA. Neque vlla etiam

inducit tormina? B R A. In aliquibus nulla inducit, in aliis modica, at idem & ab aloë efficitur, & à rhabarbaro, & à manna, & à similibus, quæ medicinæ benedictæ vocantur. R E. Hoc scio, sed petebam nunquid in omnibus tormina faciat? B R A S. Non quidem in omnibus, imò in minori parte facit, puerulis scrupulum vnum præbui in ientaculis, vel in placentula ex pasta zucaro subacta. R E N A. In tenella etiā ætate præbes? B R A S S. Cur præbendum non est, si hæc ætas atræ bilis eductione indiguerit? quandoque in puluerem reduci feci, & ex zucaro in paruissimas pilas rotundas redigi, quas vocant solegnati, & hic modus sumentibus minimè displicuit. R E N. Arbitror placuisse, tum quia nouus sumendi modus, tum quia zucarum ab elleboro aufert, si quid molestum gustui in se habuerit, in infusionem etiam adhibui & in oxymelite & in iure, & in aliis aquis vi ignis eliquatis arbuscula Ferrariæ habetur senæ similis, quam & nos in nostro habemus viridario, folia habet senæ similia, & foliculos ferè similes, quā expertus sum atram bilem educere. R E N. Nonne illa est, quàm coluteam vocamus? Multi senam esse arbitrantur, at quomodo illam præbuisti? B R A S S A. Omnibus

de Colutea.

mod

modis quibus & ſenam ipſam adhibeo, in infuſione, in decoctione, in puluere, in pilulis in eclegmate, & breuibus, omni illo modo quo ſenam ipſam præbui. R E. Præbésne in eadem copia, in qua ſenam tribuis? B R A S. In paulò maiori copia prębeo coluteam. ſemper verò illi zingiber addo, cinnamomum, nitrum, & alia quæ os ventriculi roborare poſſunt, & flatus reſoluere, ac expellere. R E N A. Audiui ineptiùs educere, quàm ſena. B R A S. Ita profectò eſt, neque ſolam educit atram bilem, ſed & pituitam, & bilem ſimul. Arabes de ſena dicunt, quòd atram bilem ſolam educat, & aduſtam bilem, Aetius & hoc ipſum ſentire videtur. R E N A. In hoc frutice ſatis ſum expertus, flore, folliculo, & folio, iccirco alia quæ atram bilem educunt, proſequaris. B R A S S A. A' Plinio ſcriptum eſt libro 21. capite 19. aſſarum aluum purgare ellebori modo. at ellebrorum atram bilem purgat, igitur & aſſarum eandem purgabit. R E N A. E'sne expertus? B R A S S A V. Nunquàm ſum vſus ad hunc finem aſſaro. R E N A T. Legi apud Plinium libro 22. cap. 25. hæc quæ tibi referam, ad verbum, granum ſeſamæ datur in vino dulci ad detractiones, quantum trinis digitis capitur, miſcéntq; ellebori

bori albi vnum & dimidium, purgationẽ eam adhibentes etiam insanæ melancholiæ, comitialibus, podagris. BRA. Est ferè compositio hæc, nec à sesamo atra bilis educitur, sed fortè ab ellebore. RENA. De sparto in his, quę pituitam educunt locuti sumus: tamen si illa, quæ ellebori modo educunt, atram bilem educere credantur, de sparto hoc dicitur ab authoribus, nam præter Dioscoridem Plinius etiam libro 24. cap. 9. dicit, semen genistæ purgat ellebori vice drachma & dimidia pota in aquæ mulsæ cyathis quatuor ieiunis. BRASS. Idem dici posset de succo mandragoræ, nam à Plinio libro 25. ca. 13. scriptum est, succus mandragoræ bibitur & pro elleboro duobus obolis in mulso, efficacius elleborum ad vomitiones, & ad bilem nigram extrahendam, nonnulli volunt, & alyson per superiora, & inferiora atram bilem educere posse. RENA. Iam reliqua adducito simplicia, quæ atram bilem educere apta sunt. BRAS. Nescio an alia adsint à prædictis, quæ atram bilem solam educere valeant, at simul pituitam vel bilem flauam subducunt, iccirco de illis suis agemus locis, ne proprium locum simplicium catharticorum, quæ plures educunt humores, præoccupemus. RENA.

Reliquum igitur eſt, vt de compoſitis agatur catharticis, quibus ad atram bilem euacuandam vſus es. BRAS. In communi vſu ſunt pilulæ de lapide lazuli, de lapide Armeno, pilulæ Arabicæ. RENA. Ne pilulæ flauam bilem ſimul & pituitam educunt? BRAS. Verum prorſus eſt, iccirco diaſena tãtùm, & infuſio ſenæ ex his ſunt, quæ atram bilem puram educere poſſunt, eſt etiam diacatholicon ad hunc vſum, cùm vna & pituitam & bilem flauam educat. REN. Hæc non quæro medicamenta, quæ alios humores ab atra bile educere ſunt apta. BR. Hoc vſus ſum medicamento ad atram bilem ſolam educendam.

℞. Myrobalanorum Indorum ʒ iij.
Origani
Pulegij
Singulorum ʒ iiij.

Miſceantur, & infundantur in ſex vncias aquæ boraginis, per decẽ horas, poſteà exprimãtur, & hoc expreſſum zucaro, vel iuleb roſato, vel ſyrupo de pomis ſimplicis, dulcoratum bibatur. REN. Educítne? BR. Modicè educit, & abſque vllo tormine, at nonnunquàm in infuſione, in iure pulli imponi iuſsi, quandoque in puluerem redigi iuſsi, hoc modo & in iure adhibui:

℞. Myrobalanorum Indorum ʒ j. ß.

Pul

Pulegij
Origani
Singulorum ʒ. j.

Miſceatur: & fiat puluis ſubtiliſsimus, qui ex iure bibatur, nonnunquàm in catapotia ex braſsicæ ſucco deduci iuſsi, & ſecundum omnem modum modicè eduxit, nõnunquàm puluerem illum cùm zucaro boraginato commiſcui, vt veluti electuariũ deglutiretur. aliàs plura & pauciora ex his, quæ atram bilem educunt, commiſcui ſimplicia, vt mihi viſum eſt, & ex his quæ ſunt facilia, nonnunquàm zingiber, & nitrum, ac alia quæ ventriculi os roborare ſolent, cùm ſimplicia erant vehementiora, ne ori ventriculi obeſſe poſſent. REN. Vix crederem prædictum melanogógum educere. BRASSA. Educit tamen, ſed modicè, mediocre verò melanogógũ eſt hoc, quod ſequitur:

℞. Senæ ʒ j.
Origani
Pulegij
Singulorum ʒ ß.
Florum boraginis
Bugloſsi
Violarum
Roſarum
Singulorum ʒ ij.

Zin

Zingiberis
Cinnamomi
Singulorum ℈ j.
Aniſorum ℈ ß.
Miſceantur: & infundantur in ſex vncias aquæ boraginis per decem horas, & exprimantur, deinde hoc expreſſum zucaro dulcoretur, & in eo diſſoluatur.

Myrobalanorum Indorum ʒ j.

REN. Aliud ab atra bile educet. BR. Nihil aliud educet, quàm atrā bilem, niſi alicui qui imbecillis ſit, præbeatur, & primò atrā bilem, poſteà adhuc medicamenti vis ſuperſit, qua humor alter ab atra bile educatur. quoniam & ſi ſena aquoſitates etiam, & bilem educat, tamē his omnibus miſta, ſolam atram bilem ſubducet, quam & ſena ipſa primò educit. RE. Si quiſpiam potiones negligeret, quid huic præbendum eſſet, quod hunc humorem mediocriter educeret? BRAS. Quod ſequitur, præbe-rem medicamentum:

℞. Senæ
Myrobalanorum Indorum
Singulorum ʒ j.
Lapidis Lazuli ℈ j.
Miſceātur: & fiat puluis ſubtiliſsimus, qui ex ſucco cauliū in pilulas cōformetur, & ſi non diſplicuerit puluerem ipſum in bora-ginis

ginis aqua accipere, vel in iure, nihil impediet, poteſt & ientaculis cõmiſceri ac placentulis. REN. Vehemens medicamẽtum expecto. BRAS. Noli expectare medicamentum, ſed erunt medicamenta, nã quandoque iſto vſus ſum, & atram bilem vehementiſsimè eduxit.

℞. Senæ ℥. j.
Origani
Pulegij
Singulorum ʒ iij.
Myrobalanorum Indorum ʒ ij.
Florum boraginis
Bugloſsi
Roſarum
Violarum
Singulorum ʒ ij.
Ellebori nigri ʒ j. ß.
Zingiberis
Cinnamomi
Singulorum ʒ ß.

Miſceantur: & infundantur in octo vncias aquæ boraginis per decẽ horas, poſteà exprimatur, & expreſſum hoc zucaro dulcoretur, ac bibatur. RE. Vehemẽter educere arbitror. BR. Ita quidem facit, ſed nõ vehementiſsimè. Verùm hoc, quod ſequitur, vehemẽtiſsimè educit, ſi in ipſa iam facta infuſione ſimul cum zucaro lapidis lazu-

li

li præparati,& in tenuissimum puluerem redacti semi drachma poneretur. RENA. Si quispiã catapotia magis diligeret,quid agendum esset? BRAS. Hæc,quæ sequuntur,essent præparanda:

℞. Lapidis lazuli ʒ iiij.
Ellebori nigri ʒ vj.
Cinnamomi
Zingiberis
Singulorum ℈ j.
Masticheſ ʒ j.
Camphoræ ʒ ß.
Anisorum
Fœniculorum
Singulorum ℈ ij.

Misc.& cum succo caulium fiat globus, è quo drachma vna accipiatur. RENA. Arbitror probè ventrem subductura eiusmodi catapotia. BRAS. Si puluerem seruabimus antequàm in globum cõformetur, in iure sumi poterit in aqua boraginis, in placentulis,in ientaculis,in eclegmate ex zucaro boraginato, & in quocunque alio modo,quo ægrotanti placuerit,possunt,& quæ sequuntur catapotia parari,& inter vehemẽtia medicamenta,quæ solam atrã bilem educunt,connumerari,sumpta verò quantitas illa est,quæ vehementissima catapotia facit.

℞. Lapidis armeni
Lapidis lazuli
Ellebori nigri
Singulorum ℥ iiij.
Pulegij
Origani
Singulorum ℥ j.
Macedonici ℈ ij.
Camphoræ
Masticħes
Cinnamomi
Zingiberis
Singulorum ℈ j.
Myrobalanorum Indorum ℥ ij.

Misc. & fiat puluis subtilissimus, qui succo caulium excipiatur, præbetur ex hac compositione à scrupulis duobus usque ad quatuor, & atram bilem tam bellè educit, ut nihil felicius. RENAT. Arbitror & vehemētissimè, præsertim si quis quatuor scrupulos attigerit. BRAS. Ita profectò esse deprehendes. Veruntamen omnibus quatuor scrupuli non adhibentur, sed fortissimis solùm, & his qui atram bilem habent per artus à centro elongatos disseminatā, ut his qui diu Gallica scabie affecti fuêre, si medicamentū ferre posse videantur. REN. Habetúrne verè Armenus lapis? BRASS. An verè armenus sit, hoc est, ex Armenia

allat

allatus,ignoro,tamen talis est, qui bilem atram euidenter educit,imò & ex Germanicis fodinis in Italiam affertur Armenus lapis qui atram bilem educit,vt ille qui ex Armenia afferri dicitur. RENA. Fortè Armenus dictus,non quia in aliis non nascatur locis ab Armenia,sed quia in Armenia existimatur perfectior antequàm puluis ille brassicæ succo excipiatur.in iure sumi potest, in placentulis, in ientaculis & ex aliquo eclegmate, vel alio simili modo. RENA. De his quæ ad atram bilem spectant,satis dictum esse videtur.

De medicamentis tam simplicibus,quàm cõpositis Ichores educentibus.

CAPVT IIII.

BRASSAVOLVS.

DE ICHORIBVS agamus. RENA. Nónne ichores sunt omnium humorum aquositates? BRAS. Ita impræsentiarum intelligimus, nam aliâs apud antiquissimos medicos ichores pro ipsis humoribus accipiantur, nunc verò non solùm per ichores omnium humorũ aquositates intelligimus,quæ in totius corporis venis continentur,sed etiam aquositates;

quæ inter peritoneum, & inteſtina cõgregata ſunt, aſcitimq; faciũt. RENA. In genere igitur de hydragôgis agendũ eſt, quæ vniuſcuiuſq; generis aquas, & in quacunq; ſint parte per aluum ſubducunt. BRAS. De his agemus, ac de ipſorum exhibendi modis, vnũ verò ſcire oportet, omne medicamentum, quod humorem quempiam educit, illius quoque humoris aquoſitates educere aptum eſſe, particulariter verò de his agemus, quæ aquam ipſam educunt, & hydragôga vocantur, nunc illa primò referam, quæ expertus ſum, licet ab authoribus ſcriptum ſit, & alia prẹter aquam educere. RENA. Nihil aliud ſcire opto, quàm iſtud. nam non ex libellis hæc ſcire peropto, ſed ex ipſa experientia, quam diligẽs aliquis ſumpſerit, qui verax ſit vir, non autem mentiatur, vt ſuæ cuipiam abſurdæ opinioni faueat. BRASSA. O' Dij immortales, quot vidi homines hac praua mente imbutos, vt pro vna quam habent & falſa opinione de rebus ipſis, non raro mentiantur, at quicquid dicemus, illud prẹter omnem animi paſsionem, tibi aperiemus, nam pater cui nudam veritatem aperire debet, niſi filio aperuerit? Audias igitur, quæ tibi enarrabo, & attentiori mente contemplator. RENA. Nihil aliud

effic

efficiam, quoniam hæc tanquàm oracula audiam, ac obseruabo. BRAS. Ad aquas educendas, & quæ in venis, & quę sub peritoneo in hydrope continentur, syrupo rosaceo solutiuo plerunq; vsus sum, & finem intentum ad vota assecutus sum. RENA. Arbitrabar bilem solam educere hunc syrupum. BRAS. Quod volueris arbitreris, & quod lubuerit, aquas educere experientia ostendit, tamen sunt aquositates biliosæ, & absente aquositate bilem educit, tamen cùm aquæ copia adest, aquas potiùs educit, & biliosas, & deinde vnuscuiusque generis alias. Tu experiri poteris in his, qui hydrope affecti sunt, aquas educere, & etiam non mediocriter. RENA. Hoc frequenter vidi, sed bilem esse arbitrabar. BRAS. Poterant esse biliosi ichores, nam (vt dictum est) vnusquisque humor suas habet aquositates, expertus etiam sum iridis recentis succo ad hoc negotium peragendū, duę vnciæ zucaro dulcoratę aquas quæ in vētre erant mirū in modū eduxêre, quāuis ab authoribus & à Dioscoride scriptū sit, pituitam educere, & bilem crassam, at in his, qui hydragôgo indigēt, est mirificum hydragôgū. REN. Es'ne vnquā vsus arida radice? BRAS. Imò illa vsus sum ad drachmas duas in puluerem redactas, ac in

iure propinatas,& nonnunquàm adhibui in catapotia redacta ex syrupo rosaceo solutiuo. R E N A. Educítne vt succus. B R A S. Tam vehementer non educit,& hæc radix crassos humores potiùs subducit, tamen aquositatibus commistis. R E N A. Succum ex radicibúsne exprimi iubes,an ex foliis? B R A S. Aliqui sola accipiunt folia,alij solas radices,quãdo tot habere possunt, alij simul accipiunt,& radices, & folia,ex his omnibus succus aquas educit,easdẽ aquositates plerunque à succo radicum ebulorum educi feci, & à foliorum succo,vel ab esu vnius acetarij,ex ebulorũ cimis tenellis,ad quinq; bolos absque pondere. R E N. Fuerénc eductæ aquæ? B R A S. Et vehemẽter,est rusticorũ medicamentum. R E N A. De succo radicum vel foliorum quantam præbuisti quantitatem? B R A S S A. Ad tres vncias adhibui,præscriptas cimas ex aqua & oleo decoctas, idem efficere expertus sum,si minutalis loco edãtur, & ius ipsum bibatur,ius verò sit vna communis patera, in hoc casu nõ est opus tam diligenter põdera æquare, puluis radicis idem efficere potest,si in iure præbeatur, vel in catapotia,vel quomodolibet ad drachmas duas. Verùm & damascenæ vocatæ rosæ aquas summopere educunt. R E N. Quæ'nam ro-
rosar

sarum pars hoc efficit? BRAS. Folia, nam ascitim patientibus quinque aut sex horũ foliorum bolos plerunq; adhibui, & aquas mirificè eduxêre, & solas aquas. RENA. Hoc ab authoribus referri non videtur. BRAS. Omnia scribere non potuêre, neque illis omnia patebant, sed noua in dies sedula experientia inueniũtur, earundem rosarum succus ad duas vncias idem efficere planum est. RENA. Præbuistíne alio modo huius generis rosas? BRASS. His tantùm adhibui modis, imò rarissimè succum præbui, in acetario autem frequenter adhibui. RENA. Aegroti facile edere debent acetariũ illud oleo, sale, & aceto conspersum. BRAS. Facillimè editur, præsertim cùm zucaro dulcoratur, quia subamaræ sunt eiuscemodi rosæ. RENA. Nónne & aliæ rosæ subducere possunt? BRAS. Possunt equidem, sed non adeò vehementer, vsus etiam sum syrupo rosaceo ex nouem infusionibus ex his damascenis rosis, qui vehementiùs educit, quàm syrupus rosatus solutiuus ex communibus rosis. RENA. Si in puluerem præberentur, putásne idem esse effecturas? BRASSA. Hoc non sum expertus, tamen arbitror & aquas esse educturas, sed fortè ineptius, imò & ipsarũ decoctum idem effecturum

non dubitarem, de infusione indubitatum est, quòd ichores educit. RENA. Inéstne eiuscemodi vis rosis illis, quæ summũ habent ruborem? BRAS. Non inest, imò adstringunt, nonnulli pharmacopôlæ superiori anno ex illis syrupum rosatum solutiuum confecêre, de quo præbui vsque ad sex vncias, & nihil penitus eduxit, conquestus sum de pharmacopôla, qui syrupum confecerit, qui minimè educeret, errorem suum mihi fassus est, videlicet se confecisse syrupum illum ex rosis valde rubris, cùm illi rosæ aliæ defuissent, ego hominẽ admonui, ne id amplius efficeret, quoniã rosæ illæ adstringunt. RENAT. Erat ex tali errore puniendus, hoc, inquã est, quòd illos plerunque errare facit, quoniam errores deprehendis & impunitos relinquis. BRASSA. Imò punitio non defuit, quoniam prohibui ne syrupum illum amplius venderet, itaque coactus fuit multas eiusdem syrupi libras eiicere, quòd illi non fuit mediocre dispendium, & iureiurando affirmabat se ex illis rosis syrupum cõfecisse, arbitratus meliorem euasurum, quàm si ex communibus rosis confectum esset. RENA. Vt simpliciter interrogasti cur ita fecerit, ita suæ huic simplici excusationi acquieuisti, arbitror te creditur

turum etiam esse cauponibus, cũ bonum vinum se habere fatētur. BRASSA. Imò superioribus mensibus. 1550. cũ Romam profectus sum, vt Illustriss. Ducē nostrum comitarer, qui ad visitandum Iuliũ III. Pontificem Maximum proficiscebatur, interrogabam, & fatebantur se bonum vinum habere, & ita esse inueniebam. RENA. Semper? BRASSA. Pro maiori parte, imò oppositum inueni, quàm scriptum esset à quodam Germano Viterbi, quàm de loco dicto scala ita cecinerat in trium regum caupona:

Qui vadis ac redis, scalam vitare memento:
Scala malum vinum, cætera mala dabit.

At ego oppositum inueni optima scilicet esse in illo loco vina. RENA. Quale iudiciũ de vino habere potes, cùm illud non diluas modò, sed perluas, ac iugules? BRAS. Non sum circa vina ineptioris iudicij. at ad rem propositam redeundum est. REN. Hoc erit longè vtilius. BRASSA. Ad easdem educendas aquas plerunque vsus sum herba vulgò soldanella vocata, & præsertim in hydrope. REN. E'stne illa, quæ circa marina litora nascitur? BRAS. Illa inquam. RENA. Est ergo marina Dioscoridis brassica. BRAS. Illa prorsus est. at Dioscorides de hac marina brassica aluũ cieri

 dicit,

dicit, de aquis verò educendis mentionem nō facit, & à Plinio dicitur libro 20. capite 3. brassicā marinā vehemētissimè ex omnibus aluū ciere, neq; de aquis vel minimum verbū dixit. BRAS. Hoc nihil refert, nam de vnoquoq; omnia dici nō possunt, neque vnusquisq; omnia scit, experiaris, nā aquas educere comperies, neq; etiā mediocriter. RENA. Quomodo hanc herbā exhibuisti? BRAS. Nōnullis in acetario ex oleo, & sale, & aceto. RENA. Tamen amara est herba. BRAS. Est subamara, & salsuginē quādam habet, & acritudinē, vt zucaro addito in acetario modicè amara videatur, quinq; aut sex boli esitati aquas mirè educunt in hydrope. nonnunquam iussi illā in iure ebulliri, vt brassica satiua, & coqui posteà in minutali ex zucaro prębui, & hoc etiam modo aquas educit. REN. Dioscorides dicit, elixa cibo coquitur ab aliquibus, propter acrimoniā cum pingui carne. BRAS. Et pinguedo illa iuris ad aluū ciendam ac emolliendā facit. RE. Ad quātam copiā in iure præberi debet? BR. Ad quantitatē pateræ cōmunis, in hoc sumendi modo pondus haud ponitur, at in puluerē redactā in iure præbeo, à duabus drachmis vsque ad quatuor, succi verò ipsius semiunciā præbui, tamen pro maiori parte in puluerem adhi-

adhibui, quia recens quidem Ferrariam affertur, ſed citò exiccatur, vt non poſsit niſi prima illa vice facilè in acetarij modũ eſitari, puluerem nonnunquàm in catapotia redigi iuſsi, & ad duas drachmas adhibui puerulis hydrope correptis in iẽtaculis, & placẽtulis imponi iuſsi, nõnunquàm zucaro ſaluiato miſcui, aut zucaro ex libanotide, & præbui. RENA. Eſt optima in hydrope herba. BRAS. Optima prorſus, & mille laudibus digna. Verùm & anguino cucumere ad idem purgandũ vſus ſum, ad aquas ſcilicet ſubducẽdas. REN. Tamẽ Dioſcorides dicit bilem & pituitam ſubducere. BRASSA. Et ſi ita ſcriptum relique rit, & alij omnes Dioſcoridem ſecuti ſint, experientia tamẽ rerum magiſtra duce in hydrope mirum in modum aquam educere compertum eſt, nonnunquàm horum cucumerũ copiam habebam, quos omnes in ſuccum redegi, quem per cribrum ſetaceum eliquari feci, poſteà huius ſucci libram accipi iuſsi, & cum nonnullis aliis ebulliri, aſcite affectis poſteà præbui, & aquas vehementer excernebant. RENA. Quæ admiſcebas, & quo modo coqui iubebas? BRASSAVOL. Ita compoſitionem parandam admonui:

℞. Succi cucumeris anguini ℔ j.

Daec

Dauci
Camphoræ
Aniſorum
Zingiberis
Cinnamomi
Maſtiches
Singulorum ʒ ß.
Zucari ℥ iij.

Miſc. & bulliant ad craſsitudinem mellis, poſteà iubebam præberi duo cochlearia noſtraria, quæ poterãt eſſe duæ drachmæ, & aquas vehementer educebat. Sum & foliis ipſius cucumeris vſus, & elaterio ad aquas inaniẽdas. elaterium verò adhibui in catapotia cõformatum, & in iure diſſolutum, vel in mulſa, vel in aliqua aqua vi ignis eliquata, tamen ſemper commiſcui aromata & illa, quæ ventriculi os roborare poſſunt. RENA. Ad quantam copiam præbuiſti elaterium? BRASSA. A' ſcrupulis duobus ad ſcrupulos quatuor, & pue rulis ſcrupulum vnum præbui. RENA. Legi apud Serapionẽ chachilem herbã aquas educere, éſne vnquàm illam expertus? BRASSA. Neque expertus ſum, neque verè ſcio, quæ'nam ſcit eiuſcemodi herba. RENA. Nónne quidam putarunt eſſe vocatam ſoldanellã, de qua ſuperiùs mentio facta eſt? BRAS. Ita nonnulli cenſuerũt,

quos

quos vt digni erant in simplicium examine, reprehendi. RENA. Miror te nullam habere de hac herba cognitionẽ. BRAS. Ne admireris, quia Serapio nullũ adducit Græcum authorẽ, qui de illa verba fecerit: sed adducit Abbicem quendã Isaac, & Rasim, nec probe herbam describit, nam comparat illã vsnæ, & foliis erucæ. REN. Difformis videtur comparatio. BRAS. Difformis prorsus, scio tamen herbã hanc esse maritimã & salsugineam, si cõtingat Illustriss. Ducem nostrũ ad sua maritima loca proficisci, tam diligẽter illam quærã, quòd omnino inueniam, at ad hoc vsq; tempus nullum de illa experimẽtum feci. RENA. Nonnulli arbitrãtur moti lachrymam, vel solã radicem aquas educere. BRAS. Radicem sum expertus, & in decocto, & in puluerem redactam, aquositates ducere percepi, lachrymam nunquàm sum expertus, & quia nõnulli de tenui pellicula sub cortice idem dicebãt, illam adhibui, & in puluerem redactam, & in decoctum, & tamen aquas non eduxit, nec aliud quicquam. RENA. Pellicula igitur illa non est cuiuspiam rei eductiua? BRASSA. Non prorsus, nisi experientia me fefellerit. RENA. Audiueram de quadam interiori pellicula cuiuspiam arboris, quæ hoc efficiebat.

BRAS.

BRASSA. Fortè est sambuci pellicula interior, sed nec ipsa educit aquas, quãquàm ventrem subducat, si ad semiunciam accipiatur. & si vncia in iure ebullierit, iúsque illud bibatur, vnum verò semel tãtùm expertus sum, quòd tam mire eduxit aquas, vt præbuisse ægrè tulerim: nam in tanta eduxit copia, vt ægrotum mori debere vererer, tamen sanitati restitutus est. REN. Quódnam est tam vehemens? BRAS. Aeris squama. RENA. Quomodo præbuisti? BRAS. Hoc modo, Volphangus Germanus vir apprimè doctus, & qui in destillandi arte neminem æqualem vnquã habuit, ex Germanicis fodinis æris squamam Ferrariam attulerat, experiri volui, an aquas educeret, vt à Dioscoride scriptũ est, cuipiam igitur hydropẽ patienti ex melle adhibui, timénsq; ne ventriculi os obléderet, cinnamomum, zingiber, mastichen, & anisa cõmiscui. RENA. Sciebásne esse os ventriculi læsuram? BRAS. Ita arbitrabar, quia in genere omnia ferè metalla pro venenis habebam. RENA. Nunc verò non habes? BRASSA. Imò & adhuc habeo, vanáque sunt, aurum potabile, & argentum, hæc enim viribus excedit optimum vinum, aurum verò potabile & argentum venena sunt. RENAT. In quanta copia

præb

præbuisti æris squamam? & quónam modo? BRASSAVOL. Hic fuit modus, & hæc fuêre pondera.

℞. Squamæ æris ℨ j.
Zingiberis
Cinnamomi
Mastiches
Anisorum
Singulorum Ǥ vj.
Mellis despumati ℥ j.

Misc. iussi, vt mel istud vti electuariũ ederet, quòd si efficere nõ posset, in ius puluis dissolueret, ac biberet: fuit verò squamæ æris drachma, sed boni põderis ac superantis. REN. Vehementer eduxit? BRASSA. Tam vehementer vt præbuisse ægrè ferrẽ. REN. Nemini vnquàm deinceps præbuisti? BRAS. Neque præbebo, tamen domi semiunciã fortè habeo eiusdem æris squamæ, quam mihi reliquit Excellentiss. Volphangus. RENA. Ego experturus sum, cùm ascite captus, sub curationem meam veniet. BRASSA. Caue ne erres admonitus. RENA. Non errabo: nam in minori copia adhibebo, neq; etiã adhibebo, nisi integras vires habuerit, tradũt & lycij semẽ aquas educere, ésne vnquàm expertus? BRAS. Neq; expertus sum, neq; à Dioscoride vel Gale. hoc dicitur, sed Dioscorides de

de lycio agens,cuiuſpiam, arboris mẽtionem facit,è qua ſit indicum lycium, arbórque illa lonchitis appellatur, de qua hæc dicit,quòd ipſius ſeminis duobus miſtris aquas detrahit potu. RENA. Deus nouit, quæ'nam ſit hęc indica lõchitis. BR. Non eſt valde difficile illam inuenire, tamen impræſentiarum prætereunda eſt,ne à noſtro intento diſcedamus, at vnum à Dioſcoride notatur, amurcam ſcilicet ad idem valere,ad quod lycium. RENA. Igitur amurca aquas educet? BRASSA. Non ſum expertus,tamẽ id conſequitur,vt probè intuliſti, at ad aquas educendas inueterata herinacei carne nonnunquàm vſus ſum, & aquas eduxit, at non vehementer, imò nec acceſſit purgatio ad mediocritatem. REN. Memini me legiſſe apud Dioſcoridem herinacei terreſtris carnem bibi ex aceto mulſo contra aquæ vitia ſubtercutem fuſæ. BRAS. Ego cum oxymelite hoc modo præbui, carnem decoqui iuſſi, poſteà edi, deinde oxymeli ad ſex vncias bibi. RENA. Arbitrabar carnem inueteratam intelligendam eſſe, huius animalis carnem exiccatam, vt in puluerem reddĩ poſſet. BRAS. Ego autem carnẽ illã ſale condiri feci, poſteà ſequenti anno adhibui ad duas ferè vncias cum pane, neque

caro illa edenti displicebat,tamen hydragôgum est nullius ferè momenti, maximum verò hydragôgum, sunt cantharides. RENA. Es'ne vnquàm expertus? BR. Neque vnquàm experiar. REN. A' Dioscoride dicitur cătharides hydropicis pro aqua conducere. BRASS. Ipse suis præbeat ægrotis,ego nunquàm solis vtar cantharidibus:à cantharidum nimirum exhibitione me deterruit Excellentiss. Vincentius Crema Chirurgus insignis. hic enim sumpto medicamento in vase dissoluto in quo cantharides contusæ fuerant,totus ab ore ad anum vsque excoriatus est, & præterea Hippocrates de nonnullis verba facit prope calcem quarti libri de ratione victus in morbis acutis, qui asciticis tres tantùm cantharidas præbuêre, & ab aqua quidem liberati sunt, verùm in coxam extuberauit, & tertio die obiêre,nonnunquàm granum cantharidum cũ aliis multis rebus adhibere tentauit,& hic sanguinis mictum incidit,hæc à cătharidũ exhibitione me impediuêre, præsertim cùm multa alia habeantur, in quibus nullum adest discrimen. REN. Tamen ab re non esset experiri, cùm à Dioscoride & à summis aliis viris hoc dicatur,imò & ab Hippocrate ipso,ac Gal. BRA. Tu in tuis ægro-

tis experiri poteris, in meis autem nunquàm experiar, cùm sint pessimum venenum, & erodens, quod quò diutius in corpore moratur, tantò magis offendit. REN A. Tamen Gal. dicit ad centesimã drachmæ partem exhiberi posse, & nihil offendere. BRASSA. Neque ad millesimam partem cantharidas solas præbebo. REN AT. Et ego tua sequar vestigia. BRAS. Syluestrem lactucam potius præbeto. REN A. Quomodo aducere potest, cùm sit frigidissima, & papaueris vires habeat, imò & melonio misceatur? BRASSA. Scito etiam esse amarissimam, quòd notat partes aliquas habere calidas, quarum ratione aquas educere poterit, ita enim à Dioscoride scriptum est, succum ipsius cum aceto mulso potum ad duos obolos aquas per inferna detrahere, & ita verum esse experientia constat. Tamen vehementer nõ subducit, vt nõnulla faciunt superiùs enarrata. REN. Nonne illa est, quam in viridario habemus, quæ satiuæ similis est, folio candidiore, tamen graciliore, ac magis aspero? BR. Illa inquam est, cuius flos albicat modicè lutescẽs. Quod verò in sacris literis scriptum est Ioannem Baptistam syluestres lactucas edisse, de alio lactucarum agrestiũ genere intelligere oportet: nam

herbam tam amarulentam nō edisset, qui fauis mellis aliōqui delectabatur. RENA. Ad quantam præbuisti copiam? BRA. Succum ipsius in hoc pondere præbui.

℞. Succi lactucæ syluestris ℥ j.
Aceti mulsi ℥ iij.

Misceantur. RENA. Tu ergo in maiori copia præbuisti, quàm Dioscorides faciat. BRASSA. In maiori copia præbui, quia duo oboli haud eduxêre, iccirco vnciam attigi, neq; supramodum eduxit. RENA. Potéstne præberi in acetario? BRAB. Posset quidē, sed esset nimis amarū acetariū. REN. Si nonnulli absinthium, & marrubium in acetario edunt, cur & hanc lactucam edere non possent? BRASSA. Id fieri posse nō nego, neque cuiquam prohibeo, sed haud placiturum, affirmo. RE. Nemo ambigit, verùm in quanta copia præberes, si acetarium ex ipsa masticandum iuberes? BRAS. Sex bolos cū pane præberē, & ante prandium edi voluerim. REN. Boli possent esse maiores & minores. BRAS. Intelligo, vt os illius, qui insumit, facile capere potest, ac commode, & à sua cōsuetudine non diuaricet, modò ex his mulieribus non sit, quæ videntur indices salutationis angelicę in filum imponere, cùm bolos in os infigunt, his etenim imponēdum

est vt magnos insumant bolos, fortè idem efficeret exiccata, & in puluerem ac in catapotia redacta, at non sum expertus. RE. Futura æstate experiemur, posteaquàm in nostro viridario scaturit, at præbuistine vnquàm sampsuci decoctum? BRASSA. Præbui ad incipientes ascites: nam cùm confirmatæ sunt, nihil agit sampsucus vel imbecilliter agit. RENA. Quantam sampsuci quantitatem ebullire fecisti? BRAS. Manipulum commune in aqua, cui & non nihil salis addidi, posteà iussi pateram bibi, absque pondere statuto, poterant esse septem vel octo vnciæ decocti, & nonnunquàm addidi aliquid olei. RENA. Fortè huius herbæ puluis idem efficiet. BRA. Non sum expertus, sed facillimè experimẽtum sumemus, in primo qui nobis occurret, ascite incipiente capto, poterimus quancunq; quantitatem præbere absq; vllo timore, etiam si ad vnciam præberemus, imò sua siccitate aquam illam modicam exiccabit, & in nihilum rediget, etiam si illam per aluum non attraheret. RENA. Eduxitne aquas decoctum, quod præbuisti? BRASSA. Nescio quid materierum vix eduxit, arbitror in intestinis adfuisse, adhibui nonnunquàm succum ad vncias sex, & idem effecit: tamẽ aquas quæ pau-

cæ

cæ erant, sua caliditate dissoluit:& hoc forte est, quod Dioscorides scripsit, succum decocti ad aquas intercutes morbo incipiente vtilem, non enim dicit, quòd aquas educat, sed vtilem esse resoluendo. REN. De androsace à Dioscoridè notatur, quòd data drachmis duabus in vino hydropicis copiosam vrinam ciet. BRASS. Androsacem quidem vidi in Illyrio & Ferrariam tuli, sed non sum expertus. RENA. Nonne hæc herba est ciri illi albi, quos supra calculum complantatos seruas? BRASS. Illa inquam est, quam mihi dono dedit Reuerendus ac insignis theologus Augustinus Riginus compatriota noster, nescio impræsentiarum vbi illa sit, quam Ferrariam attuli, at difficile non est illam habere, iccirco vt experiamur curabo ex Illyrio ad nos aduehi, quod mihi erit ita facile, vt in forum proficisci. RENA. Es'ne vnquàm tripolium expertus? BRASSA. Ignoro, an viderim, quanquàm circa maritissima Illustriss. Ducis nostri loca me vidisse suspicer, & si nõnunquàm illuc proficiscar: quod prorsus fiet, & hanc & alias maritimas herbas diligēter perquiram, & an aquas subducant experiar. REN. Dioscorides dicit in vino pota denariorũ duũ instar aquas per aluum trahere, & vrinas.

BRASSAVOL. Vnum expertus sum, & mirificum esse inueni ad aquas educendas. RENAT. Quid est hoc? BRASSA. Vinum ex cortice radicis cucumeris anguini, si præbeantur terni cyathi antiqui tribus diebus ieiunis, quoad tumor abeat, & tota aqua absumatur. RENA. Vinum hoc quomodo efficitur? BRASS. Vt Dioscorides docet, nam huius cucumeris triti radicem, in duos vini sextarios imponit, accipiebat verò libycum vinum, nos autem accipiemus & accepimus vinũ creticum. hoc vnum animaduerto, quantò vina sunt potentiora, tantò faciliùs vim medicamentorum in se recipere, vel à radicibus sint, vel à floribus, vel à foliis, vel à quacunque alia re medicamentosa. RENA. Sinebátne diu radices has in vno Dioscorides, priusquàm vinum præberet? BRASSA. Non exprimitur ab authore, sed arbitror seruasse per quadraginta dies, vel per plures dies, posteà adhibuisse, sed in quadraginta diebus medicamentariam vim optimè recepit vinum. RE. Ventriculum perturbare debuit, quando præbuisti. BR. Imò haud perturbauit, sed potiùs tormina quædam induxit, quin à Dioscoride scriptum est, hanc radicẽ educere absq; iniuria stomachi, ego nonnunquàm

quàm vinũ paraui ex noſtratibus vinis, ſed tunc ab vuis expreſsis : nam hoc modo medicamenti vim faciliùs recipit, veruntamen non præbui, niſi poſt ſex menſes, multa etiam tithymalorum genera expertus ſum, & reperi ab omnibus aquas eſſe eductas, quanquàm & ſimul alij educti ſint humores, verùm inter alias tithymali ſpecies, ſeptima vice educit aquas. RENAT. Illa eſt, quæ à Dioſcoride platyphyllos vocatur. BRASSAV. Illa inquam. RENAT. Et de ea Dioſcorides dicit, quòd radice, vel lacte vel foliis aquas per aluum detrahit ; quomodo autem præbuiſti? BRASSAVO. Lac præbui oxymeliti miſtum ad drachmas duas, nota verò me quandoque lac exiccari feciſſe, tamen opus eſt magnam ipſius habere copiam, aliter euaneſcit & conſumitur, deinde in puluerem redegi, atque præbui, ſatis eſt drachma cum iure, cinnamomo, ac aniſis, quandoque in catapotia redegi, quandoque in ientaculum, vel in placentulam pro puerulis imponi iuſsi. Omni modo preberi poteſt, quo vnũquodq; aliud medicamentũ, cuiuſcunq; ſit generis præbetur : radicis veró puluerem in iure adhibui, in oxymelite, & in aliqua ex aquis vi ignis eliquatis, redegi nõ

nunquàm hunc puluerē in catapotia cinnamomo, zingibere, & mastiche, semper additis. R E N. In quo pondere? B R. In isto.
℞. Pulueris radicum platyphylli ℥ j. ß.
Zingiberis
Cinnamomi
Mastiches
Nitri
Camphoræ
Singulorum ℈ vj.
Misceantur: & fiat puluis subtilissimus, tamen ad duas vsq; drachmas quandoq; prębui, & in aliquibus vnam tantùm drachmam. de huius herbę foliis idem iudicium faciendum est, hunc puluerē in quamcūq; formam placuerit præbeto. R E. Cur zingiberem addis, cinnamomū & mastichē? B R A S. Vt ventriculi os roborent. R E N A. Ob quid ista addere cùm ab authoribus non dicatur? B R. Omnes omnia referre no possunt, sed diligens medicus ea addere debet, quæ sibi conuenire videntur, etiā si ab authoribus scripta non sint, hæcq; in medicamētis generalis regula esse debet, quam summopere seruare debemus, cùm vehementia præbentur medicamenta, illa semper esse addenda, quæ os ventriculi roborent. R E N. In genere verò quæ'nam illa sunt, quæ ventriculi os roborare possunt

sunt? BRASS. Sunt odorata calida,& frigida etiam odorata, in ventriculi inflammationibus, calida erunt vt anisum, ammi,fœniculum,seseli,amomum,zingiber, gariophylla, cinnamomum, amaracus, spica,ac similia,de quibus mentionem facit Gal.in secũdo de ratione victus in morbis acutis. RENA. Cur nitrum addidisti? BRASSA. Quia medicamentorum vim acuit,neque ventriculo obest, frigida verò odorata,sunt rosa, violæ, mastiche, camphora,& eiusdem generis alia, cinnamomum verò temperatum est, vt cum calidis ac frigidis iungi posit. RENA. De his iam satis,reliqua prosequaris aquam educentia. BRAS. Cicinum oleum aquas educere aptum est. RENA. Quomodo conficitur? BRA. Dioscoridis modos prætereo, cum quibus tamen & hic conueniet, cicina grana accipiuntur,& omnibus exuuntur corticibus, posteà in loco calido qui modicam excedat temperiem seruentur, vt incalescant,deinde pistillo contundantur, posteà iterum calescant, & in sacculum posita torculari exprimantur, ita nos impręsentiarum paramus hoc oleum. RENA. Eodem modo fit amygdalinum oleũ? BRASSA. Ita fieri nihil impedit. REN. Quomodo præbetur? BRASSA. Bibendum

dum præbetur, ad vnciam vnam ex iure, vel solùm absque iure, nonnunquàm plus præberi debet, nonnunquàm minus, vt robustiores & minus robusti sunt illi, qui insumunt. RE. Memini Dioscoridem scriptum reliquisse, ad ventris purgationes conuenire. BR. Et addit etiam si qui aquis grauentur, vt notet aquas educere, quæ ventri insunt. REN. Educítne illas vehementer? BRAS. Non vehementer, vt alia faciunt, tamen educit & ipsas aquas, & illa omnia quæ in intestinis continentur, quoniam præter aquas pituitam vidi & bilem etiam eductam. REN. Et granum ipsum cicinum tria illa educere testatur Dioscorides. BRAS. Scito tamen oleum istud aquas magis educere, quàm alios humores, fortè grana ob aliàs partes ab oleo sa humores alios educunt præter aquam, RE. Quomodocunque sit, ego multa ricini semina collegi, illa exprimi faciam, oleúmque colligam, & statim experiar, an aquas educat, vidi semina egregiè ventrem subducere, & diuersorum colorum educere humores. BRA. Tamen pituitam educunt, bilem, & ichores. RE. Et hi humores faciebant in tota massa, quæ è ventre exciderat diuersos colores, vt bilis erat, à pituita separata, & illi mista. BRASS. Ita

esse

esse planum est, sed de hac re agemus, cùm de mistis humoribus euacuandis verba faciemus. Legi apud recentes, Serapionis sententiam esse, liliorum radices aquas educere, priusquàm legerem Serapionem atque contemplarer, cuipiam liliorum radices adhibui in iure decoctas, ad vnciam vnam ex cinnamomo, & anisis. REN. Eduxêre ne? BRAS. Nihil penitus, imò statim meipsum reprehendebam, qui prius authorem hunc non considerauerim, quàm per os præbuerim, cùm nihil penitus de hac eductione à Dioscoride vel Gal. scriptum sit, propterea Serapionem legi, & reperi nihil ab eo de hac eductione, in cõmuni lilio scriptum esse, at horum errorem deprehendi: quoniam cùm in eodem capite de Iride loquatur, & lilium vocet, de quo dicit, quòd aquas educit, citrinas, arbitror illos non considerasse, de qua re hoc dixisset Serapio, sed tantùm in capite de lilio legisse ad aquas citrinas cõferre, neque considerasse, de quo lilio loqueretur, sed tantùm legisse capitis titulum, qui est de lilio simpliciter, propterea lilio attribuerint, quod aquas educat. RENAT. Fertur & lonchitidis semen aquas educere, expertus ne es? BRA. Multa sunt, quæ sub lonchitidis nominationem

ven

veniunt, nam aſplenon apud Dioſcoridem lonchitis vocatur, adeſt & quam propriè lonchitim vocant, & hanc ſubſequitur altera lonchitis, nullam harum aquas educere ait, neque verè educunt, tamen in lycio à Dioſcoride notatur (quod ſuperius etiam docuimus) tradi lycium indicum naſci à frutice, qui lonchitis vocatur, eſt verò lonchitis iſta ſentis genus virgas habẽs ſubrectas, tricubitas, aut eo etiam ampliores, protinus ab radice multas, craſsiorésque rubo, cortex abſcedens cruentus, folia oleæ. De huius fruticis ſemine ait, quòd duobus myſtris potu aquas detrahit. At neſcimus, quid ſit iſta lonchitis, neque illam vnquàm vidimus, quanquàm aliàs arbitratus ſim, eſſe fruticem illum qui in Ferrarienſibus oritur foueis & ſanguano vocatur, at ne memoria excidat quòd æſtate futura de huius ſanguinarij fruticis ſeminibus an aquas educant, periculum faciamus, ob ſimilitudinem ſaltem quam cum lonchite Indo habet. RE. Memoria non excidet, quoniam ſtatim in illa ſchæda notabo, in qua omnia deſigno, de quibus periculum facturi ſumus; de murium autem ſtercore quid ſentis? BRA. De eo nihil ſentio, cur ita me interrogas? REN. Quoniam nonnullos audiui & legi, qui

qui ad educendas aquas muscerdam conferre dixerint. BR. O infelicissimi ægroti tales, qui in tales incidunt medicos, qui & stercora etiam exhibent insumenda, cùm infinita alia sint potiora, quòd balanus fiat ad ventrem excitandum, à Galeno in decimo de simplicium medicamentorum facultatibus scriptũ est, & à me in multis puerulis expertũ, in balanorũ defectu ex melle, sed an per os aquas educat, neq; expertus sum, neq; vnquàm experiar: primò quia indignũ mihi videtur muscerda vti, vbi alia adsunt potiora, quãquàm neq; crediderim vim illã obtinere, preterea ne derisioni assistentibus essem, quã subiit medicus quidam Galeni tempore, hic nimirum à cuiuspiam pueruli familiaribus quid agendum vt excerneret interrogatus, respondit accipiendam esse muscerdam, illi omnes in risum soluti sunt, cùm inibi multa alia in promptu haberentur, & hic muscerdam proponeret, vt omnibus derisui esset, quando ego iniici feci ex muris stercore balanum, deerant balani, & nihil erat magis in promptu, quàm muscerda, ne adesset deridendi locus, si inibi alia fuissent quæ apponi balani loco potuissent, iccirco Galenus eodem loco his vtitur verbis, Nam re vera pudendum

est alia etiam experiri velle, cùm omnes ceu curiosum & præstigiatorem condemnent eũ, qui talia, aut faciat aut dicat. Ad rem verò neque expertus sum, neque experiri volo, ad aquam educenda muscerda. RENA. Audiui ac legi apud recentiores nonnullos labruscæ radicem aquas educere, ésne expertus? BRAS. Neque sum expertus, neque experiri volo, cùm apud Dioscoridem, Galenum & antiquiores omnes & labruscæ partes, & œnanthe & vinum nigrum è labrusca adstrictione prædita esse iudicatum sit, ob hoc experiri nunquam volui. RENAT. Cùm & rhabarbarum, & myrobalani, naturæ sint adstringentis, tamen educere valent, cur fieri non potest vt hæc radix, quamuis adstrictoria sit, educat? multa enim sunt, quæ comprimendo educunt, & hæc quæ ita educunt, adstringentia sunt. BRASS. Posteaquàm tibi placet experiemur, an hoc efficere possit, illámque in puluerem redigemus, in catapotia, in decoctum, & in omnem modum, quo accipi posse medicamenta ducemus, at hoc non esse effecturam arbitror. REN. Si ita inueniemus, palàm dicere poterimus aquas minimè educere, neque alios humores. Si verò educent, è contrario dicere poterimus, esse aquarum eductiuas &

alia

aliorum humorum, quos eductos videbimus. BRASSA. Ne amplius de hac re te torqueas, quoniam breui periculum faciemu, tu interim curato, vt radicem habeamus, quod facillimè fiet, nam in promptu ægrotum habeo in quo experimentum sumemus, qui ascite affectus est. RENA. Id breui efficiam, neque magno incommodo, at quid dicis de hæderæ baccis, quas educere aquas scriptum est? BRASSA. Apud Græcos non constat, legi tantùm apud Plinium iuxta Erasistrati sententiam vnius hæderæ generis baccas id efficere, cùm viginti numerentur hæderæ genera. RENA. Quódnam genus hoc est, de quo illi intelligunt? BRAS. Plinij verba adducam ex libro 24. cap. 10. ex quibus cognosces, & quódnam genus hederæ sit illud, & quomodo præbeatur, inquit vero hæderæ quam chrysocarpon appellauimus, baccis aurei coloris viginti, in vini sextario tritis, ita vt terni cyathi potentur, aquam quæ cutim subierit, per vrinam educit Erasistratus. REN. Tamē an ita sit nondum es expertus? BRA. Non sum expertus, verùm facilè experiemur, cùm nobis non desint ægrotātia subiecta. REN. Illud supra modum mihi placet, quòd cùm de re aliqua experimentum sumis ægro-

tanti experimentum persoluis. BRASS. Vt plurimùm sunt pauperes illi, in quibus pericula fiunt, vt necessarium sit, aut illis medicamenta emere, si vendantur, aut inuenire sit in pharmacopôliis non adsint, & plerunque illis (vtpote ignaris) meis manibus paro. RENA. Hoc mirum videtur, quòd paupertas sit pro maori parte ignorantiæ iuncta. BRASS. Tamen & sub pauperum pelle illustria inueniuntur ingenia. RENA. At illa iure quieta sunt, neque suo permanent statu, sed plerunque hi ad diuitias euolant, & magna aliqua ac egregria facinora perpetrantur. At ad rem propositam redeamus. audiui Paulum Aeginetam scriptum reliquisse chimæleæ folia aquas educere. BRASS. Quid chimælea sit, apud authores inueniri non potest neque apud Paulum, probè autem scio, quid sit thymelea, quæ & aquas & pituitam & bilem educere fatentur. De illa verò mentionem faciemus, cùm de medicamentis tot humores educentibus verba habebimus. RENA. Illi ergò nomen aberrarunt. BRAS. Aberrarunt prorsus, verùm occurrit id simplex quod à Mesue mezereon vocatur, de quo dicit citrinas aquas educere, eóq; sum expertus, & plus eduxit quã voluerim. RE. Fortè in pluri copia exhib

hibuisti,quàm conueniret. BRASS. Drachmã semis adhibui,quæ est minima portio,quæ præberi debet.nam Mesue, inquit præbendum esse à semidrachma vsque ad integram drachmã,tamen & ipse ait,quòd aquam citrinam vehementissimè educit. RENA. Educitne solam aquam,an & alios humores? BRAS. Pituitam simul educit, atque bilem. RENA. Cur ergo de illo hîc sermonem habuisti? BRAS. Obiter locutus sum, quia à Mesue dicitur, quòd solam citrinam aquam educit,neque de aliis humoribus mentionem facit. RENA. Quid est mezereon? BRAS. In simplicium examine,docui Arabes in hac herba summè deceptos esse,quoniã duas herbas sub vna complectuntur,nam Dioscoridis chamæleam & thymæleam, sub mezereon confundunt, signáque vnà miscent,& figurã, at de his aliâs verba faciemus,quando de pituitam, bilem, & aquam educentibus pertractabimus. RENAT. Nonne arbitrandum est illa, quæ aluum inaniunt, in hydrope aquas educere? BRAS. Ita arbitrandum censeo. RENA. At à Plinio libro vigesimo, cap. 5. scriptum est, allium iuxta Dioclem hydropicis, cum centaurea aut fico duplici ad euacuandam aluũ,quod efficacius præstat viride cum coriandro in

aceto potum. BRASS. Fortè competit in tympanite, nam allij natura est flatus educere, si illa, quæ humores alui cient & præbentur in hydrope, aquas educere intelligerentur. De radice labruscæ, de qua superiùs locuti sumus, idem dici posset, nam Plinius libro 23. cap. primo ait, labruscæ radix decocta in aqua pota in vini Coi cyathis duobus, humorem alui ciet, ideò hydropicis datur. RENA. De hac re experimentum sumemus, licèt tibi animo esset nunquàm experiri. BRASS. Experiemur vt tibi mos geratur, quãquàm & de œnanthino oleo à Plinio scriptum sit libro 23. cap. primo aluum soluere heminæ mensura cum vino, & calida aqua potum, aut ptisanæ succo, sed Dioscorides Plinio penitus oppositus est, cùm de œnanthino vnguento agens, dicat, quòd neque aluum ciet, neque emollit. RENA. Nescio vnde Plinius id acceperit. BRASS. Ab aliquo authore; nam nullum est tam publicũ mendacium, quod teste careat. Sed & Plinius lib. 24. cap. 6. de sphagno dicit, quòd aquã ducit in hydrope. RENA. Es'ne expertus? BRASS. Non sum expertus; at expertus sum fraxini semina, neque multam percepi eductionem, quamuis à Plinio scriptum sit lib. 24. cap. 8. fraxini semen, aquam quæ

sub

subit cutem, extrahere. RENA. In eodem etiam cap. ita à Plinio scribitur, vtriusque sambuci decoctum in vino veteri foliorũ vel seminis, vel radicis, ad cyathos binos potum, stomacho inutile est, aluo detrahẽs aquam. BRAS. De his superiùs locuti sumus, & multos modos insumendi sambucorum genera edocuimus, tithymalum charatias Plinius libro 26. cap. 8. dicit lac ipsius excipi fico ad quinque guttas, tutius purgari hydropicos dicunt fícu sumpta, quot guttas lactis exceperit. RENA. Intelligis per hoc hydropicos purgari, aquas educi? BRASS. Ita intelligendum censeo. RENAT. Et lib. etiam 27. cap. 7. ait, ampelon agriam aluum soluere, ideò hydropicis dari, illud verò quod aluum soluere dicit, est ventrem aqua exinanire. Vnde & Dioscorides ait ventris aquas educere. BRASS. Eodem lib. 27. cap. 10. de hypophæsti radice idem Plinius ait radicis succum exprimi æstate ad soluendam aluum tribus obolis, maximè in comitialibus morbis, & tremulis hydropicis, in his verò solas aquas educere clarissimum est. RENA. Legitur etiam de ammoniaca gutta, quòd aquas subducat. BRASSA. Non sum expertus: præbui tamen quandoque anagalidis succum ex aqua mulsa,

& in hydrope aquam eduxit. RENA. Ad quantam copiā præbuisti? BRAS. Ad duas vncias, de vinca pro vinca à Plinio scriptū est lib.21.cap.27. quòd arida tusa hydropicis datur in aqua cochleari mensura, celerriméque reddunt aquam, & de onice cunila legitur, quòd aquosa educit, sed hoc est per vomitum. RENA. Alia igitur prosequaris. BRAS. Nihil aliud mihi impræsentiarum succurrit, quàm hemerocalles, de qua Plinius lib.21.cap.21. ait, quòd cum melle imposita ventri aquam pellit. At hoc facit extrinsecus apposita, non per os sumpta, imò & ineptè hoc efficit. RENA. Neque hoc prætereundum erat. BRASS. Dioscorides verò dicit, quòd cum melle imposita (de radice loquēs) vellusculo pessus fit ad aquam pellendam. RENA. Arbitror in mulieribus pessos esse in vterum indendos, in viris autem in rectum intestinum, quanuis & in mulieribus in rectum intestinum imponi possint; verùm intelligi etiam posset vellusculum illud supra ventrem esse extendendum; ad aquas verò in hydrope pellendas, & alios humores, qui in ventre sunt, mirè facit linimentum quoddam, quo nonnunquàm vsus sum. RENA. Quódnam est? BRAS. Hoc quod sequitur.

℞. Fellis Taurini lib. j.
Aloës ℥ vj.
Pulpæ colocynthidis ℥ iiij.
Scammonij ℥ ij.
Succi cucumeris anguini ℥ v.
Misc. simul, & coquantur ad succi consumptionem, posteà venter inungatur. REN. Nónne idem efficit vnguentum de artanita? BRASS. Idem prorsus si recens sit. RENA. Nunc composita referto medicamenta, quibus ad solam aquam educendá vsus es. BRAS. Hoc fuit facile ac imbecille medicamentum.
℞. Syrupi ros. sol. ℥ iiij.
Sampsuci decocti in aqua ℥ iij.
Misc. & hoc etiã, quod sequitur, facile est:
℞. Rosarum Damascenarum ℥ ß.
Sampsuci ʒ ij.
Misc. & fiat acetariũ, quod ex pane comedatur, fiat autem ex oleo aceto, & sale, addito zucaro, posśúntque hæc in puluerem reduci, ac in pilulas cõformari. at hoc quod sequitur, mediocre est medicamentum.
℞. Succi radicis iridis ℥ ß.
Syrupi ros. sol. ℥ iij.
Inf. senæ ℥ ij.
Misc. RENA. Arbitror medicamentum hoc aquas vehementissimè eductur ũ esse. BRAS. Non tam vehementer educit, verùm

rùm & hoc mediocre est.
℞. Succi radicum Iridis ℥ ij.
Vini ex cucumere anguino ℥ iij.
Cinnamomi
Zingiberis
Gariophyllorum
Anisorum
Dauci
Singulorum ℈ ß.
Misc. RENA. Arbitror ego quòd supra modum educet. BRAS. Non educet supra modum, sed egregiè solùm. RENA. Cur addis semper aromata, cũ & ipsa sint calida? BRAS. Addo, ne os ventriculi afficiatur. RENA. Cuperem vt vehementissimum hydragôgum in forma catapotiorum cõficeres. BRASS. Hoc est magnum hydragôgum quo vsus sum:
℞. Radicis iridis ℥ iiij.
Radicis ebulorum ℥ iij.
Brassicæ marinæ ℥ ij.
Lactucæ syluestris
Radicis labruscæ
Hemerocallis
Singulorum ℥ j. ß.
Baccarum hederæ chrysocarpi ℥ j.
Cinnamomi
Zingiberis
Camphoræ

Aniſorum
Ameos
Seſeleos
Nitri
Singulorum ℈ ß

Miſc.& fiat puluis ſubtiliſsimus. RENA. Quid de hoc puluere faciendũ eſt? BR. In pulli iure ſumi poteſt ad duas drachmas. REN. Eſt'ne ipſius ſumenda quãtitas drachmæ duæ? BR. Minimè, ſed ab vna præbeo drachma vſq; ad duas, imò puerulis ſcrupulũ tantũ exhibeo,& ſi quis in iure ſumere noluerit, in aliqua bibat aqua vi ignis eliquata. REN. Nónne poteſt in catapotia redigi? BRAS. Quid impedit? nã ex oleo cicino & hoc puluere globus efficitur, ex quo deinde catapotia cõformãtur. RE. Debéntne in eadẽ accipi quãtitate? BRAS. In eadem prorſus, quanuis catapotia ſint vehemẽtiora quàm puluis, ob oleum cicinum quod recipiunt, aquas educere aptiſſimum, ſi tibi etiam luberet zucaro roſaceo, aut alio ſimili puluerem commiſcere, nihil impediet. RENAT. Apud Aetium duo hydragôga legi, ſúntne vehementia? BRASSAVOL. Non ſolùm non ſunt vehementia, vt prædicta, ſed præter aquas alios etiam educũt humores. REN. Ob hanc fortè cauſam illius partis apud

Aetium descriptio est, hydragôgum Oribasij pituitam & aquas ducens, quod hoc modo conficitur:

℞. Seminum rutæ
Piperis
Ramentorum eboris
Euphorbij
Singulorum partes æquales.

Dantur scrupuli tres cum melicrato condito. BRASSA. Nescio an eduxerit. RENA. Si quid educat, potissimùm euphorbium est, at hoc pituitam educit, ac aquas. BRAS. Id verum est, quod dicis, at aquas validiùs educit, propterea hydragôgum vocari potest. RENA. Tu aliud referas ab Aetio positū, si memoria habes. BRAS. Memoria habeo, & hoc est quod refero.

℞. Petroselini
Anisi
Corymborum thymi
Singulorum ℈ iij.
Foliorū aridorum chamæleucæ ℥ j.
Mellis quod sufficit, ad edegmatis formā.

integra purgatio quatuor cochlearibus redditur, quòd si vim augere velis, addito squamæ æris drachm. vj. tunc integra purgatio cochlearibus tribus perficitur. RENA. Iam sum satur tot hydragôga audire medicamenta, verùm in hydrope solùm

præb

præberi censeo. BRASSA. Imò & mulieribus præbeatur, quæ aquas vtero gerunt, & viris etiam vlcera habentibus, quæ ob nimiam corporis humiditatẽ & ichorum abundantiam sanitati restitui nõ possunt, & his qui in toto venoso genere ichoribus abundant.

De medicamentis tam simplicibus quàm compositis, sanguinem solum educentibus.

CAPVT V.

RENATVS.

TEMPVS iam imminet, vt ad illa pedẽ conuertamus medicamẽta, quæ sanguinem purgare atq; euacuare sunt apta. BRAS. Rem impræsentiarũ commoues, quam nemo vir probus exequi tentare debet. RENA. Cur hoc dicis? nõnne adsunt medicamenta quæ sanguinem subducere valent? BRAS. Imò adsunt: veruntamen omnia sunt deleteria venena, ac perniciosa, quibus nemo vir iustus vti debet, modus verò quo sanguis euacuari debet, est per venę sectionem, per cucurbitulas, per cornicula, per hyrudines, per simplicem scarificationem, non autem per medicamenta, quæ per os insumere oporteat. RENA. Arbitrabar non adesse huiusmo-

di medicamenta, cùm haud exequendum esse monuisti. BRASSA. Imò adsunt, & omnia medicamenta cathartica si copiosè insumantur, sanguinem denique subducunt, hoc verò in fine semper est, cùm alij scilicet fuerint subducti humores, nam à natura sanguis vltimo loco reseruatur, vtpote quem amet, obseruet, quo oblectetur ac viuat, cùm sit ipsius thesaurus & vitæ fomes. RENAT. Neque me latet, reliqua medicamenta ideò præberi, vt reliqui euacuentur humores, & sanguis purior reddatur. BRASSA. Ita Galen. docet in libello de virtute, quæ medicamentis purgatoriis inest, in quo etiã loco sanguinem haud educendum esse monet, & nunquàm per medicamenti vim educendum, simúlque ostendit sanguinem educentia medicamenta, esse venena præsentissima. RENAT. Arbitror te intelligere medicamentum aliquod inueniri, quod sanguinem primò educat. BRASS. Ita intelligo, sicuti scammonium primò bilem educit, & si vis aliqua adhuc ei supersit, alios educit humores, & colocynthis pituitam primò educit, posteà hac euacuata si educendi vis adhuc supersit, cæteri educuntur humores, & lapis Armenus atram bilem primò educit, & si vis adhuc supersit,

ſit, alij humores ſubducuntur. Idem intelligendum eſt de medicamento ſanguinem ducente, ita diſpoſitum eſſe oportere, vt primò ſanguinem educat,& ſi homo priùs non obiret ſanguine euacuato, reliquos ſubduceret humores, tamen de hoc medicamento ſanguinem educente Gal. notat, non ſequi ad ipſum aliorũ humorum ſubductionem, ſed mortem, refert verò in præcitato libello caſum, qui contigit in Bithynis Thraciæ populis, quiſpiam ſuillum iecur domum aſportabat, cùm verò excernendi cupiditate teneretur, iecur in herba depoſuit, ac excreuit, cùm iecur accipere voluit, vidit vti riuulos quoſdam ſanguinis, qui à iecore diſcedebant, & ad herbam quandam perueniebant, hoc contemplatus ſceleſtus hic vir, coniectari cœpit, ſi quis hanc herbam inſumeret, quod ſanguinem eiiceret, & hoc expertus eſt, & ita eſſe deprehendit, vt deinceps illa herba multos necauerit, fuit apud magiſtratum accuſatus, qui iubens illum capi, faſſus eſt ſe multos illa herba interfeciſſe, & quòd copiosè in illa regione naſceretur,tamen & faſſus eſt ſe nemini illam indicaſſe, propterea duxerunt illum ad mortem, clauſis oculis & obligatis

tis, ne in itinere alicui herbam illam ostenderet. RENA. Herba igitur ista sanguinem primò educit, secūdò vitam, quia sanguis purgari, hoc est excerni non debet. BRAS. Imò Gal. in eodem libello docet cætera medicamenta dici purgatoria, quia sanguinem purgant, & ab aliis prauis humoribus liberant. RENA. Arbitrarísne veram Historiam illā in Bithynis factam? BRASSA. Id mihi illam suspectam facit, quod est suillo iecore mortuo, & extra ventrē educto, à quo emanarat iam totus sanguis, neque habebat caliditatem in actum ducēdi herbam iecur, sanguis potuisset vti riuuli ad herbam emanare. RENA. Fortè vi solis in agendi actū fuit deducta, & iecoris substantia in sanguinem soluta fuit. BRASSA. Ne de his digladiemur, sat est à Gal. historiam esse relatam. RENA. Memini cuiuspiam pulchræ sententiæ in eodem libello à Gal. scriptæ. BRASSAVO. Quæ'nam est? RENA. Hæc, causam reddere medicamenta, quæ per intestinorum & ventris venas sanguinē deiiciunt venenis adnumerātur. BRASSA. Priùs etiam dixerat, atque nemo est adeò prudens medicus, vt vniuersum sanguinem euacuare, reliquos autem humores intus relinquere velit. RENAT. Cognoscísne tu herbam illam,

illam, quæ sanguinem subducit? BR A. Ita illam cognosco, vt tu ipse mihi notus es. RENA. Quæ nam est? BRASS. Si Gal. iubet nemini esse indicandam, cur illam tibi pandendam petis? RENA. Arbitror te tale de me iam sumpsisse experimentum, vt ambigere non debeas, me illam alicui propinaturum, aut reuelaturum esse. BR. Imò minimè ambigo. At satius videtur illam ignorare, veruntamen cùm ex his, quæ noui, nihil vnquàm tibi occultaturus sim, propterea neque herbam hanc prætereo, quin illam tibi pandam, nolo autem cuipiam alteri quàm tibi illam reuelare, iubens per paternam obseruationem te illam vlli nunquàm esse reuelaturum, at ne alij audiant aurem inclinato. REN. Iam audiui, herbámque noscebam, ac pro veneno habebam, an verò sanguinem subduceret, & ita homines reuocaret, ignorabam. BRASSA. Nunc scis illam esse, & id efficere posse. RENAT. Es' ne tu expertus, an sanguinem subducat? BRA. Admonui nonnunquàm suillum iecur, at sanguis non exiuit, fortè quia non erat eodem die interfectus sus, tamen arbitror, si per os sumatur, id effecturam. RENA. Per os ergo non es expertus? BRA. Neque experiri volo: nam non sunt temerè præ-

benda venena, at maximam enãciscar experiundi commoditatem, cùm quispiam reus capite mulctandus erit: illum nanq; mihi donari faciam ab Illustriss. Duce, & herba exhibita deinde totis viribus conabor, & omni medica diligentia (vt aliàs in aliis venenorum generibus feci) vt sanitati restituatur. R E N. Hoc vtile erit cunctis mortalibus, nam herbã experieris, & quibus præsidiis opem ferre posis his qui illã sumpserint, inuenies, & fortè pauperculum illum à morte liberabis. B R. Negandum igitur non est, medicamenta inueniri quę sanguinem educere posint, & hoc primò. R E. Fuítne hoc quandoque negatum? B R A. Fuit, vt Gal. testatur. R E. Nónne & cantharides sanguinem educere valent? B R A S. Et educunt, sed per vrinarias partes ac vias, cúmque cantharides ad vias vrinarias naturaliter proficiscantur, arbitror, quòd hoc efficiant erodendo ac exulcerando. R E. Cur exulceratio non fit in ventriculo? B R A. Fit, & in ventriculo, & in iecore, & in intestinis, & in omnibus partibus, per quas transeunt cantharides. Nónne aliàs tibi dixi de Vincẽtio Cremẽsi chirurgo insigni, qui ob epotũ medicamentũ in mortariolo pinsum, in quo famulus quispiam cantharides contriuerat, sangui
nem

nem minxit,& ab ore ad anum vſq; exulceratus eſt?R E N.Recordor te hunc caſum retuliſſe, at hominem non noui.B R.Hoc non me latet,nam nondum eras cõceptus, quando vita functus eſt, neque ego vxorẽ adhuc duxeram,ego ſolarum cantharidũ vſum per os ſemper obiurgo, & obiurgabo,licet in hydrope illas præbeat Hippocra.in calce lib.4.de ratione victus in morbis acutis.R E N.Dicitur & de colocynthide,quod ſanguinem educat.B R A.Imò eſt Dioſcorides,qui ait pituitã,& bilẽ, & ſanguinem, & pigmenta ſubducere, ſed hoc magno cum ordine facit.Nõ enim primò ſanguinem educit, vt nos impræſentiarum de ſanguinem educentibus medicamentis verba facimus, at primò pituitam educit,ſi eius vis perſeuerabit, bilem educet,ſi adhuc perſeuerabit,educet atram bilem:ſi adhuc eius vis perſtet, quia copioſè fuerit ſumpta, ſanguinem educit, & ex mora in corpore inteſtina exulcerat, & ſtrigmenta educit.Hic eſt ordo, quo colocynthis euacuat, neque de illa hoc modo potius dici poteſt, quòd ſanguinem euacuat,quàm de ſcammonio,quàm de elaterio, & de omnibus aliis educentibus medicamentis.R E N A T.Opus igitur eſſet medicamentũ inuenire, quod primò

ſang

ſanguinem ſubduceret. BRASSA. Imò ſi inueniatur exerceri non debet iuxta Gal. in libello de virtute, quæ medicamentis purgatoriis ineſt. quoniam hoc præbere eſt hominem necare, non purgare, nimirum eſt ipſe ſanguis, qui à medicamentis purgatur, hoc eſt purificatur, & à prauis humoribus abſolutus redditur. REN. A Plinio tamen ſcriptum eſt, radicem hemerocalles cum melle ventri impoſita ſanguinem inutilem pellere. BRASS. Imò & à Dioſcoride idem dictum eſt, cum melle impoſita velluſculo peſſus fit ad ſanguinem inutilem pellendum. RENA. Hinc ego coniicio ſanguinem eſſe quandoque educendum, cùm inutilis eſt. BRAS. Sanguis tribus modis inutilis eſſe poteſt. Vno modo, quia ſuperfluus, & de ſuffocatione fit timor, vel de apoplexia, vel de alio morbo ex his, qui ſummam ſequuntur plenitudinem, & hic per venæ ſectionem educendus eſt: alio modo inutilis eſt, quia ſit ſanguinis fex, tamen ſanguis non ſuperabundet, vt cùm hæmorrhoides plenæ ſunt; in quibus ſanguis atra bilaris inutiliſque redundet, & tunc per hyrudinum applicationem, vel per hemorrhoidarum apertionem quomodocunque facta educitur. Fortè ſi authores de hoc

inu

inutili sanguine intelligunt, qui pesso in melle, & radice hemerocallis educitur. tertiò is inutilis dicitur sanguis, qui venas exiuerit, & in aliqua corporis cauitate contineatur, vt in illa (exempli gratia) cauitate, in qua etiam aqua in ascite continetur, & tunc etiam educi dicitur. Hoc verò fit per medicamentum, veruntamen medicamenta in hoc casu sanguinem nō educunt, vt sanguis, sed vt superfluum quoddam in corpore, quod amplius sanguinis naturam non habet, nec venas iterum ingredi posset, & corpus nutrire, sed penitus inutilis est, & iam putrefieri incipit, hócque sanguis ab hemerocalle educi potest, & fortè simul cum aqua educitur, quia & aquas pellendi vim habet. RENAT. Nullo igitur modo sanguis per medicamentum educendus est, nisi inutilis sit? BRASSAVO. Neque etiam si inutilis sit, debet per hæmagôgum medicamentum educi per os sumptum, quia si esset verè hæmagôgū, id est, sanguinis primò eductiuum, esset proculdubio venenum, & præsentissimum. REN. Quid ergo de porro passim dicitur, quòd sanguinem purgat? BRAS. Nónne aliàs dixi tibi multa esse, quæ purgant, id est purificant sanguinem? inter hæc verò porrum numera-

tur, quod tamen sanguinem non educit, licet purificet, ac expurget. RE. Quomodo sanguinē purificat, & in quo purificationis genere? B R. Hoc modo purificat, quia sanguinem crassum attenuat, & glutinosum incidit. Rusticos vidi, qui in vno prandio viginti capitatos porros comederent, tamen nec sanguinem, nec aliquod aliud excreuere. Imò à Dioscoride notatur, porri succum ex aceto sanguinis profluuium sistere. RENA. Mihi videtur hoc esse porri naturæ oppositum, nam cùm sit valde calidum & acre, aperit potius, quàm adstringere valeat, quod etiam id testatur sanguinem crassum attenuare, & glutinosum incidere, cùm hi sint calidæ rei effectus & aperientis. BRASS. Optimè discurris, propterea opus est dicere porrum exiccando adstringere, & à Dioscoride notatur sanguinem sistere, præsertim è naribus fluentem thuris polline adiecto aut manna. RENA. Me non latet & calida sanguinis profluuia cohibere, cùm exiccando, tum crustam inducendo, porrum verò crustam non inducit, aceto præsertim addito, quod frigidum est. BRASS. Et si frigidum sit, tamen vnà cum porro exiccat, & penetrare facit. Vnde opus est huic siccitati inniti, si in eo defendedi sunt authores quòd porrum

rum ſanguinem adſtringat, túncque magis exiccabit, & viæ ac meatus obturabuntur, ſi pollen addatur, vel manna thuris, quanuis Dioſcorides vim quandam adſtrictoriam, qua hoc efficiat, illi præbere videatur, imò notat maiorem ineſſe ſemini acrimoniam, nec ſine vi quadam adſtrictoria. RENA. Quicquid ſit, ne in hoc negotio difficultates ingerantur, quæ nos à noſtro fine dirimant, colligamus porrum ſanguinem purgare, hoc eſt purificare, nõ autem educere. BRASS. Ita intelligendum eſt. RENA. Quid dicemus de tertia volubilis ſpecie apud Meſuen, quæ folia habet lanuginoſa, & ſanguinem educere fatetur? BRASS. Quid ſit hæc lanuginoſa volubilis adhuc ignoro, tamen ſi ſanguinem primò educat, venenum eſſe non dubito, & ab eius vſu penitus abſtinendum eſſe cenſeo, imò & magna volubilis apud Dioſcoridem ſanguinem ſubducit, quia ora venarum aperit iuxta Meſuen. RENA. Quid eſt maior volubilis? BRAS. Quidã arbitrantur eſſe Dioſcoridis periclymenon, ſiue clymenon, quod Romani inuolucrũ maius appellabant. RE. At quomodo venarum ora aperire poteſt, & ſanguinẽ aliquo modo ſubducere, cùm à Dioſcoride ſcriptũ ſit ſuccũ ipſius, ſcilicet peri-

clymeni ad sanguinem eiectantes valere, alui ad profluuia rubicunda, & rationem reddit, quia spissat, ac refrigerat, sequitur deinde sanguinem quoque fluentem è naribus supprimit. BRAS. Hæc est clymenon licet etiam vocetur periclymenon, & à Romanis inuolucrum maius, quàm adduxisti. At post hanc sequitur herba periclymenos nuncupata, & etiam à Romanis inuolucrum maius dicitur, de hac aliqua coniectura sumi potest, quòd sanguinem educere valeat, quia à Dioscoride dicitur vrinam à sexto die (postquàm, scilicet fuerit sumpta) cruentam ciet, partum quoque adiuuat, nonnulli arbitrati sunt esse caprificum, alij senam hanc herbam. RENA. At vtraque opinio absurda esse videtur, sed illa potissimùm deridenda, quæ caprificum esse fatetur. BRASS. Nescio profectò quorum sententiæ isti innitantur, & quibus moueantur indiciis, ingenuè fatebor me lanuginosam hanc volubilem ignorare. RENA. Neque ego illam cognosco. At quid dices de cocodrilo herba, de qua Dioscorides ait, radicem ipsius feruefactam in aqua, & potam sanguinem copiosum per nares pellere. BRAS. Quid dicam? cognoscisne tu hanc herbam? REN. Cognosco, nónne illa est, quę herba spinosa

sa vulgò nuncupatur. BR. Illa inquã, at ego nunquàm sum crediturus nisi fuerim expertus, nam præter rem videtur, radicis decoctionem potu sumptam sanguinem è naribus trahere, opus nimirum esset id per vapores fieri, qui ad caput ascenderẽt, viásque ac venarum capita aperiant, secus esset si eiuscemodi decoctum naribus iniectum sanguinem attraheret, aut radix ipsa naribus perfricaretur, vt quandoque à nonnullis aspera quædam graminis species inter nares perfricatur, & semina scabiosæ arida, sanguísque perfluit, tamen non arbitror ex illarum herbarum vi sanguinem educi, sed potiùs ex illarum asperitate naris venulas pungente ac aperiente. REN. Tamen & à Gal. dicitur, sanguinẽ per nares trahere crocodylion ipsum. BRAS. Ita prorsus ait Gal. sed de radicis decocto non loquitur, fortè intelligebat ipse, aut radicem perfricando per nares, aut per easdem nares decoctum exorbendo. RENA. Res proculdubio admiranda videtur epotum decoctum id efficere posse. Veruntamen & multa alia extant medicamenta, quæ diuersas materias à capite educunt per os, per secessum, & per vomitum, & tamen potui sumuntur. BRAS. At hoc de sanguine præter naturam ma-

gis videtur, quia medicamenta illa ad se trahunt, cõtingit verò portionem aliquã per nares exire, verùm crocodylion necessariò ora venarum, narium aperire deberet. At breuibus dico me hanc radicem nõ esse expertum, sed facilè experiemur. RE. Redeamus parumper ad tertium Mesue volubile, nam audiui esse clematida Dioscoridis. BRASSAVO. Tu ipse ex authoris verbis, an verum sit iudicato. RENAT. Scio à Dioscoride de clematide ita scriptũ esse, semen huius tritum cum aqua vel hydromelite ad bilem bibitur, & pituitam exigendas per aluum, an verò tertium Mesue volubile clematis sit, asserere non ausim. BRASS. Adde indicium illud non fuisse à Dioscoride prætereundum, quòd esset herba lanuginosa, si lanugine esset obsepta clematis. Verùm cùm hoc indiciũ præterierit, arbitror non fuisse lanuginosam clematida, & ex consequenti non esse tertium apud Mesuen volumen. RENA. Dispeream, nisi quid sit inuenerim. BRA. Non est magna iactura huius generis volubile ignorare. Tamen vnà experiemur, an inueniri posit, primóque circa smilacis & taxi contemplationem versabimur, quanquam hæc non esse huius generis volubile non dubitamus, quia à Dioscoride

trad

traditur, hæc per aluum ad periculum vsque ducere, ab his verò in cognitionem ducemur illarum herbarum, quæ sanguinem educunt, nam quæ ad periculum educunt sanguinem educere, & intestinorum ramenta necesse est. RENA. Cùm lubebit, supra hæc & alia multa examen faciemus, at eruum sanguinem per vrinam educere videtur, imò & per aluum Dioscoride teste. BRASS. An id faciat, tu & ego, ac vniuersa nostra familia, quæ non est medica, experti sumus, nam superiori anno eruum frequenter edimus in minutali, erátque suaue minutal, quod omnibus placebat, & nullus vnquam domesticus ex tot, qui sumus, scilicet ex vigintiquatuor sanguinē minxit, inter hos verò erant infantes, puellæ, iuuenes, & senes. RENATVS. Tu eras in hoc numero senex. BRASSA. Hoc inficias non eo, nam quinquagesimumprimum meæ ætatis ago annum. RENAT. Multa arbitror scripta esse, quæ posteà ita constare haud inueniuntur, hos vulgò legumen hoc Rouioni vocamus, & sunt Dioscoridis orobus, qui à Romanis eruū vocatur, & boues mirè saginat. BRASSA. Imò & saginaret, citra mingendi sanguinem periculum, de alui perturbatione, quam illi attribuit Dioscorides dicimus

nullam aliam inueniri in hoc legumine, quàm quòd flatuosum est, hæc verò ob flatus aluum perturbant, & commotionē faciunt. Eruinam autem farinam non sum expertus, de qua Dioscorides ait, quòd supramodum esa, vel potata, per aluum, & vrinam sanguinem ducit. RENAT. Erat etiā opimus orobus ille, quo vescebamur, erántque candidissima grana. BRASS. Et adhuc domi copiam habeo, & quando plácuerit edemus, sed tunc potissimum eduntur, cùm multa non adsunt quibus in minutali vti possumus. REN. De ammoniaco etiam thymiamate à Dioscoride dicitur, quòd crudas detrahit vrinas. BR. Dioscorides intelligit, non quòd è venis sanguinem detrahat, sed quòd sanguinē vrinis iam mistum, & extra venas detrahit, quia nullam vim habet à venis sanguinē educendi, & fortè de orobo eodem modo intelligebat, quòd per vrinas sanguinem pelleret, his quibus iam esset extra venas, & illum minimè educeret, qui in venis cōtineretur. Cùm verò nos essemus vti pisces sani non indigebamus, vt sanguis educeretur, quia nulla sanguinis portio erat vrinæ mista, vel erat à venis segregata. RENA. Eiuscemodi excusatio mihi non displicet, vt Dioscoridē à calumnia defendam

damus, nunc præterire nolo (licet superiùs de ipsis mentio facta sit) quæ à Dioscoride de cantharidibus scripta sunt, inquit sanguinem per vrinam pellere, & sedimenta alui qualia in dysentericis excerni, id verò est libro 6. cap. 7. BRASS. Superiùs dictum est omnes partes exulcerare, per quas transeunt, & vias vrinarias petere, at hoc non est sanguinem attrahere, sed partes excoriare & venas excedere, iccirco non erit medicamentum sanguinẽ attrahens. Nam medicamenta, quæ sanguinem attrahere debent, illum corrodendo & exulcerando attrahere non debent, sed extra venarum tunicas, & extra illarum ora exugere debent, hoc nimirum est attrahentium medicamentorũ munus, nam & hoc modo calx, & causticum capitelli vocatum, hæmagôga vocari possent, cùm exedendo sanguinem exire faciant, & aqua, quæ per cinerem & calcem excolatur, & saponis mistra dicitur, cùm exulceret hæmagôgum dici posset, idem iudicium est de aqua forti, qua aurum argento commistum distinguunt, ac separant. RENAT. Nónne idem faciunt venena? BRAS. Calida idem facere possunt, nõ autem frigida. REN. Hydrargyrium tamen id non facit. BRA. Quoniam neque agit

caliditate, sed suo pondere tantùm venenum videtur, at neque corrodit, neq; exulcerat, ea lege, quæ de hydrargyrio scripsimus in nostro simplicium examine. REN. Nonne & argentum sublimatum sanguinem subducere valet? BRA. De his quę planè venena sunt, haud loquimur, quoniam nemo tam fatuus est, qui ad sanguinem educendum illa præberet, nam simul & vitam educunt: multa etenim sunt venena & à Dioscoride & ab aliis descripta, quæ partim erodendo, partim attrahendo, partim summè naturam irritãdo sanguinem pellunt, at in vsu medico non sunt, nisi ratione, qua medicus symptomatibus opem fert, quæ ab illis geri contingunt. RENA. Raphani tam syluestris quàm satiui decoctum in vino à Plinio libro 20. cap. 4. scriptum est, sanguinem inutilem extrahere, veruntamen simpliciter non dicit sanguinem detrahere, sed addit inutilem, hoc est illum, qui è venis iam exiuerit, & inutilis est, & qui cruor potiùs nuncupandus est, quàm sanguis, nam corpus amplius nutrire non potest. BRAS. De hoc etiam inutili sanguine intelligit, cum libro 21. cap. 19. de lilij radicibus ait, quòd è mulso potæ inutilem sanguinem cum aluo trahunt. REN. Iam superiùs de eisdem radicibus locuti

curi sumus. BRAS. Et 25. eiusdem libri, cap. de heliocryso, ait sanguinem concretum ventris & vesicæ absumere cum mulso, nota verò de eo, quòd superius de crocodylio dubitabamus, quónam modo sanguinem per nares excitaret si biberetur, à Plinio ratio redditur, quia scilicet sanguinem qui in liene est, ad nares transmittit, & ita lien absumitur, hæc sunt ipsius verba libro 27. cap. 8. pota, (scilicet radix) sanguinem per nares pellit, copiosum crassúmque, atque ita lienem consumere dicitur. RENA. Verùm & hoc mihi perdifficile videtur. BR. At experiri facile est, & sabina ipsa ex vino pota sanguinem per vrinam exigit. RENA. De eo fortè, qui iam venas exiuerit intelligendum est. BR. De eo inquam, nam & si muliebres locos aperiat, id tamen eodem modo facit, quo aperiẽtes radices efficere possunt, vt fœniculi radices, petroselini, & apij. R E. Quot igitur modis sanguis è corpore reduci potest? BRAS. Medicamenta prætereamus, quæ venena sunt, & deleteria, & illa, quæ nõ sunt venena, sed inutilem solùm subducunt, & qui extra venas incubuerit, reliqui modi sanguinem è corpore educendi per extrinsecas actiones fiunt. Vnus est modus per venæ sectionem, quæ in omnibus

corp

corporis partibus fieri poteſt, in qua vena appareat,vel ſi non appareat tactu ſaltem perſentiatur.alius eſt modus per cucurbitulas,aut cornicula cuti cuiuſcunque aptæ partis applicata,tertius modus eſt per ſcarificationem abſque cucurbitulis,vt in poplitibus fit,& in aliis etiam locis, quartus modus eſt ſanguiſugas hæmorrhoidibus admouendo, aut poſt aures, aut naribus, aut alicui alteri parti,hi ſunt omnes modi,quibus ſanguis ab humano corpore vi artis educitur,modos illos prætereo, cùm quiſpiam vulneratur,ſanguis etiam educitur per frictionem intra nares ex re aliqua aſpera,vt ſcabioſæ floribus, aut coronopode,aut re alia ſimili,quæ narium venas pungit,quanquàm inficias iri non debeat, aliqua eſſe medicamenta, quę naribus perfricata ſanguinem educunt. Reliqui modi ſanguinem attrahendi per medicamēti vim ſunt pernicioſi,& lethales,neque vnquàm exercendi. REN. Illi tamen erunt exercendi, qui fiunt ad ſanguinem prouocandum ab hæmorrhoidibus, & in mulierum menſibus. BRASSAV. De his ſermo non fit. REN. Adsúntne alia ſimplicia apud authores,quæ ſanguinem educere dicantur? BRASS. Plinius libro 24, cap. 6. de tertia chamæpyti inquit ſangui-

nem

nem densatum extrahere, si bibatur, & eodem libro cap. decimo ait, ciston erytræon sanguinem vrina detrahere. REN. Legi & apud eundem Plinium de myacibus pisciculis, quòd horum ius aluum & vesicas exinanit, sanguinem adipémque minuit, hoc verò est libro 32. cap. 9. BR. Hoc intelligo, si quispiam illis pisciculis nutriatur, & per aliquot dies illis vsus fuerit, nam sunt modicissimi nutrimenti, neque in sanguinem addunt, iccirco potius minuitur. RENA. Ita authorem intelligendum esse haud mihi displicet: verùm & libro 25. cap. 15. ab eodem authore dicitur, alumen sumi ad trahendum per vrinam sanguinem. BRASS. Hoc intelligendum est de sanguine, qui iam venas exiuerit, nonnulli arbitrati sunt, scripti sque tradidêre centaurij minoris decoctum sanguinem detrahere. RENA. Hoc absurdum esse arbitror. BRAS. Neque ego verum esse puto, imò oppositum expertus sum, de mercuriali etiam legi, quòd sanguinem purget, sed ego intelligo purgare, hoc est, purificare. RENA. Et ego idem legi de tiliæ foliis quòd scilicet sanguinem subducit. BR. Intellige extra venas & in intestinis existentē, est Plinius, qui id dicit lib. 24. cap. 8. REN. Memini me quandoque apud Galen

lenum legisse cappares, crassos, sanguinolentos educere humores per ventrem. BRASSA. Hoc experientia nunquàm vidi. RENAT. Reliqua igitur prosequaris. BRASS. Nulla alia memoria habeo simplicia medicamenta, quæ sanguinem subducere dicantur. REN. Composita igitur referto hæmagoga. BRASS. Quæ composita, si neque simplicia quæ illum verè primò educunt afferre nolui? Possem ego aliqua cõficere huius generis medicamenta, sed non sunt exercenda, neque digna vt ab aliquo sciatur, nam sanguis per prædictos solùm modos educi debet, neque vllis simplicibus per os vti debemus ex his, quæ sanguinem subducunt. RENA. Tamen apud authores reperitur hoc nomen & frequens, scilicet hæmagôgum medicamentum. BR. Esto, adsit, & adest, sed eo vti non debemus, quia proculdubio venenum est. RE. Reperitur & plerunq; apud authores sanguinẽ purgandum esse. BR. Reperitur quidem, sed superius dictum est hanc sentẽtiam intelligendam esse, sanguinem debere purificari, & à prauis aliis humoribus liberari. RENA. De his igitur, quę sanguinem educere possunt, iam satis dictum est, vt ad reliqua exequenda progredi conueniat.

De

De medicamentis tam simplicibus, quàm compositis emollientibus, & quæ sunt stercorum eductiua.

CAPVT VI.

BRASSAVOLVS.

MEdicamenta huc iam essent educenda, quæ mistos simul educunt humores, nisi alia simplex pertractatio nos ad aliud negotium excitaret. RENA. Quæ nã est eiuscemodi pertractatio? BR. De his agere, quæ ventrem emollire possunt, & superflua quæ & in intestinis continentur, educere, & quæ sua vi ad venas minimè pertingunt. REN. Ergo de lenientibus ac emollientibus pertractãdum erit? BRA. Non de his solùm simpliciter, quia reperiũtur lenientia, quæ à venis educunt. RE. Fortè est à propinquis. BRAS. A propinquis quidem, at si copiosè exhiberentur, à longinquis etiam educerent, nos autem in hoc loco de his tantùm agemus, quæ ventrem cõmouent, & illa excernere faciunt, quæ in viis continentur, cùm aliqui præduram aluum habent, & minimè fluidam. nam nõnulli reperiuntur, qui per tres & quatuor dies non excernunt, cùm essem iuuenis, nonnunquàm per spatium

nouem dierum, & nonnunquàm per spatium duodecim non excreui. REN. Neque edere debebas. BRAS. Imò iuxta consuetudinem edebam. RENA. Aegrotare saltem debebas. BRA. Neq; ægrotabã, imò eram maximè sanus quotidieq; equitabã, eram apud Diuam Virginem Lauretanã, cùm semel excreui, posteà Romam versus cum Illustriss. Duce nostro 1535. profectus sum, duodecim dies in itinere consumpti sunt, cum Romæ fuimus, iterum excreui, tamen ex vitæ muniis nullum habui, vel in minimo deficiens. REN. Res videtur supra hominum credulitatem dicta, quòd in ventre saltem onus non sentires. BRASS. Neq; minimũ quidem molestiæ persensi, aliâs Ferraria discessi, & Venetias profectus sum, in accessu, recessu, & mora, qua Venetiis immoratus sum, nouem dierum spatium interfuit, & à die qua recessi, ad eam qua Ferraria redij nihil penitus excreui. RENA. Res mira videtur, cùm quotidie ederes. BRASS. Et plenè, si nunquàm plenè comedi. RENA. Neque vllam aliam habebas excretionem? BRAS. Mingebam supra modum, atque sudabam. RENA. Ob hoc paucæ erant excretiones, & excrementa ipsa torrida esse debebant. BRAS. Talia erãt in duritie, vt nihil penitus con-

ſpurcare poſſent. RENAT. De his igitur agendum eſt, quæ ventrē mollem reddunt, & illa quæ in ventre ſunt, ac in inteſtinis educunt. BRAS. In his qui excernere non poſſunt, quandoque primum braſsicæ ius præberi iubeo, quòd aluum emollire, non ſolùm Dioſcorides ac Gal. fatentur, ſed & Ariſt. in problematibus, qui petit, cur prima braſsicarum coctura ventrem emolliat, ſecūda verò adſtringat. RENA. Fertur braſsicam atram bilem ſubducere. BRASS. Fertur quidem, ſed non à probis authoribus (vt ſuperius notatum eſt) ventrem autem mollire planiſsimum eſt, & ita emollire, ſi ex aqua & oleo coquatur, ſicuti ſi ex iure, hoc tamen ex oleo efficacius facit, imò ſi ex oleo & butyro coquatur, id vehementius perficiet, à Plinio notatur libro vigeſimo cap. 11. Braſsicam criſpam aluū modicè emollire, ſimplex prætereà carnium ius ventrem emollit, ſi ad libram cum dimidia vel ad duas libras bibatur, & tantò magis hoc faciet, quantò erit pinguius ius, in quo tellinæ ſint coctæ ad libram epotum ventrem ſoluit. Galli veteris ius idem efficere proditum eſt, & experientia conſtat, addéque ſi eſſet capi veteris ius, idem effecturum eſſe, tamen non minus libra bibi debet, ius pingue

veruecis ventrem emollire constat, si integra bibatur libra, vel duæ etiã successiuè, ius olerum quæ passim in minutali comeduntur, aluum emollit, ac subducit, idem efficiunt oleum oliuarũ, præsertim si dulce sit, & non omphacinum, & oleum amygdalarum dulcium recenter expressum, singulum verò horum ad quatuor vel sex vncias præberi debet. RENA. Es'ne hæc omnia expertus? BRASSA. Non semel, nec bis, sed millies, imò & expertus sum ius cicerum rubrorum, quod idem efficit, sed opus est ad duas exhibere libras. Idem efficit lac, idem lactis serum epotum, hæcque magis præstant asininum & caprinũ, quàm alia lactis genera, quæ apud nos extant. RENA. Cur hoc dicis? BRASSA. Quia camelino lacte caremus, quod idem efficacius efficere potest. Tamen & ouillũ lac & bubulum aluum emolliunt, si copiosè insumantur. Brassicæ succum nonnunquàm bibendum præbui ad tres vncias, ventrem subducere percepi, Dioscoride etiam ita admonente, in minori verò copia ventrem non subducit. RENA. Memini de oliuarum oleo à Dioscoride scriptum esse aluum soluere heminæ mensura, cum ptisanæ succo pari portione, aut cum aqua. BRASS. Ita profectò à Dioscori

ſcoride ſcriptum eſt, nos verò ſolum præbemus oleum abſque ptiſanæ cremore, vel aqua, ego nonnunquàm crudum oleum in iure adhibui, faciliúſque, ac citius educere inueni. REN. Crudum oleum, quod omotribes Græci vocant, nónne eſt omphacinum? BRASSA. Omphacinum haud intelligo, quia potius adſtringit, ſed intelligo crudum, hoc eſt non in iurepercoctum, ad aluum etiam emolliendam ac exonerandam, nonnunquàm iubeo, vt quiſpiam vulgarem caſsiam accipiat ad ſpithamî quantitatem in ſua theca, & illam malleo contundat ac aperiat, poſteà vocatam pulpam cultri acumine eximat, & comedat, paulò pôſt prandeat, vel cœnet, ita vẽtrem tantùm ſoluit, & nihil aliud facit. RENA. Vidi etiam te iubentem pruna exiccata in iure decoqui, & ius bibi, prunáque edi ad aluum emolliendam. BRASSA. Hoc quandoque iubeo, ſed animaduerto pruna illa exiccata debere eſſe Iberica pruna, quæ vulgò Catalonica vocantur, vel pruna myrobalana, aut alia ſimilia, quæ penitus dulcia ſunt, & nihil habent ponticitatis, vel acerbitatis, nam eiuſcemodi qualitas adſtrictionem potiùs molitur, quàm ventris eductionem. RENA. Vidi etiam te iubentem in iure decoqui paſſulas ad eundem

dem affectum. BRASS. Et idem passulæ efficiunt, nonnunquàm iubeo vt eadē pruna cum passulis in iure ebulliant, vereque ventrem emolliunt, si ius bibatur, & pruna ac passulæ edantur, passulæ in cretico vino decoctæ ex zucaro ventrem probè molliunt, si creticum vinum bibatur, & passulæ edantur. RENAT. Qua hora edi debent? BRASS. Ante prandium vel ante cœnam. RENAT. Statim, vel interposito tempore? BRASS. Interposito tempore, sed breui, hæc est vniuersalis emollientiū regula, & vehementer educentium, quòd emollientia ante cibum sumi debent, per aliquod spatium, sed breue, vt per spatium semioctauæ partis horæ, colligitur hæc regula ex Gal. in 3. de alimentorum facultatibus, vbi de prunis agit, monétque illa per aliquod spatiū ante cibum edi debere. De vehemētibus autem catharticis regula sumitur ab Hippocrate in secūdo de ratione victus in morbis acutis, cùm docet medicamentum esse sumendum, & statim nullo interposito tempore esse edendum, ne vis medicamenti gulam lædat, & vt totum in ventriculum descendat, ne si ipsius partes hincinde essent sparsæ, ventrem quidem mouerent, sed nihil penitus subducerent. REN. Nónne & oleum amygdalarū

ama

amararum ventrē emollire poteſt? BRAS. Emollit quidē,& plenius educit, quā oleū amygdalarum dulcium. De eo autem locuti non ſumus, tum ob amaritudinem, tum quia vt plurimùm rancidum eſt, vt nemo illud accipere poſsit, aut velit, tamen re ipſa ventrem ſubducit,quandoque in adſtricta aluo iuſsi in iure tartarum ſumi ad drachmam vnam, & illa plenè eduxit,quæ in inteſtinis continebantur, non autem atram bilem, vt nonnulli arbitrati ſunt. RENA. Imò neque vehementer educit. BRAS. Et decoctum ſebeſten eo modo vſus ſum,quo decoctum paſſularum & prunorum,in iure ſcilicet & iuſsi ſimul edi ſebeſten, & illi qui ſumpſere, euacuati ſunt, ſatis verò eſt, decem & octo vel viginti ſebeſten percoquere,poſteà illa edere,& ius bibere. RENA. Nónne & manna idem efficit? BRAS. Idem ſi in pauca ſumatur copia,vt ſi vna ſumatur vncia in iure,quia ſi tres vnciæ acciperentur, à venis etiam educerent,& non ſolùm à ventriculo,atque inteſtinis, ſumendi verò hora eſt, ante cibum per ſemioctauæ partis horæ ſpatium. RENA. Ruſticos vidi,qui vuam vocatam bazeganam ſummo mane comederent,vt vehemēter excernerent. BRAS. Hoc eſt ruſticorum efficax medicamen-

tum, vnumquodque verò maturum vuæ genus, quando summo mane adhuc cum rore esitatur, ventrem subducit. RENA. Arbitror tamen vuam tantò magis educere, quantò vehementiori dulcedine prædita est. BRASS. Nemo ambigere debet, & mustum ipsum ad duos cyathos nostrates epotum, ventrem subducit, & à Dioscoride de vua hoc dictur, quòd ventrem emollit, licet vnà conturbet. RENA. Conturbat vt arbitror, quia flatuosa est. BRASS. Et magis conturbabit, si rore aspersa sit, nam ros & humidæ naturæ est, & facilè flatuatur, iccirco eiuscemodi vuæ magis conturbant, cùm summo mane sumuntur, ac eduntur. RENA. Scias nullum probum virum recentes vuas edere debere, nisi prior per tres aut quatuor dies fuerint collectæ, & superficiariam illam humiditatem, qua insignitæ sunt, quæ flatuosa est, & ventris conturbatiua, amiserint. BRASSAV. Sum & Linozostis, hoc est mercurialis decocto ex oleo & sale ac in iure caponum vsus. RENA. Scio optimè educere eiuscemodi herbæ decoctum. BRAS. Nõnullis febrem inferre vidi. Tamen ob hoc ab eius vsu non sum dimotus, nam ex humorũ motu febrem fuisse inductam arbitror, & non ex herbæ caliditate,

nam

nam illam non faciunt valde calidam authores. RENA. Videtur Plinius illi attribuere, quod bilem detrahat. Nam libro 25. cap. quiuto ait, Mercurialis aluo soluenda in febri decoquitur, quantum manus capiat in duobus sextariis aquæ ad dimidias bibitur sale & melle admistis, necnon cum vngula suis, aut gallinaceo decoctum salubrius purgationis causa, putauêre aliqui vtrunque dandum, siue cum malua decoctum bilem detrahunt. BRAS. Et bilem detrahere quæ in intestinis est, nemo ambigere debet. RENAT. Pepones & ipsi inter ventrem educentia numerantur, & in me ipso experior peponum tempore bonam mihi fieri aluum. BRASSA. Et mihi etiam lubrica efficitur dum pepones vigent, quanquàm in modica copia semper pepones edam. RENA. Nunquàm te vidi plusquàm buccellam edere. BRAS. Plerunque etiam si sit optimus pepo, buccellam cum dimidia esito. REN. Hoc rarissimum esse debet, quoniam non memini me vidisse quòd buccellam excesseris. BRAS. Ob persicorũ esum idem etiã mihi contingit. RENA. Tamen ego nunquàm vidi te persicũ excedere in cœna, vel in prãdio. BRAS. Nónne satis tibi videtur integrum persicum edisse? in principio cœnæ

aut prandij persicum hoc semper edo, lubricam aluum mihi reddit. RENA. Recentes etiã ficus mihi hoc præstant, at octo vel decem edo in vna cibatione. BRASS. Ego autem duo tantùm edo, & idem mihi efficiunt. Idem præstare possunt & pruna recentia, modò dulcia sint, & non pontica neque austera, quia hæc potiùs adstringũt. RENA. A' nigris moris, & ab albis idem fieri arbitror. BRAS. Plinius libro 23. cap. 7. de mori succo testatur, quòd alum solult, & de succo è radice & foliis mori, sed idem quoque præstant fraga, omnia hæc probè matura esse debent, aliòqui adstringunt. RENAT. Et omnes ferè immaturi fructus vim adstrictoriam habent. BRAS. Auicennæ, & Arabum inuentum est punicum dulce, & punicum austerũ in staneam lancem expressa, & alia tecta lance ad nocturnum aërem dimittantur, & hoc mane bibantur, quod in lance continetur, aluus subducitur. RENA. Expertúsne es istud? BRAS. Expertus sum, & ita esse comperi, sed nõ absque torminibus, imò idem efficit dulce punicum solum, & austerum solum, sed austerum hoc facit infrigidando, ac relaxando ventriculum, sempérque tormina inducit. RENA. Nonnullis hominibus vua sicca aluum emollit. BRASS.
Imò

Imò omnibus ſi copioſè edatur, & mel ipſum ad duas vncias eſitatum ventrẽ ſubducit. At præcauẽdum, ne crudum ſit, quia crudum tormina inducit, verùm optimè deſpumatum eſſe debet, imò & zucarum ipſum, ſi ad ſex vncias edatur, ventrẽ emollit, ac ſubducit, idque facit abſque vllo torminum periculo, quod in melle nõ eſt: tamarindi ante cibum ſumpti vẽtrem emolliunt, ſi in pauca ſumantur copia, vt ad ſemiunciam, quia in maiori copia bilem educunt, & à propinquis venis, nõ verò de his tantùm agimus, quæ ab inteſtinis, & à ventriculo educunt, & ſtercora, ac ventrem emolliunt, imò nonnullis iubeo, vt ſemiſcrupulum aloës lotę ante cœnam accipiant, quia à Græcis ἐκκοπροκτικὸν, id eſt, ſtercoris eductiuum nominatur, & in hac exili copia ventrem ſolùm mouet, humores autem minimè educit, in aliquibus tamen hæc tam modica copia vehementer educit. RENA. Tibi dicturus eram, nonnullos ex vna minima aloës pillula, quæ non erat quarta pars ſemiſcrupuli decies excreuiſſe. BRASSAVOL. Iccirco rariſſimè præbeo, ad aluum bonam faciendam. RENATVS. Aluus etiam lubrica fit, ſi homo extra conſuetudinem & ſupra modum comederit. BRAS. Verum eſt, niſi

euomuerit, at prauus est deiiciendi modus, nam ita deiicitur quia confici non potest, & est motus symptomaticus, id est, à natura minimè ordinatus, ac rectus. RENA. Quomodo à natura non rectus, si ipsa illum efficiat? BRAS. Illum quidem efficit natura, sed supra modum irritata, & præter ordinem expellendi, nam non euicit copiam illam cibi, sed ab ipsa euicta se excutit, vt pondus illud, quod euincere nõ potest, absq; ordine expellat, neque etiam per modum quem dicemus excernere con uenit. RENA. Per quem modum? BRAS. Audito, cùm Illustriss. Dux Borsius Ferrariensium habenas moderabatur, quandoque alui duritiem incidit, vt excernere non valeret, illi medebatur Michael Sauo narola vir eo tempore insignis, Dux apud illum cõquestus est, quòd per triduum non excreuerat, cùm pro consuetudine comedisset, iussit medicus imponi clysma, renuit Dux qui adhuc in lecto commorabatur, tunc Sauonarola iussit pueros pauimentum frigida aqua copiosissimè aspergere, & Ducem è lecto surgere ac nudis pedibus ambulare, erat verò & pauimentum marmoreũ, quinquaginta passus non perexit Dux, quòd per ventrem dolorem ac vorborigmon sentire cœpit, sedem petiit,

vt excerneret, & potētiſsimè excreuit, iuſſit Sauonarola aqua calida in qua calidæ herbæ odoratæ eſſent decoctæ Illuſtriſſimi Ducis pedes ac crura ablui, & ad ægros inuiſendos abiit, ob hoc Dux iuſsit Sauonarolam centum aureis donari. RENA. Periculoſum præſidium eſſe arbitror. BRASSA. Periculoſiſsimum: nam tormina inducere poteſt, & alui perfluuium. aluum mihi cōmoueri perſentio ſi ilia, & infernæ partes detectæ ſint. RENA. Hæc omnia, quæ ob frigus, fiunt, periculoſa eſſe non dubito, neque admittenda eſſe voluerim, niſi quandoq; forte fortuna cōtingat, quia homo aliud efficere non poſsit, quin frigore afficiatur. BRAS. Multos vidi ex pedum frigore alui profluuia incidiſſe, tormina, & varia diſcrimina. RENATVS. A Dioſcoride dicitur oleum cnidium, & oleum cnicinum ad ventris purgationes bibi. BRASSA. Hoc re ipſa conſtat, & duplici ratione efficitur, tum quia olea, ac oleoſa, & pinguia, tum quia tales vires habent ſemina, à quibus exprimuntur. At de horum actione loquemur, quando de ipſis ſimplicibus agemus. RENAT. Mirum mihi viſum eſt, cùm apud Dioſcoridem legi vnguētum roſatum potum aluum ſubducere, nam quomodo bibi poſ-

ſit

ſit intelligere neſcio. BRASSA. De communi vnguento roſato, quo vtimur, haud intelligit Dioſcorides, ſed de illo, quod ipſe conficere docet, & roſæ vim egregiè receperit, cui lentiſcum addit, hoc verò facilè bibi poteſt. RENA. Ad quam copiam præbendum eſt? BRASSA. Ad tres vncias. RENA. Veruntamen ad aluum ſubducendam ac euacuandam, cõuenit etiam ſuſinum oleum, iuxta Dioſcoridem & irinum. BRAS. Conueniunt & hæc cum ratione olei, tum ratione virium ſimplicium ex quibus conficiuntur. RENA. Quomodo hoc intelligis? BRASSA. Hoc modo ex iride, irinum fit oleum, at planum eſt iridis radicem pituitam craſſam educere bilem, & ichores, itaque irinum oleum pituitam craſſam educet, bilem, atque ichores, tamen & ventrẽ ſoluet, & vehemẽtior vis eſt in radice, quàm in floribus, imò oleum hoc multa habet cõmiſta, vt planum ſit à noſtris pharmacopôlis haud rectè fieri, & ab illis præſertim qui virgulta quædam pro xylobalſamo imponunt, quæ ita xylobalſamũ ſunt, vt tu es equus. RENA. Nũquàm igitur hoc oleo vtemur? BRAS. Nunquàm ſi errare nolimus, inter illa verò, quæ facilem ventrem emolliunt, ſtyrax eſt, ſi ex terebinthina bibatur. RENA. Ad

quant

quantam copiam? BRASSA. Ad tres drachmas, verùm cùm nõ posſit bibi ex terebinthina, iccirco ex oxymelite cũ terebinthina bibatur. RENA. Arbitrabar & terebinthinã per ſe idem efficere poſſe. BRA. Id quidem efficit, tamen per vrinarias vias terebinthina potiùs expellit. RENA. Id planiſsimè oſtendit vrina, quæ ab his qui terebinthinam ſumpſere emittitur, nam violas redolet. BRASSA. At & ipſa ventrem ad ſemiunciam ſubducit, ſed ad vnciam ingurgitata id efficacius facit, veruntamen & abiegnũ oleum ad æqualem ferè quantitatem eandem habet vim. RENA. Siliquæ & ipſæ nónne aluum emolliunt? BRAS. Id efficiũt ſi recentes ſint ac maturæ, vt Dioſcorides docet, nam exiccatæ potiùs adſtringunt, eſt pars illa mollis ac dulcis, quæ in ipſis cõtinetur, quæ ventrem emollit, vt caſsia facit, ſcito autem hoc efficacius haberi, ſi in aqua coquantur & decoctum illud inſumatur. RENA. Et efficacior potio eſſe debet, ſi in iure coquatur. BRASSA. Imò & pro thorace in iure decoctas præbui, & ventrem ſubduxere, & quamuis à Dioſcoride ſcriptum ſit, quòd exiccatæ adſtringant, experiẽtia ipſa oſtendit, & exiccatas emollire, ſicuti & perſica ſecundum Dioſcoridem, quando ſunt matura

tura ac recētia, ventri facilia sunt, exiccata verò adstringunt, tamen non ita adstringunt, quin si aliqua edatur copia ventrem nō emolliant, presertim cùm ex melle fuerint exiccata. RENA. Nónne & armeniaca mâla vētrem emollire possunt? BRAS. Emollire prorsus possunt, sed breui in ventre corrumpũtur. REN. Imò & extra ventrem facilè corrũpuntur: à Dioscoride verò proditum est, ventrem emollire melimela. BRASSA. Id verum est, hæc à sapore melleo ita vocantur, & à Varrone Mustea dicta sunt, omnia predulcia mâla, quę neq; acerba neq; acida, neque alio simili sapore prædita sunt, qui dulcedini misceatur, ventrem subducunt ac emolliunt, cùm essem puer, pater meus Franciscus Brassauolus insignis medicus ac extra aleam philosophus, misit me & Hieronymum fratrem meũ (qui posteà in florētissimo Ferrariensi gymnasio medicam facultatem gloriosè professus est) ad Franciscum Bouium Ferrariensem virum probissimum, & in humanis literis doctissimum, qui primis Grammaticæ rudimentis nos imbueret, tũc octauum agebam ætatis meæ annum, & Hieronymus quintum, hic vir probus nos solos duos habebat scholasticos, suásq; scholas nobis aperuit in cubiculo pomis plen

pleno,cùm præceptor vel pauxillum à cubiculo recedebat, nihil aliud faciebamus, quàm edere poma, vt vterq; noſtrum alui profluuium incideret,erãt verò illa, quæ à nobis deiiciebãtur excrementa,poma maſticata.at profluuium iſtud non tantum ex pomorum qualitate, quantum ex inſumpta quantitate prouenit. RENA. Cùm me in humanioribus literis inſtituebat, nunquàm habuit poma, ſed vitis quædam in eius hortulo virebat, de qua nec vuæ omphacinæ granum vnquam videre poterat, tam citò pueri illã edebant,neq; an dentes ſtupeſcerẽt animaduertebãt. BRAS.Ad rẽ propoſitã redeũtes,ſorbilia oua multis vẽtrem ſubducũt,vidi Excellentiſs.Ioannem Manardũ, qui ouo ſorbili inſumpto quinquies & ſexcies excernebat,multóſq; alios audiui, qui ex ſorbilibus ouis molliorem ventrem habuêre. RENA. Oppoſitũ facit prædurum. BRASSA. Audias hiſtoriam quandam, Franciſcanus quidam Ferrariæ aderat nomine Rochus, qui erat illius cõgregationis veluti odoriſecus canis, nam totam vrbem circuibat precariò quærens, nihilque erat, quod precariò non quæreret, vt panem, vinum, piſces, carnes, oua, oleum, ligna, linum, filum, pannum, & breuibus à domo diſcedere nolebat,

quin

quin aliquid expilasset, instāte resurrectionis paschate, multa oua precariò inuenit, & alba ac rubra decocta ac prędura, hic Rochus in festo paschalis resurrectionis, tot oua ex his præduris esit, vt amplius neque vi clysmatis, neque vi medicamenti excernere quiuerit, sed ipsius animam præduris ouis plenam omnipotenti Deo reddidit, si tamen tali gratia fuit dignus. RENA. Forte & vnà edit caseum, vt ex caseo & ouis in suo ventriculo pastillum fecerit, qui nunquàm coqui potuerit, at ad rē propositam redeamus. BRASSA. A Dioscoride scriptum est citri semen aluùm laxare, quod verum esse expertus sum, non tamen in pauca copia, nam opus est ad quadraginta edere grana, & melius ventrem soluunt, si ex corticibus edantur, quàm absque corticibus, quódque de citri seminibus dicitur, in arantiorum seminibus, limonum ac pomorum Adami vocatorum, & eiusdem generis reliquorum, nonnunquàm iussi hæc semina emundari & condiri, vt coriandra zucaro in gratiam Illustris. Ducis nostræ Renatæ Gallæ ob malatiam & ventriculi perturbationem, qua vexabatur dum vtero gerebat, & contulere, posteà eiusdē seminibus in aliis sum vsus mulieribus, vtero gerentibus ob malatiam

latiam & semper proficere expertus sum. RENA. Ratio dictat id fieri oportere, quia amara sunt, & nonnihil habent adstrictionis, tu reliqua prosequaris. BRAS. Suillæ carnis vsus bonam facit aluum. RENA. Fortè quia humectat. BRASS. Ob id quidem, propterea paruorum porcellorum id melius præstat, & sanguiculi vocati idem efficere valent. RENAT. In his præter suillum sanguinem, & adipem quę valde humectant, solent etiam vuæ exiccatæ imponi & mel, quę ventrem suâ sponte emolliunt. BRASSA. Et amaræ amygdalæ aluum emolliunt, iuxta Dioscoridem & dulces aluum soluunt, esitatæ. RENAT. Superius de harum amygdalarum oleis locuti sumus. BRAS. Nunc de ipsis amygdalis, in quibus oleum includitur, verba facimus. Nam si ad sexaginta numero edantur, aluum subducunt, & in minori etiam copia, simúlque ipsæ masticatæ exeunt, nisi adeo masticentur, vt in aquam ferè redactæ sint. RENA. Hæc videtur esse omnium ferè nucleorum natura, nisi optimè masticentur, non cōcoqui, sed integra frustula excerni. BRA. Idem in vua passa cōperies, nisi optimè masticetur, integra grana non coquuntur, sed vt ingesta sunt exeunt. RENA. Iam millies vidi, & prima

vice malum arbitrabar, sed hoc contingere & calidissimis ventriculis, id prouenire cognoui ex vuæ cortice, & non ex ventriculo, nam est corium siccum, quod coctionem non admittit. BRASSA. Vsus etiam furfuracei panis, secundarij & autopyri, hoc est syncomisti bonam aluum faciunt. RENA. Quomodo hoc fieri potest, cùm talia exiccent? BRASSA. Ob hoc fortè contingit, quia pars maior in excrementum vtitur, & minima in nutrimentũ, excrementis verò multiplicatis, natura sese excutit ad excernẽdum, & præsertim quia eiuscemodi generis excrementa sunt abstergentia. RE. Mororum etiam succus ventrem subducit, Plinio teste. BRAS. De moris superiùs locuti sumus, cùm ipsę idẽ efficiant si edantur: succus verò ipsarum, qui tenuior est, id magis efficere debet, hócque commodius præstat, si zucaro misceatur, & ad sex vncias bibatur, & alborum mororum succus id faciliùs efficit, quàm nigrorum: à Dioscoride verò notatur, quod & verum esse constat, hunc mororum succum in æreo vase decoctum aut sole tostum, adstringentis naturæ fieri. RENA. In simplici diamoro planum est, quòd adstringit, non conueniret nimirum ad repercussiones in anginis, nisi esset adstring

ſtringentis naturæ. BRASSA. Nonnunquàm arbitratus ſum ſimpliciter adſtringere mororum ſuccum: at quia ventriculum infrigidat, iccirco relaxando excernere faciat, tamen & dulcedine ſua & humectatione hoc efficere poſſe credendum eſt. RENA. De ficubus, quòd aluum ſoluant, ſuperiùs dictum eſt. Sed hoc animaduerſum non eſt, quod à Dioſcoride ſcribitur, facilè ſcilicet ventrem ſiſti, qui à ficubus fuerit ſolutus. BRASSA. Huius ratio eſſe poteſt, quia ipſorum vis in ventriculo non perſeuerat, ſed ſimul cum ficubus abit. Eodem verò loco à Dioſcoride notatur, ſi tuſæ cum nitro & croco edantur aluum mollire. REN. Credendúmque eſt magis ſubducere, quàm ſi purę edãtur abſque nitro, quod ſuapte natura ad excernendum excitat. BRASS. De chamis, quæ paruæ conchulæ ſunt, & de cæteris paruis conchulis in exiguo aquæ decoctis, & ex vino potis aluum ciere dicit Dioſcorides. RENA. Idem ergo officium efficere poſſunt conchæ illæ, quibus in dies veſcimur? BR. Illarum ius id efficere poteſt, quod ius tellinarũ. at ſuperiùs dictum eſt. RE. Quid propriè ſunt apud Dioſcoridem vocatæ chamæ? BRAS. Conchylia illa quæ paſſim peueraze vocamus, ſicut tellinę ſunt peue-

racinæ dictæ,& quas vulgus cappas vocat in conchylium genere numerãdas iubeo, RENAT. Quomodo præbetur ex vino? BRA. Hoc exempli gratia modo, conchylia triginta in quatuor aquæ vnciis ebulliuntur, quoniam ab ipsis aqua marina exit, quæ aquæ miscetur, posteà cùm decocta sunt, eiuscemodi aqua in cyathũ iniicitur, & vini optimi semicyathus additur, atque bibitur. REN. Arbitror esse nauseabundum potum. BRASS. Ob salsedinem ipsam non est multum nauseabundus. RENA. Tamẽ ius solum idem efficere debet. BRAS. Idem prorsus efficit, & ideò absque vino etiã bibi potest. RENA. Hoc ex marina aqua fieri arbitror. BRA. Imò & hæc animantia, emollientem quandam naturam habent, at idem efficere potest odoratus vnguis, quem Arabes blattæ byzatiæ vocant. RENA. Cochleæ etiam marinæ facilè deiiciuntur Dioscoride teste. BRASSA. Intellige si edantur, facilè excerni, & in ventrem diu nõ immorari. Secus est de illis, quæ in frutetis nascuntur. Illæ enim aluum circumagunt, & stomachum, vomitiones mouent, sed & aluum emolliendi vim habent. Intellige verò de paruis illis, quæ in arboribus & frutetis nascuntur, nõ de maioribus, & hoc etiam

effic

efficiunt si elixatæ fuerint ex petroselino, porro, oleo, & sale, & iusculum hoc simul edatur, illæ etenim quæ friguntur, & viridi sapore eduntur aluum non emolliunt, plerunque verò difficilioris sunt coctionis, nisi recta coctura percoctæ sint. REN. Illa optima cochlearum coctura est, qua ancillæ nostræ vtuntur, nam neque vllus sentitur callus, & mollissimæ effitiuntur, & ob cocturam friabiles. BRASS. Nulla certè his beluis melior potest contingere coctura ea, quam coquinaria nostra facit, si credere possem aliquem sepiarum atramentum esse haustutum, id Dioscoridis referrem, quod sepiæ decoctæ atramẽtum reses in stomacho, & concoctu difficile est, emollit aluum. RENA. Neminem prorsus inueniri arbitror, qui atramentum illud insumere voluerit. BRASS. De re igitur loquamur, quæ magis placet. Non rari inueniuntur, quibus ex vini cretici potu aluus lubrica euadit. RENA. Nescio cur hoc fiat. BRASSA. Excogitaui cretica vina Venetiis adulterari, inter alia verò adulteria vnum est ex melle, & tunc creticum vinum nõ solùm ventrem soluet, sed & tormina nonnunquàm inducet, creticum autem vinum nõ adulteratum ex butyro aluum optimè soluit. REN. Ad quan-

tam copiam? BRASSA. Sit cretici vini libra,& duæ butyri vnciæ,quæ tantum incalescant,vt butyrum liquefiat,vnáque bibantur,aluum vehementer emolliri percipies. REN. Butyrum vino miscere nauseosum videtur, ac Germanicum. BRAS. His quibus butyrum sapit, nauseosum nõ est,at si duę butyri vncię cum duabus mellis vnciis edantur, idem effici percipies. RENA. Videtur antiquus cibus in sacris literis,quo scirent reprobare malũ, & eligere bonum. BRAS. Nonnunquàm edere volui vt experirer,meo haud sapuit palato,quanquàm seorsum sapiat butyrum, & seorsum mel. RENA. Multa eiusdem generis inueniuntur, quæ seorsum accepta sapiunt, simul verò mista tertium faciunt compositum,quod gustui displicet. BRA. Sed & lac ipsum & mel simul mista ventrem emolliunt.. RENA. Imò & lac ac zucarum. BRASSAVO. Haud dubito, imò valde scio, sed & mel ac vinum creticum bonam faciunt aluum. RENA. Iam dictum est de cretico vino, cùm melle adulteratur,ventrem turbare,& deiectiones facere. BRASSA. Supra quæ vinum est maximè decoctum, vt ex quinque partibus vna relicta sit, & quandoq; ex tribus vna, si ad quatuor vncias bibatur, aluum ciet.

RE

RENAT. Mirum eſt, quod Dioſcorides de gobio ſcripſit, ſcilicet eius vim eſſe ventrem per inferna abſque vexatione purgare. BRAS. Millies edi gobios, nunquàm verò percepi, quòd vel tãtillum ventrẽ emollirent. RENA. Non dicit id per ſe fieri à gobio Dioſcorides, ſed quòd recens gobius, in aluum ſuillam conſutus decoquatur in ſextariis aquę duodecim, quoad duo ſextarij ſubſidui ſint, deinde ſuccus colatus, & ſub diuo contentus, bibẽtes per inferna ſine vexatione purgat. BRAS. Hoc nunquàm expertus ſum, ſed adeò facile eſt experiri, vt nihil facilius: ad illa verò redeamus, quæ prius erant propoſita, diximus lac ventrem mouere ex melle, vel ex zucaro, at hoc vehementius facit ſerum, ſi melli aut zucaro miſceatur. REN. Hoc ab re non eſt, quia & ſerum ſimpliciter vehementius educit, quàm lac & lac ex melle & ſale, vel ex zucaro & ſale, hoc vehemẽtius efficit, ac ſerum melle & ſale, vel ex zucaro, & ſale, lac in hac actione ſuperabit, imò & butyrum ac zucarum aluum emollit, & ſi ſal addatur illud egregiùs facit, & ſal etiã quando cum melle butyrum editur, facit vt vehementius exoluat. RENAT. Dioſcorides dicit, & butyrum ſolùm vẽtrem ſubducere

re.BRASSA.Id quidem dicit, verum notat, quod largius ſumptum eſſe debeat. REN.Ad quantam copiam?BRAS.Ad integram libram & etiam in maiori copia, ſed & recentem caſeum citra ſalem eſitatum ventrem modicè laxare dicit Dioſcorides.RENA.Opus eſt huius recentis caſei libram ſaltem edere.BRA.Satis eſt ſemilibra.REN. Ego in vno menſe ſemilibram non ederem.BRA.Neq; etiam in vno anno illam ederem,ſed neque venter ſubduceretur.RENA. Siluri recentem carnem potius ederem, quam Dioſcorides ventrem emollire dicit.BRA.Si haberes, edere nihil impediret,at tibi erunt magis in promptu Anguillæ,& menæ,nam vtrunque horum piſcium ad ſemilibram eſitatum ventrem emollit,id verò facilius efficit libra. REN. Non dubito ob ſuarum carnium mollitiem id effecturas, licet ab authoribus non ſit proditum,at nónne eſſe deberent in eodem genere Reginæ?BRASS. Tanta mollitie non ſunt præditæ, quanta menæ & anguillæ,intelligo autem de menis in ſuperiori pelle,quia menarum caro Reginarum carne denſior eſt.RENA.Arbitrabar menarum corium eſſe glutinoſum,& potiùs aluum retinere,quàm ſubducere.BRAS.Et ſi nonnihil habeat glu-

tini,tamen valde molle est, atque humectum,intestináque lubriciora reddit, veruntamen de Reginarum carne idem iudicium fieri debet, quòd scilicet comesta lubriciorem aluum reddit,multi præterea sunt eiusdem generis pisces,vt vocati persici,& alij qui valde molli ac humecta constant carne, hi omnes aluum humectant ac molliunt. RENA. Memini Dioscoridem de recentium petrosorum piscium iure dicere modò per se,modò concomitatum vino ventrem emollire. BRAS. Nota tu hoc piscium ius iuxta Dioscoridem in loco, quem citasti,in aqua fieri oleo addito & anetho,non possum autem arbitrari illud effecisse Dioscoridem absque sale, nisi intellexerimus pisces, quos e mari sumi iubet, nonnihil salsæ aquæ commistum habere,sed & in hoc iure Gale.porrum commiscet,& ius album vocat, hoc ius per se potum ad communis pateræ quantitatem ventrem emollit, præterea si aliquid potentioris vini addatur,aluum magis emollit, si tertio aquæ loco ad coquendos pisces vino vtamur, porro, anetho, oleo, & sale id vehementius efficitur. RENA. Arbitror adhuc melius contingere, si vinum sit dulce, vt plerunque domi nostræ pisces in optimo dulci vino coquuntur.

BRAS. Nos aromata addimus, & copiosè, súntque maiores pisces, qui percoquuntur adduntúrque cæpæ vel porrum suo tempore præter oleum, & salem, & nonnunquàm tantillum aceti addimus, túncq; aluum probè emolliunt, millies expertus sum in me ipso aluum emolliri, cùm ius hoc in dulci vino ediderim, & quanuis Dioscorides dicat esse optimum ius è phycidibus, scorpionibus, iuliis percis, & saxatilibus teneris, nec virus recipientibus, nos saxatiles istos raro tantùm habemus, quia ex mari aduehuntur, sed habemus vocatos strigiles ex Pado flumine, quod nostram inclytam patriam Ferrariam alluit, sunt verò pisciculi albi vt argentum, facilis coctionis & optimi nutrimenti. REN. Vidi te in febribus plerunque hos pisciculos præbuisse, cùm ab ægrotis petebantur. BRAS. Et si obseruasti, nemini vnquam obfuêre. RENA. Nunquàm, quod sciuerim. BRASS. At aluum etiam subducunt, salsi omnes pisces ante cibum esitati, & à Galeno Alexandrinorum mos refertur in Aphorismorum commentariis, qui est in prima mensa salsa edere ad deiectiones: nam sal intestina mordicat, & deiicere facit. Vnde Plinius capite 7. lib. 30. ait salsum ius aluum ciere, ob hanc causam non nul

nulli garum ad hoc officium insumpsère, quod nonnulli vocatum cauiarum esse putant. Verum hoc non est, quia cauiarum videtur apud antiquos cotarichos, vel fortè potarichos, id est quod vulgò dicitur botarga, alia verò res est omotarichos, quam alij tuninam vocant, est verò tunina salsus thyni piscis venter, & morona vulgò vocata existimatur eiusdem piscis dorsum, imò & schinale esse dicitur, ac si dicatur dorsum, & pars illa in qua spina continetur, veruntamen quicquid sit & ligulæ, quæ & sardellæ & anchioæ dicuntur, ac cæteri salsi pisces in prima mensa insumpti aluum subducunt, quia sua salsedine intestina mordicant. Idem iudicium faciendum est de omni salsa carne in prima statim mensa esitata. RENAT. Opus est, vt hæc deinde adstringant. BRASSA. Cùm posteà exiccent, deinceps adstringere necessarium est, & stypticitatem inducere, sed dum salsugo illa remanet semper necessariò mordicat, & ad excernendum irritat, quod planissimum est, si per anum immittatur, salsedo nimirum illa perurit, & excernere facit. Ego nonnunquam vsus sum ligulæ capite, id est sardellæ salsæ balani loco in puero, cũ deficerẽt alia, & egregiè excreuit. RE. Et Dioscorides in aliarũ

rer

rerum defectu, muscerdam pro balano imponit, hique non modicè excernunt, quibus imponitur. BRAS. Ad hoc etiam propositum vestis fimbriam imponit, taurino felle delinitam. REN. Quantum erit munda vestis illa cuius fimbria anum ingressa sit? BRASS. Hoc sano modo intelligendum est, accipiendam esse modicam lintei portiunculam, quæ est veluti vestis præsegmen, & in pessi formam, vel glandis redigendam, posteà taurino felle delinenda est, & ano subducenda, à Plinio dicitur libro 30. cap. 8. vt & hyrundinum fimum adiecto melle subditum. RE. At ne ab his, quæ per os sumuntur, ad ea, quæ per anum iniiciuntur transeamus, propositum sequaris. BR. Baiulum quendam vidi ex his qui in teloneo pro soluendis vectigalibus onera ponderant, qui aluum adstrictam habebat, & cyathum muriæ bibit, & aluus soluta est. RENA. Miror, cur siti non obierit. BRASSA. Siti prouidebat ipse: nam raros vidi oleo feliciter ingurgitare, vt ille faciebat, denique verò ethicam incidit, arbitror muriæ siccitatem illuc denique ipsum perduxisse. REN. A Dioscoride notatur Tragum aluum emollire, si subsisterit, at quid tragus sit, ignoro. BRAS. Neque ego impræsentiarum

rum illum tibi commonstraturus sum, hoc sit impræsentiarum satis de trago, si panem ex trago ederis, ventrem emolliri, vbi de frumentaceis agemus, tragum tibi ostendere conabimur. De lente à Dioscoride dicitur, quòd excorticata aluum adstringit, cum cortice igitur ventrem mollit, videtúrq; Dioscorides velle, quòd biscocta, hoc est vehementer cocta absque cortice adstringat, in prima verò coctura cum cortice ventrem laxet. RENA. Prouerbium adest Ferrariæ vulgatum, videlicet lens lenticula, qui ex ea pateram edit, excernit situlam. BRAS. Emollire aluum primam cocturam planissima res est, & recentes etiam phasioli aluum emolliunt, imò & non recentes, licet de recentibus id solum à Dioscoride scriptum sit. RENA. Fortè ita dixit, quia id melius efficiunt recentes. BRASS. Et maiorem simul habent humiditatem, & magis flatuosi sunt, aluum verò emolliunt, si integra edatur patera in quocunque sint cocturæ genere. RENA. Hoc est, vel sint elixi, vel sint cum iure decocti, hoc dico, quoniam puerulos vidi, illos sub prunis coquẽtes ac edentes. BRASSAV. Imò & hoc modo ventrem emolliunt, licet non tam efficaciter, cerebrum animalium vomitum ciere dicitur,

sed

sed & ventrem mollire, & præsertim suillum, & hoc magis efficit elixum, quàm frixum, coqui verò debet in albo Galeni iure ex anetho, scilicet porro, oleo, & sale. REN. Frigidum esse arbitrabar & potius adstringere. BR. Frigidum prorsus est, sed superfluam habet humiditatem, & mollitiem talem, quæ intestina emollire potest, & Raphanus ipse ventrem soluit. Verùm à Dioscoride scriptum est, si id efficere debeat, postremo cibo edendum esse non primo, nam primo cibo vomituris conuenit. REN. Dioscorides rationem reddit quia spiritum colligit, ac flatus, iccirco si prius edatur, cibos insumptos suspendit, & vomitum ciet, quod non facit, si vltimo loco edatur. BRA. At mira videtur agrioraphani, id est syluestris raphani radix, nā ipsius superior pars vomitum ciet, inferior verò aluum per inferna mouet. REN. Multa ab authoribus scriptis mandata sunt, quæ an ita constent, incertum inexploratúmque videtur. BRA. Hoc verò boni habent, quod experiri haud difficile est, de radicula ipsa hoc millies expertus sum, & nemo est qui ignoret flatum mirè excitare, & bonam aluum facere, sed & blitum aluum facilem reddit, quod etiam cauliculi maluæ præstant. Mediolani publicè venduntur, & in

mult

multiplici vſu ſunt, nam in minutali edũtur, & in acetario elixi primò, poſteà frixi, & oleo, ſale, ac aceto conditi, & cucurbitarum cauliculi ſiue aſparagi eodem modo manſi idem efficiunt, quod & ipſa malua ex iure vel oleo decocta, in quem vſum venit etiam atriplex in carnium iure, vel ex oleo decoctum, & braſsicæ ſatiuæ ſuccum ex nitro & melle ventrem emollire dicit Dioſcorides. RENA. In quo pondere? BR. In iſto, qui ſequitur:

℞. Succi braſsicæ ℥ iij.
Nitri ʒ j.
Mellis deſpumati ℥ j.

Miſceantur. RENA. Hoc fortè eſt, quod à nonnullis recentibus dicitur, hunc ſuccum atram bilem educere. BRAS. Experiaris tu, nam percipies nihil aliud educi, quàm ſtercora, & reliqua quæ in viis cõtinentur, & aluum tãtum emolliri, imò & hoc facit ſolus ſuccus abſq; nitro, & melle, cũ his verò id vehementius facit. REN. De braſsica marina ſcriptũ eſt, quòd aquas educit, ſed Dioſcorides ait, quòd cit aluum, & de aqua mentionem non facit. Plinius verò lib. 20. cap. 9. ait braſsicam marinam vehementiſsimè ex omnibus aluum ciere. BRASS. Non omnia à Dioſcoride vel Plinio dicuntur, ſed id efficere experientia oſtendit. At

Dioſc

Dioſcoridi ſatis viſum eſt dicere aluum ci tare, quanuis fortè neſciret an aquas, an alios humores educere poſſet. verũtamen quæ aquas in aſcite educere ſunt apta, illa etiam quæ in inteſtinis continentur, educere valent. RENA. Nonne & cucurbitæ ſuccus aluum liquat? BRASS. Liquat quidem, at non ſimpliciter, nam à Dioſcoride ſcriptum eſt, Decoctæ verò vniuerſæ ſuccus, cum exiguo melle, atque nitro potus aluum modicè liquat. REN. Fortè probè dicit modicè, quoniam cucurbitæ natura ob frigiditatem adſtrictoria potius eſſe deberet. BRAS. Ob maximã verò, quam habet, humiditatem, emollire debet. Nitrum præterea ac mel eductoria ſunt. RE. De lactuca idem iudicium fieri debet, quia à Dioſcoride ſcriptum eſt, vim habere emolliendi aluum, vt hoc ex ſua fiat humiditate, quæ ventrem emollit, & non ex frigiditate. BRASSA. De lactucis à Plinio hoc dicitur lib. 20. cap. 7. lactucæ ſatiuę aluum copioſiores ſoluunt, modicæ ſiſtũt. RENA. Cur hoc? BRASS. Arbitror ſubducere in magna copia, quia ventriculum infrigidant, in pauca verò copia adſtringunt: quia eundem ventriculũ modicè infrigidãt, at cucumis, id eſt, anguriæ ſuccus, qui & ipſe ventrẽ emollit, ob partes tenuiores

ores ac dulces vim quandam habet calidã, ob crassas verò frigida est anguria, vt succus ille meritò emollire possit, nonnulla verò sunt, quæ aluum subducunt, ventriculũ infrigidando, vt de lactuca dictum est copiosè sumpta, & cucumer, qui sycis dicitur, aluum subducit, ventriculum infrigidando, & coctionem prohibendo. REN A. At scandix suapte natura ventrem mollit humectando. BRASS. Videtur apud antiquos herba illa, quam nonnulli vocant barbam presbyteri, sed ozimum ob calidas quaspiam partes simul cum humente natura ventrem mollit. REN A. Idem iudicium de porro faciendum est, nam ventrem mollit, & sua caliditate aliquid agit. BRASS. Cùm puer essem, & raucam vocem nonnunquàm haberem, vt cantillare minimè possem, porros sub cineribus decoctos & melle delinitos ad vocem claram reddendam, comedebam, cúmque arctissima esset aluus, ventrem tamẽ mihi emolliebant, verùm & in minutali idem efficiunt, & crudi ex pane esitati. RENAT. De lactuca quomodo præbenda sit vt educat, ac emolliat à te dictum nõ est, nam & mel porros adiuuare debebat ad excernendũ. BRAS. Adiuuabat omnino, verùmtamen lactuca, atriplex, scandix, & huius generis

alia aluum emolliunt, si vel in iure coquãtur, vel in aqua ex oleo, & sale, vel in acetario, ex aceto, oleo, & sale, hoc verò lactucæ tantùm conuenire videtur: quia aliæ herbæ in minutali potius eduntur, idem faciunt vocata spinachia. RENA. Quænam herba sunt apud antiquos spinachia? BRASSA. Authores certant, & adhuc sub iudice lis est. atriplicis genus esse videtur, alij putant betæ genus, quicquid verò sit, frigidæ sunt temperiei ac humidæ. REN. Minutal fit à nostris mulieribus ex spinachiis, quod aluum mirè subducit, ac emollit. BRASSA. Scisne quomodo conficiatur? RENA. Edi & mihi placet, nunquam tamen fui in coquina, dum condiretur. BRAS. Audias igitur quomodo cõficiant, spinachia accipiunt, & probè mundant, in lebetémque absque aqua imponunt, & oleum dulce oliuarum paulatim superingerunt, ignique suspendũt, quo ad omnia spinachiorum folia flaccescant, hoc vocãt desfrizere, vt scilicet defrigantur, posteà addunt salem quantum satis est, denique mel adiiciunt, vel sapam, sed nostræ mulieres, quibus non deest mellis copia, ex melle conficiunt, & nõ ex sapa, quæ inuenta est in adulterium mellis, posteà lebetẽ supra prunas paulatim ebullire sinunt oper-

culo tegentes, quoad fuerit exquisitè percoctum: mihi verò cui mel obest, vxor mea iubet ex zucaro fieri & passulis, nonnihil cinnamomi addito. RENA. Non miror igitur si emolliant, quia præter spinachia adsunt etiã oleum, sal, ac mel, vel sapa, vel zucarum, & passulæ, quorum natura est retardantem aluum citare. BRASS. Et cæpa ventrẽ purgat. RENA. A' Dioscoride notatur, quòd statim fastidium stomacho faciunt, & purgant. BRASS. Scito verò crudas cæpas hoc efficere, videlicet stomachũ fastidire ac purgare. De illis Plinius dicit libro 20. cap. 5. quòd ventrem emolliunt, suntque ventri facilia, & facilè coquuntur, notatóq; efficacius purgare longas, quàm rotundas, & rubras quàm albas. RENA. Id contingere debet, quia sunt magis acres, at quibus modis insumũtur coctę? BRAS. Coquuntur in minutali ex oleo & sale, itaque paratum ferculum ventrem subducit, sub cineribus coquuntur, postea ex sale, zucaro, aceto, & oleo comeduntur, vel ex melle, sale, aceto, & oleo, vel ex sapa, sale, aceto & oleo, vel ex sapa, oleo, & sale, & omnibus his modis ventrem lubricum faciunt, nonnunquàm in sartagine illa coquuntur, quæ carnibus quæ assantur supponitur, vt pinguedo colligatur,

quæ à carnibus decidit, posteà prædictis modis aptantur, nonnunquàm in sartagine friguntur, posteà ex melle, aut prædictis modis eduntur. RENA. Ego millies edi hoc modo conditas in acetario, tamen nunquàm ventrem mihi subduxêre. BRAS. In omni re debita quãtitas seruari debet, si actio sit cõsecutura, si vigesimam partem grani ex scammoneo acciperes, nunquàm educeret, quia non est in tanta copia vt educere posit. Idem iudicium in cæpis cõtingit, tu in acetario tres aut quatuor cæparum bolos edis, & etiam paruos, propterea mirum non est, si non educant. At si integrum insumeres acetarium, ex duabus cæpis, etiam mediocribus, statim educere percipies, non quidem statim à sumptu sed post quatuor, aut quinque horas. Cùm puer essem, & Rusculum meum peterem, Misericordiam nuncupatum, coloni elixos phasiolos coxerant, & frequẽter coquebant, ego illorum pateram comedebam, sempérque aluus mollior efficiebatur, & hoc non semel contingit, sed plusquàm vigeties, tamen eram astrictissimæ alui. RENA. Fortè & phasioli ad excernendum opem ferebant. BRAS. Non dubito, verùm & allium ventrem subducere proditum est. RENA. A' Plinio scriptum

ptum est lib. 20. cap. 17. de allio, quod Diocles hydropicis præstitit cum centaurea, aut fico duplici ad euacuandam aluũ, quod efficacius præstat viride cum coriandro in aceto potum, tamen aluum conturbat, & flatu replet. BRAS. Et ob hoc etiam subducit, quia fæces eliquat. RENAT. Quomodo id efficit sumptum? BRAS. Et crudum, & coctum, sed modicum edere non est opus, at tria vel quatuor capita edenda sunt. Quidam edunt in brassica coctum, alij sub cineribus. RENA. Arbitror, decoctum cum brassica vehementius educere. BRAS. Ita esse oportet, quia brassicæ vis aliquid addit ad subductionem, tamen & sub cineribus coctũ idẽ efficere planũ est. Rustici oleta stercora, ac flatus, tam fœtida fœtidè emittunt, cùm allia ederint, vt totam domũ fœtore superfumigent. REN. Adsúntne alij insumendi modi? BRASS. Vnus est modus, quomodocunque sit decoctum allium spicula accipere, & pipere ac sale aspergere, deinde ad tria capita comedere, hic edendi modus ventrem magis laxat, sed & recens allium antequàm spicas efficiat, hoc melius efficit. RENA. Nonnullos valde laxari vidi, qui in mense Maij recens allium edunt, cum restuario ex bleta. BRAS. Tunc multa concur-

runt, quæ deiectiones parant, imò & nonnulli cum testuaciis ex floribus sambuci edunt, & aluus etiam emollitur, & nonnunquàm qui ederint pluries deiiciunt, si testuarium mel receperit. RENA. Tum arbitror hoc nunquàm defuturum, quod ventriculũ semper conturbabit. BRAS. Id est allij propriũ ob illos quos excitat flatus. RENA. Nonne in acetario edi potest? BRAS. Consuetum non est, neque condituram illam pati videtur, at nõnulli sunt, qui dum acetaria ex lactuca aut alia herba edunt, simul & recentia allia comedunt, & ita etiam aluus turbatur & liquidior efficitur. RENA. A' lactuca in hoc casu adiuuari debet. BRAS. Esto imò & à tota acetarij cõditura, sed & nasturtij semen aluum ciet, si ad duas drachmas ex vino insumatur, vel si ipsius folia ad drachmam vnam & semis in acetario edantur. RENA. Scio esse calidæ & aperientis naturæ, & stomacho inimicum. BRAS. In minutali etiã esitatum eosdem effectus agit. RENA. In zingibere contradictio quædam mihi esse videtur, quoniam nonnihil habet adstringentis naturæ, tamen à Dioscoride scriptum est, aluum mollire. BRASSA. De adstrictione res ambigua videtur, quàquàm ad gustum nonnihil adstrictoriæ vis

in lingua sentiatur. Gal. lib. sexto de simplicium medicamentorum facultatibus, substantiã crassam habere iudicat; & esse humidæ atque aqueæ naturæ, & hæc est causa cur facilè perforetur, vnde & ventrẽ emollit, idque facit ad quatuor drachmas insumptum. Ego in elixis capis magnam zingiberis copiam edo, & aluum mihi bonam reddi persentio. RENA. In capis elixatum suã illam propriam humiditatem amittit, & vnà iuris humiditas inanitur. BRASSA. Imò & ius hoc in quo ebullierit in potu sumptum ventrem subducere potest. RENA. Si capis id hoc efficit, cur præsente zingibere efficacius non efficiet? BRAS. Probè infers, at struthij radicem aluum soluere à Dioscoride proditum est. RENA. Multæ herbæ sunt lanuginosæ, id est, quarum folia sunt lanugine cõspersa, & aliquæ maiorem, aliquæ minorem lanuginem nactæ sunt, at quæ nam herba sit hæc, quam struthion & lunariam vocant ignoro. Arabes illam vocant condes, vel condisi, vel condesi, & sub hoc nomine passim intelligitur. Auerrhois in quinto suarum collectionum libro, arbitratus est, esse albi ellebori radicem, quæ sternutamenta mouet tamen: & struthion sternutamenta mouere potest, cum Gal.

in 8.de ſimplicium medicamentorum facultatibus illud faciat in quarto ordine quodammodo calidum; imò & dicat ſternutamenta prouocare, vt cætera omnia, quæ calida ſunt temperie, & guſtu acria, hæc eſt herba, cuius radicibus vtuntur, qui lanas lauant ad eas dealbandas. RENA. Cùm à Dioſcoride dicatur dracunculi minoris radicē ventrem laxare è vino potam, quomodo bibi poteſt? BRAS. Tribus modis, quorum vnus eſt, ſi exiccetur, & in pulnerem redigatur, tunc erunt ſatis tres drachmæ cum vino ad aluum ciendam, ſecūdus modus eſt illam exprimendo recentem, & ſex ſucci drachmæ præbendæ cum vino, ſemperque potens vinum intelligito. RENA. Scio hanc eſſe regulam, cum medicamentorum vires in vinum recipiūtur, potens vinum ſumendum eſſe, quia in hoc medicamēti vis faciliùs irrepit, quàm in vinum oligophorum. BRAS. Tertius modus eſt infundendo illam in vinum, vnciam huius radicis accipiendo, & in fruſtula incidendo, & in ſex vini cretici vncias infundendo, per decem horas, poſteà exprimendo, ſi potui præbeatur, ventrem ſubducet. Adde alium modum, radicem adeò pinſendo, vt cum vino bibi poſsit. Nota verò, & ſi à Dioſcoride de potu in

vino

vino dicatur, quòd laxat, tamen & in iure Gallinaceorum elixa idem faciet, vel ex oleo, sale, ac porro, idem quoque efficere poterit, si sub prunis torreatur, & ex melle ad unciam edatur, si etiam ex hac radice exiccata, & in puluerē redacta fiat ex melle linctus eundem præstabit effectum. RENA. A Dioscoride etiā de asphodelo scriptum est, quòd radix & flores in vino pota, ventrem laxant, intelligitne simul & radices, & flores accipienda esse? BRAS. Et simul id faciunt & seorsum, & hoc multis modis vel exiccata, & in puluerem redacta, vel succum ipsorum accipiendo, vel in vinum infundendo, & nunquàm in minori copia sumantur, quàm uncia, radices præterea sub cineribus tostæ ex melle edi possunt, quoniam & hoc modo ventrem subducēt, & flores in acetario edi possunt, vt acetaria Ferrariæ communiter parantur. Possunt & coqui in iure, quo etiam modo subducunt. RENA. De scilla etiam à Dioscoride dicitur, quòd vnius cochlearis mensura, vel duorum molliendo ventri ieiunis datur. BRASSA. Cùm à Dioscoride hoc dicitur, multifariam multisq; modis scillam præparari monet. Primò, torret scillam, & vnicuique scillæ portioni octenas salis tosti addit partes. RENAT.

Sal ad ventris ſubductionem multum facere poteſt. BRASSA. Multum prorſus, at in melle etiam coquitur, & adeò coquitur, vt vnum fiat ſcillæ corpus & mellis, poſteà tria ipſius noſtraria cochlearia præbentur, coquitur & in iure ad eoſdem vſus, túncque ſatis eſt iuris pateram præbere, & in aqua coquitur ex oleo & ſale, huiúſque iuris patera etiam ſumitur. Cùm verò & ſcilliticum, fiat acetum, & vinum, acetum ad tria noſtraria cochlearia idem efficere poteſt, vinum autem ad ſex. Vnum tamen animaduerſione dignum eſt, quod Dioſcorides notauit, videlicet, cauendam eſſe ſcillam his, qui vlcus interius ſentiũt. RENA. Hoc videtur intelligere Dioſcorides de ea in cibo ſumpta. BRASSA. Licet hoc tantùm in illa parte dicat, quando illam decoctam in cibo præbet, tu quam differentiam facis, ſi in melle cocta ſit, & in eclegmatis formam deuenerit? RENA. Nullam prorſus, niſi quia in eclegma ex melle redacta nimis cocta eſt. Cùm verò ad edendũ coquitur, partes integræ remanent. BRASSA. At hoc ad emollitionem nihil facit, ſcito tamen ad aluum emolliendam ſcillam tunc præbẽdam eſſe, cùm pituitoſæ materiæ, craſſæ, & glutinoſæ in ventriculo, & in inteſtinis continebuntur,

tur, quæ incisione & attenuatione indigebunt. In reliquis casibus consulerem, vt à scilla abstineres, ad eosdē vsus, & per easdem præparationes conuenit & pancratium. RENA. Ita à Dioscoride dicitur. nam & aliquam habet cum scilla affinitatem,& nonnulli illud scillam appellarunt. De capparibus verò quid dicemus, cùm alium perturbare dicantur, fortè etiam edu cent. BRASSAVOL. Illa, quæ ventrem perturbant, etiam subducere solent, hoc est, perturbando ventrem commouere, tamen millies cappares edi, nunquàm verò perturbationem sensi. Fortè intelligunt si crudi edantur vel in magna quantitate, quia in acetariis sumunt decem vel duodecim, tamen ex eorum qualitate non vererer ventrem bonam inducere posse. RENA. Neque ego vnquam perturbationem in ventriculo persensi ex capparibus, fortè quia sale cōdiuntur, & sal ad subductionem adiuuat, ventrem subducere possunt. BRASSAVOLVS. Cùm eduntur, salsugo ab ipsis solet esse remota, tamen vis aliqua necessariò superest, quæ vim habet intestina mordicandi. At si cùm sale ederentur, ventrem prorsus subducerent, & tunc fortè ventrem perturbarent. RENA. Absinthium seriphium cum melle

aluum purgare docet Dioſcorides, quomodo verò cum melle præbet? BRASSA. Multis modis cum melle præberi poteſt, vno modo herbam ipſam in melle coquẽdo & illam edendo, alio modo extorquendo ſuccum, & mel miſcendo, alio modo madefaciendo herbam ipſam in melle crudam, & illam mandendo, poſſet præterea & in aqua decoqui, & ſimul mel apponi, poſteà decoctum illud ebibi, his omnibus modis adhiberi poteſt, quanquam & in vmbra exiccatam in puluerem redigi valeat, & melle recipi, ac in eclegmatis formam præberi. REN. Ad quãtam copiam? BRAS. Ad ſemiunciam, nota verò, & ſantonicum abſinthium idem effecturum eſſe omnibus prædictis modis adhibitũ, quanquàm & ipſorum ſemen ad hoc efficaciſſimum ſit, & in puluerem redactum, & in catapotia ex melle, vel abſque melle conformatum, & in placentulas, ac in ientacula pro pueris diſtinctum. RENA. Nónne & abſinthium commune, quod ab Italis ruſticũ vocari monet Dioſcorides, ventrem ſubducit? BRASSA. A' Dioſcoride inter cholagôga numeratur, at ab inteſtinis tantùm educit, & illa vnà educit, quæ in inteſtinis continentur, imò Dioſcoridis verba à viis tantùm educere oſtẽdunt,
cùm

cùm ait fel, id est, bilem, quod stomacho vel aluo cohæserit, purgat, hoc autem efficere non potest quin & reliquæ quæ in intestinis sunt, educantur materiæ, nam bilis sola quæ in intestinis mouetur, illa vti medicamentum ad excernendum irritat. Plinius lib.27.ca.7.inquit, absinthium bilem detrahit,& aluum mollit. Deinde sequitur: Absinthium antiqui purgationis causa dabant, cùm marinæ aquæ veteris sextario, seminis sex drachmas cum tribus salis & mellis cyatho efficacius purgat duplicato sale. Diligenter autem teri debet propter difficultatem. Paulò pòst dicit: Absinthium marinum aluum mollit. RENA. Legi Dioscoridem dicentem hyssopum cum ficubus viridibus tusum ac manducatum, aluum emollire. BRASSA. Ita ab hoc authore scriptum est, & verum esse expertus sum, at opus est ad minus esse ficus quatuor, & quatuor hyssopi drachmas in puluerem redacti, quanquàm & hyssopi decoctū idem efficere posit, nam & à Dioscoride scriptum est, decoctū eius sumptum cum aceto mulso, lentitiam pituitæ, crasitudinésque exigere per inferna. At hoc fuit contemplandum, quando de his verba faciebamus, quæ solam educunt pituitam, quanuis & hanc à ventri-

culo & ab intestinis educat. RENA. In eo loco de hyssopo locuti sumus. BRASSA. Memoria non excidit. RENA. Et tragoriganum à Dioscoride vētri facile dicitur, decocto insumpto. BRAS. Plinius lib. 20. cap. 17. de eo dicit, Tragoriganum heracleoticum aluum emollit acetabuli mensura, tamen esse facile vētri intelligo, quia aperit & excalfacit, at ad alia vtile est, videlicet ad atram bilem educendam, vt superius dictum est. RENA. Cognoscísne libanotim illam, quam Dioscorides dicit à Theophrasto scriptum esse cum erice nasci foliis lactucæ syluestris, eius scilicet, quæ amara est? BRAS. Illam nunquàm me vidisse scio, legi tamen, si bibatur, purgare vtralibet parte, hoc est, per os & per infernā aluum. RENA. Cùm illam ignores, de ea nihil agendum esse videtur. at peucedani succum contemplemur, quem ventrem molliter ciere Dioscorides dicit. BRASSAVOL. Quis succum illum accipiet tam grauiter olentem? nimirum cùm de peucedani succo ab authoribus verba fiunt, de radicis succo semper intelligunt, & si ab aliquo hic succus insumeretur, ab vncia vna, ad tres vsque vncias cum oxymelite vel mulsa accipiendus est. Non mirum verò est, si ammoniacū thymiama vē-

trem

trem emollire valeat, cùm ipsius natura emollire sit atque calefacere. RENAT. Atquomodo in potu sumi potest, cùm hoc à Dioscoride dicatur, aluum scilicet in potu soluere? BRASSA. Ignis vi potabile efficitur, & in puluerē etiam redigi potest, ne verò petas ad quantam copiam sit sumendum, ad vnciā sumi debet, & ad maiorem etiam quantitatem, ego nōnunquàm præbiū quatuor vncias olei amygdalarum dulcium, & tam egregiè subduxit, vt nihil exquisitius tūnc fieri potuisset, & præterea durities quæ in illius ventre, qui sumpserat, aderant, molliores effectæ sunt. RENA. De polio quid dicemus, quod aluum soluere proditum est? BRASSA. Fateamur hoc, addamúsq; præberi posse in puluerem redactum, in catapotia, in eclegma ad tres drachmas, decoqui præterea posse ex aqua, oleo, & sale, vel in Gallinaceo iure, & decoctum ad sex vncias bibi, veruntamen ex chamæpyti & ficu pilulæ fiunt aluum emollientes, si ad tres drachmas insumantur. Hęc verba addit Dioscorides, quæ pilulæ cum melle ac æris squama & resina ad aluum trahendam bibuntur. RENA. Hoc nihil magni videtur, quia & mel & æris squama per se sola aluū subducere valent. BRAS. Et herba hæc per se cocta

vel

vel in infusionem posita decoctum aut infusum præstat, cuius sex vnciæ si bibantur aluus moderatè subducitur, mirum est, quantum hac herba oues putrentes ac cætera animalia in sanitatem restituantur, quando scilicet illa fuerint depasta, idem iudicium est, & de ventris subductione in secunda & tertia chamæpyti, & betonica ipsa aluum emollit. RENA. Quomodo id facit? BRASSA. Si in puluerem redigatur, & drachmæ ex gallinaceo iure bibantur, vel ex aqua oleo, & sale decocta ipsa herba cum suo hoc iure edatur, vel in infusione sumpta, aut in catapotia conformata, hoc verò ægrè quidem, sed absque vlla efficit noxa, neq; enim violenter neq; vehemēter ac copiosè subducit, vt dici possit tantisper emollire, at continuus vsus efficit, vt vehementius emolliat. RENA. Publicè fertur, betonicam ad omnes prauos affectus conuenire. BRAS. Nulla igitur alia indigeremus herba, ad multos tamen valere affectus, haud imus inficias. REN. Cùm papauer rhœas frigidū sit, miror cur aluum subducere possit. BRASSAVOL. Emollit, quia humidum est, semen verò emollit acetabuli mensura cum melicrato potum, à Dioscoride verò dicitur aluum modicè emollire. REN. Ergo in puluerem redig

redigi debet, si bibendum sit. BRASS. In puluerem prorsus redigendum, tamen antiquitus in libis ac placentulis ad eundem vsum ponebatur. Verùm, & per se commãducatum idem efficere percipitur. RENA. Aliud dicit Plinius de hoc papauere libro 20. cap. 19. BRASSA. Quid dicit? RENA. Hoc, quod sequitur, scilicet, erratici papaueris aluum exinaniunt capita quinq; decocta in vini tribus seminis, at papauer ceratitis idem efficere vehementius potest, Nam à Dioscoride scriptum est semina cum aqua mulsa acetabuli mensura aluum purgare, de quo præcitato loco dicit Plinius, Papauer ceratitis aluum purgat dimidio acetabulo in mulso. BRAS. Id verò facit omnibus sumptum modis, quibus superiùs de papauere rhoeas dictum est, vtitur melicrato in vtroque Dioscorides, sed & oxymeli etiam conuenit. REN. Hoc ad rem ipsam nihil facit, modò intentum assequamur. legitur vrticæ folia cum conculis decocta difficilem ventrem emollire. BRASS. Solæ decoctæ conculæ hoc efficiunt, at minutal ex tenuibus vrticæ cacuminibus in aqua ex oleo & sale decoctum, hoc idem efficit, quod etiã infusa folia præstant, & radix ipsa hoc egregius prę stabit, si sub cineribus decocta ex melle

A desp

despumato commanducetur, & vrticæ semina aluum emolliunt, si ad tres drachmas insumantur. Tamen non vehementer, sed ægra sequitur emollitio, quæ & à folis fit seminibus, & à solis foliis. RE. Crescitne Ferrariæ cynoglosson? BRAS. Crescit & copiose in Padana insula, quæ supra Diui Georgij pontem in Pado visitur, loca amat sabulosa, iccirco locus ille sabulo cõsitus est sibi proprius. Dioscorides iubet folia in vino bibenda esse, quod vinum ad integrum cyathum bibatur. REN A. Vinũ in quo bulliendum est, cuius quantitatis esse debet? BRAS. Sit flauum vinum potens. Cùm primum hanc herbam inueni, illam experiri volui, in aqua decoqui iussi ex oleo & sale, & cuidam ancillæ meæ præbui, quæ aluum adstrictam habebat, ea die bis excreuit & communes fæces, sequenti verò die semel, cùm esset assueta singulis quinque aut sex diebus solum excernere. RENAT. Manifestissime deprehensum fuit aluum emollire, at ad quantam edit copiam ille qui insumpsit? BRASSA. Pateram communem edit in minutali, ac ius bibit. REN. Dicebátne sibi sapere hoc minutal? BRAS. Imò fatebatur non magnopere placere, sed quod medicamenti gratia illud sumebat, idque
in

in prandio ex pane edit, & nihil aliud accepit, vinum tantum superingeſsit, ad ſitim extinguendam, quam comedendo cõtraxerat. RENA. Cum a Dioſcoride dicitur balanum myrepſicam aluum ſubducere ex aqua mulſa, quonam modo ex aqua mulſa præberi poterit? Nam ſi exiccaretur, vt in puluerem redigi poſſet, emolliendi vires amitteret: ſi non exſiccetur, quomodo aquæ mulſe miſceri poſsit, haud video. BRA. Tibi verò oſtendam quomodo miſceri poterunt. Dic, peponum ſemina, & amygdalæ quando aquæ miſcentur in puluerémne rediguntur? RENA. Minimè, ſed vti lac ab ipſis exprimitur. BRASSA. Idem in myrepſica balano contingit, quando contunditur, & aquæ mulſæ miſcetur, cúmque illi miſcetur, vti lac fit, & tota balani ſubſtantia liqueſcit, vt bibi poſsit, ſicuti tota amygdalarum ſubſtãtia liqueſcit, vt bibi valeat. RENAT. Iam video quomodo eliquari poſsit; verùm ad quantam copiam ſumi debet hæc vnguentaria balanus? BRASS. Ad vnciam vnam vſque ad duas, ſcito verò & ſequenti modo ventrem ſubducere, & ego ſum expertus, iuſsi balanorũ vnguentariorũ duas vncias recipi, & in vna aquæ libra ad dimidias ebulliri, poſteà ius hoc bibi, quod erat

valde pingue, huícque venter mollior eua sit, imò ter aut quater deiecit. RENAT. Quando ebulliri fecisti, erántne glandes emundatæ? BRAS. Erant, propterea olea gineam reddidere aquã, & maxime emollientem, verùm & oleum balaninum ad tres vncias potum, ventrem emolliendo soluit, ad quatuor verò vncias plenè educit. RENA. Arbitror eodem modo soluere, quo oleum amygdalarum dulcium. BR. Imò & eodem modo quo omnia oleaginea, vt oleaginea sunt. RENA. A' Dioscoride dicitur pytiussæ radicem duobus denariis in aqua mulsa potam ventrem per inferiora purgare, debétne eiuscemodi radix inter illa, quæ aluum simpliciter subducunt, enumerari? BRA. Scito pytiusam, proprios educere humores, pituitam videlicet, bilem & aquas, propterea de illa suo loco agemus. REN. An hoc à Dioscoride prætermittitur? BRA. Et si præterierit, tamen cùm in ordine ponatur eorum, quæ proprios humores euacuant, & cùm post septem tithymali species enumeretur, eosdem humores educere arbitrandum est, quos lactariæ illæ propinquæ herbæ educunt. Idem iudicium in chamæsyce herba facio, quòd scilicet bilem & pituitam detrahat, licet à Dioscoride tãtum scriptum sit

sit, quòd aluum soluit, sed opus est propinquorum simplicium vires habere, cùm humores educere pituitosos, & biliosos experientia planum sit. Gale. nimirum in octauo de simplicium medicamentorum facultatibus libro de pytiusa ait, quod est tithymalorum genus, & quòd similiter purgat vt tithymali, & quòd in viribus est illis adsimilis, de chamæsyce verò an euacuet, an non euacuet, Gale. mentionem nõ facit, tamen in ordine illorum simplicium à Dioscoride non poneretur, nisi humores educeret, vnde & si ab authoribus de aliquo simplici humores proprios educente dicatur, quòd ventrem subducat, vel emolliat, vel aluum soluat, & nihil aliud addat, ob hoc non est arbitrandum, quòd proprios humores non subducat. Millia supra millia huius generis apud Plinium inueniuntur. RENAT. Tria aut quatuor enarrato. BRASSAV. En, libro 20. cap. 1. dicit: Elaterium ad aluos purgandum, modus portione virium, à dimidio obolo ad solidum copiosius necat, en de elaterio tãtum dicit, quòd aluum soluit, & in eodem loco cap. 3. de colocynthide herbacea arefacta dicit per se aluum inanire, & nihil aliud, & deinde libro 21. cap. 20. dicit, quòd aluum purgat duabus drachmis cũ melle,

& cap. 21. libri vigesimisecundi dicit heliotropium tricoccum in lacte iucundius aluum mollit, & si decocti succus bibatur, efficacissime exinanit, & lib. 25. cap. 5. dicit elleborum nigrum per inferna purgare licet paulò pòst humores explicet. RENA. Hæc satis sint ad id persuadendum, quod proposueras. BRASS. Vitis syluestris radicem in vino decoctam marina condito cyathis duobus humores alui ciere dicitur. RENA. Aquas in ascite ducere arbitrabar. BRASS. Et illas quoq; subducit, sed & omnia, quæ in ventre ac viis continentur, expellit. RENA. Vino caremus aqua marina condito. BRA. Iccirco in aqua decoquenda est, nam à Dioscoride notatur in aqua decoquendam, vel in vini marina conditi cyathis duobus. Tamen peculiare sibi videtur aquas educere; ob quam causam ad alia pedem conferamus, quæ institutum nostrum non pertranseunt. REN. De thelypteri igitur verba faciamus, quæ aluum emollire dicitur. BRASSA. Emollit quidem, si folia sumantur, quæ non pridem germinauerint. REN. Quomodo erunt folia si non germinauerint? BRAS. Intelligit folia tenella, quæ adhuc in germen non creuere, hæc folia coquutur cibo vt aluum emolliant. REN A. Et quomodo

cibo

cibo coquuntur? BRAS. Vt minutalia vel in iure pulli, vel in iure, ex aqua, oleo & sale. RENA. Hæc omnia ad aluum emolliendam conferre possunt. BRASSA. Ad aluum quoq; educendam cnici semen facit. REN. Quonam modo? BRA. Si vel ex mulsa, vel iure pulli bibatur. REN. Forte contundi debet vt peponum semina contunduntur, & succus in iure, vel in mulsa recipiendus est. BRASSA. Eo prorsus modo ex contusis granis succus eius excipitur. RENAT. Hæc sunt semina illa, quæ à psitacis eduntur, & medicorum vulgus carthamum vocat, at in quanta præbentur hæc semina copia? BRASSA. Ad vnciam sumuntur, si corticibus sint emundata. Ad vncias verò duas, si cũ corticibus terantur. Sed antiqui coptaria faciebant, hoc est, placentularum genus quoddam ex horum seminum succo, vnáque vinum miscebant, amygdalas, anisum ex melle decocto, & his ad emolliẽdam aluum vtebantur. REN. Nonne & cnicinum oleum ventrem mollit? BRASS. Id efficit ad tres aut quatuor vncias sumptum, amarum verò est, & omnibus displicet, passimq; oleũ de carthamo vocatur. RENAT. Nonne quæ aluum turbant, eadem & subducere possunt? BRA. Equidem. REN. A Diosco-

ride ſcriptum eſt dulce vinum aluum turbare, igitur & ventrem ſubducere poterit. BRASSA. Nemo inficias ibit, imò cùm à Dioſcoride ſcriptum ſit, vinum dulce inteſtina muſti modo turbare, & muſtũ in hac ventris turbatione ſemper aluum ſubducere, etiam dulce vinum in ſua, quam facit turbatione aluum ſubducet. Dulce autem vinum aluũ emollire teſtis eſt ipſe Dioſcorides, qui de vino Albano agens ait dulce ſtomachum inflare, ventrémq; emollire. REN. Imò hoc videtur eſſe dulciũ rerum ferè munus, aluum emollire. BRASS. Iccirco & zucarum ipſum per ſe eſitatum ad quatuor vncias aluum emollit, ac ſubducit, de melle ſuperiùs dictum eſt, & ſi quatuor zucari vnciæ in aqua diſſoluantur, & aqua bibatur, vehementius ſubducitur aluus. RENAT. Debétne aqua illa ebulliri? BRASSA. Imò debet, vt ſi quid adſit in ipſa flatuoſi, id totum auferatur. RENA. Quæ vina illa ſunt, quæ à Dioſcoride Albana vocantur, ſúntne illa quæ Romæ habentur? BRASSA. Illa prorſus. RENA. Fuit ergo Romæ Dioſcorides? BRAS. Quis ambigit? imò prius locutus erat de Phalerno vino, poſteà de Albano, de Cæcubo, de Surrentino, & de Adriano, quæ omnia ſunt vina Romæ venalia à lo-

cis diuersis Romam asportata, neque admiratione afficiaris, Dioscoridē Romam profectum esse, quia miles fuit, & totum ferè orbem discedi gratia peragratus est, húcque suum librum in Arij Imperatoris gratiam scripsit, iccirco fieri non potuit quin Romæ fuerit. RENA. Audiui multos arbitratos esse Albanum vinum, esse album, quos deceptos esse puto. BRASS. Et maximè deceptos. nam Albanum dicitur ab agro Albano vocato, in quo erat Alba, longa ciuitas, nunc adsunt vrbis vestigia, & est ferè suburbium, adhúcq; extant Horatiorum ac Coriaciorum mausolea & sepulchra. At de Albano vino quid Dioscoridis tempore extaret, nobis non constat, impræsentiarum verò constat Albana vina quæ Romam afferuntur, alba esse, & nigra, & rubra, oligophora, quibus Romani nobiles æstiuo tempore vtuntur, ne iecur, ac artus potentioribus vinis inflammentur, fortè adsunt potentiora vina, ac dulcia, quæ Romam non afferuntur, sed ab ipsis accolis seruantur. A' Dioscoride igitur probè dictum est, Albanum dulce illud esse, quod ventrem emollit, ad aliorum differentiam quæ dulcia non sunt. RENA. Fortè & ætas vina immutat, vt omnia alia facit. BRASS. De Lesbio vino

ſcribit etiam Dioſcorides, quòd aluum emollit. R E N A. Ad nos nihil ſpectat, quia Lesbiis caremus vinis. B R A S. At hoc ſatis erit & nobis vtile Gal. contemplari, vbi de Lesbiis agit vinis, & qualitates conſiderare, quas illis attribuit, poſteà eiuſdẽ qualitatis vina apud nos inuenire, & aluum emollire iudicare. R E N A. Hæc eſt conueniens methodus, ſed Lesbio ipſo caremus. Putamus autem poſſe quidem ſimilia in nonnullis qualitatibus inueniri vina, ſed in qualitate illa, quæ tali ſolo, ac tali cælo propria eſt, nunquàm eadem erunt, neque ſimilia. B R A S S. De hac re diſſerendi impræſentiarum tempus non eſt, tamen dicimus & eiuſdem qualitatis ſolum in diuerſis locis inueniri poſſe. Verùm ad œnomeli accedamus, quod ventrem ſoluere dicitur, & ita eſſe experientia conſtat. R E. Ex ipſo nomine percipio compoſitum eſſe ex vino & melle. B R A S. Ex auſtero vino annoſo conficiebatur & melle. R E N A. Forte ſi dulce eſſet, magis emolliret, ac ſubduceret. B R A S. Ex vino autem dulci non fit, quia vinum dulce melle miſceri non eſt conſuetum, cùm ex ſe dulce ſit. R E N A. At cùm vinum auſterum ſit, videretur potius adſtrictoria vi debere eſſe præditum, quàm aperiente. B R A S S. Nota Dioſcoridem

dem in his vinis ex melle confectis differentiam facere in ætate, nam vult annosum ac inueteratum corpora augere, mediâ ætate aluum vrinásque soluere. REN. Quomodo temperatur hoc œnomeli? BRA. Duobus vini cadis, vno mellis adiuncto temperatur. RENA. Hæc ampla videtur mellis copia. BRAS. Hic est vnus conficiendi modus. Dioscorides addit, quidam vt compendium operæ faciant, cum vino mel decoquunt, deinde ita in fictiles lagenas diffundunt. Sequitur deinde, Alij parcentes impendio, in sextarios musti feruentis sextarium mellis adiiciunt, cùm deferbuit, decapulant, ita conditum dulcedinem continet. RENA. Iam quid œnomeli sit, cognosco, est antiquorum mulsum, quod apud ipsos in summo erat honore, nunc nec vsus adest, nec conficiendi modus scitur. BRAS. Ab his non scitur, qui conficere deberent, sed ab his prorsus scitur, qui authores legere valent. Palladius in mense Octobris cap. 17. œnomeli ita conficere docet. Mustum de maioribus & egregiis viribus post viginti dies quàm leuatũ fuerit ex lacu, quantum volueris sumis, & ei mellis non despumati optimi quintã partem prius tritam fortiter, donec albescit, admiscebis, & agitabis ex cãna radicata ve

hem

hementer, nobis autem sic per dies quadraginta continuos, vel quod est melius quinquaginta, ita vt cùm moueris, mundo linteo tegas, per quod facilè confectio æstuabunda suspiret, post dies autem quinquaginta munda manu purgas quodcunque supernatabit, & in vasculo gypso diligenter includis, & ad vetustatem reseruas: melius tamen, si in minora & picata vascula proximo Vere transfundas & gypsata diligenter operias, & in terrena & frigida cella recondas, vel arenis fluuialibus, vel eodem solo, vascula ex aliqua parte summergas. Hoc nulla vitiatur ætate, si tam diligenter effeceris. hoc est œnomeli à Palladio confectum. REN A. Nónne hoc est mulsum illud, quod aluum mollire dicit Plinius libro 22. cap. 24. si frigidum bibatur, & si calidum, sistere? BRAS. De hoc eodem dicit loco corpora augere, & multos senectam longam mulsi tantùm nutritu tolerauisse, neque alio vllo cibo, celebri Pollionis Romuli exemplo, quem centesimum annum excedentē, cùm Diuus Augustus hospes interrogaret, quánam ratione maximè vigorem illum animi, corporisq; custodisset, ille respondit, Intus mulso, foris oleo. REN. Si ita esset, vtilissimū fore arbitrarer, vt in vsum iterū

reuoc

reuocaretur,& illi mulsum biberent, qui diu viuere optarent, at ad quantam copiam bibendum est, si ventrem subducere debeat? BRAS. Ad sex vncias. nam satis est cyathum communem bibere, oxymeli verò si ad sex vncias semel, bis, aut ter insu matur, aluum quidem subducere potest, at ipsius longus vsus iuxta Hippocra. præcepta ramenta educit, hoc est intestina excoriat, & sanguinem subducit, rarò autem sumptum ventrem subducere potest, & crassa incidere, idem efficit scilliticum vinum, at vehementiori vti, nec tanta copia est insumenda. nam ipsius vncia satis est, cum vehementius ramenta efficiat. REN. Vinum etiam Tethalassomenon à Dioscoride ventrem subducere proditum est. BRAS. Ita asserit, & hoc est illud vinum, quod marinam aquam recepit, nonnulli illam statim à vindemia commiscent, alij prius vuas sole vrunt, ita inculcatis marinam indunt, quidam vuas passas demum in cadis mari perfundunt, deinde prælo subiiciunt, ita dulce perficientes. REN. Aquæ marinæ ratione subducere debet; BRAS. Ita esse non dubito, à Dioscoride notatur vina ex his generibus austeriora præberi in febribus, & vetrem subducere. RENA. Ac verbum istud à Dioscoride addit

ditur, si vehementiora desint. BRAS. Hoc addit, quia ad aluum emolliendam dulcia essent multo meliora. RENA. Et vinum quoque cathorchites, quod ab aliquibus scytites vocatur, est aluo facile. BRAS. Vinum hoc in Cypro conficitur, eodem quo palmeum modo, at eo carere melius est, cùm sit inutile stomacho, neque magni momenti res esset, illud habere, cùm Veneti singulis annis multas naues in Cyprũ mittant. REN. Verùm quidem est, si nunc fieret, quoniam ad illud conficiendum ars adhibebatur: nunc fortè illa non vtuntur arte. BRASS. Non ab re loqueris, iccirco vinum hoc impræsentiarum negligamus. RENA. Et præsertim, cùm tot meliora habeantur, quę bonam faciunt aluum. BRA. De reliquis vinorũ generibus, quæ ex herbis, floribus, radicibus, mineralibus, aromatibus, ac aliis similibus conficiuntur, easdem vires habere iudicato, quas simplicia habent, quæ compositionẽ ingrediuntur. RE. Vinum igitur absinthites bilem educet? BRASSA. Educere deberet, experientia verò percepi illa educere, quæ in viis continentur, ad sex vncias epotum. RENA. Propterea à Dioscoride non ab re dictum est, conuenire serò deiicientibus cibum, quia stercora excernere facit,

& superflua, quæ ex cibo decidūtur. BR A. Et si in viis, hoc est in intestinis adesset bilis, illam etiam educeret. RENAT. Non ambigo. BRA S. Fit & vinum ex salis flore, efficacius ad aluum purgandam, quàm marina aqua conditū. RENA. Id est, quod Dioscorides vocat Halosanthites. BRAS. Illud inquam est, tamen tot infert corpori incommoda, vt nunquam pro vno & minimo etiam commodo, illud confici voluerim. RENA. Iam quibus incommodis præditum sit noui, nam guttur lædit, renes & vesicas. BRASS. Et quod peius est, stomacho aduersatur, ob quam causam Dioscorides, & valentium & ægrotantium vsū illud damnat. RENAT. De illo igitur nec verbum dictum sit. BRASSAVO. De flore etiam æris nihil loquamur, quoniam & si crassā educat, tamen in his mineralibus si per os sumantur, nō multum fido, quia venena esse non dubito. RENA. Ad quantam copiā adhibetur? BRA. Dioscorides præbet ad quatuor obolos, at quādoq; in hac præbui copia, & neq; crassa, neq; tenuia eduxit. RE. Valet & ad aluū purgandam stomoma. BR. Valet quidem, sed minus efficax est, quàm æris squama. RE. Legitur & apud Dioscoridē buphtalmi radicem aluum subtrahere. BR. Nunquàm

quàm hoc legi apud Dioſcoridem. RENA. Ego autem legi. BRAS. In eo capite, in quo de buphtalmo agit, hoc ſcriptum non eſſe conſtat. RENAT. Si in Dioſcoride id inuenero, quid mihi erit muneris? BRAS. Nihil prorſus habeo quod tibi impartiri poſsim, nam omnia quę poſsideo, tua ſunt & tuorum fratrum, nam opes quas acquiſiui, pro me ipſo non paraui, ſed pro vobis: nolo tamen vt de me illud dicatur:

Sic vos non nobis vellera fertis oues.

Quoniam & ſi pro vobis diuitias aliquas parauerim atque acquiſiuerim, illis tamē pro commodo vti volo, & dum omnipotenti Deo placuerit, illis fruar, nam ipſe pro hoc modico tempore quo hîc immoraturus ſum, illas mihi mutuo tradidit, deinde cùm illi placuerit, vt ex his tenebris abeam, & in ſanctam Hieruſalem hoc eſt cæleſtem patriam aſcendam, has opes vobis mutuo relinquam, quoad & vos hinc abeūtes aliis relinquatis. Opus igitur erit te apud Dioſcoridem locum inuenire, in quo id ſcriptum eſt, abſque præmio. REN. At mihi ſatis erit præmij, locum indicaſſe. BRASS. Indicato igitur. REN. In calce octaui Dioſcoridis libri, decē & octo herbæ pertractantur, in quibus multa ab authore referuntur, & de effaſcinationibus, & de

& de Dæmoniis ac aliis similibus, quæ ad magiam spectare videntur. BRAS. Pars illa Dioscoridis minima est. RENA. Veruntamen in aliquibus Græcis codicibus illā inueneris. BRAS. Hoc nihil est, quoniā & Greci illi codices plus habent, quàm habere deberent, legi nonnunquàm hanc partem, sed vti apocripham despexi. Scio præterea quod dicit velli augente luna, & quando formidines, demonas, mala medicamenta, & defascinationes auerruncafsit. RENAT. Addit deinde pituitam dentium reficcare confestim, si quis protinus radicem mansam expuat, aluum trahit. BRA. An verò aluū trahat ignoro, sed adueniente æstate experiemur, cætera verò ab eo fieri nō posse, certi sumus. RENA. De crispa vocata brassica, & de capitata nondū locuti sumus. BRASS. De his idem iudiciū facito, quale superiùs de cōmuni brassica dictum est, vnde horum decoctum, & ipsæ herbæ in prima coctura ventrē emolliunt, & capitata brassica, quæ vulgò à nobis capuzzo dicitur, sale condita hoc efficacius peragit. RENA. Audiui & castaneas aluum citare. BRASS. Hoc est castanearum naturę penitus oppositum, cùm potius adstringant, & contra alui profluuia adhibeātur. Possent fortè ob duas can-

fas aluum commouere. Vna eſt,quādo ſumitur poſt cibum (vt ferè ſemper apud nos fit) quod vi ſua adſtrictoria comprimendo educat,vt rhabarbarū ac myrobalani efficere dicuntur ; ſed in hoc ſenſu cotonea,diacydonitis, cotoneorū gelu,meſpila , tricocci, pyra,& omnia acerba aluū ciere dici poſsint. Alter modus eſt,cùm caſtaneæ flatuoſæ ſint, magna flatus copia ſtercoribus commiſcetur, & ita eliqueſcunt, ac facilè excernuntur. Plinius hoc fatetur lib.23.cap.8.caſtaneas ſcilicet aluū ciere. RENA. Quas vulgò caratas vocamus, ceratia à cornu forma nuncupata,& ſiliquæ,nónne aluum ſubducunt? BRAS. Recentia aluum emollire nulli dubiū eſt, exiccata verò potiùs adſtringere iudicantur, nam lignum eſt in aliquibus locis parumper dulce , de quo & ſuperiùs locuti ſumus.dulce verò eſt , vbi quædam fructus pinguitudo adeſt, tamen ipſorum decoctum, etiam ſi exiccata ſint, ventrem,ratione dulcedinis qua inſignita ſunt,emollire poteſt. RENA. Eiuſdem dulcedinis ratione pectori conueniunt. BRAS. Et in pectoralibus decoctis inſerantur. RENA. Ad caſtaneas verò redeuntes, illæ quæ in dulci vino decoquuntur,nónne aluum vehementiùs emolliunt? BRASS. In genere

nere adstringunt potiùs castaneæ, nisi prędictis modis ventrem ciere intelligantur. Tamen id minus faciunt elixæ in vino, quia dulcedinis ratione magis emolliunt, vulgò cuchiaroli dicuntur. Vnde verò hoc nomen sortitæ sint, ignoro, nisi quia cochleari à vino, in quo ebullierint, extrahuntur, aptius nomen illæ habent, quæ in aqua coquuntur, eas enim balosas, ac si dicatur balanos elixas, vocamus, & quæ in ignis flamma coquuntur, brustulatæ nuncupantur, ac si dicatur, balani vstulatæ, hæ vstulatæ balani, & quæ sub cineribus coquuntur primò in scintillis vstulatæ magis adstringunt elixis, omnes tamen aluum emolliunt ob flatum, qui stercoribus miscetur, & illa ad minima partitur, ac liquefacit, vt faciliùs exire posśit. RENA. Fortè hac ratione inter cibos frequenter bibere aluum emollit. BRASS. Si ita sit, eadem erit ratio. RENA. Cur dicis, si ita sit? BRASSAV. Quia in mę ipso oppositum experior, & expertus iam sum, scis me post quatuor, aut quinque bolos dum prandeo, & cœno, modicè bibere, & hunc semper fuisse meum morem, tamen cùm essem iuuenis, non solùm non habebam lubricam aluum, sed erat valde adstricta. Nam singulis

solùm quatuor, aut quinque diebus excernebam. Ratio tamē dictat aluum mollem fieri oportere, quia crassa tenuibus miscētur, verum ne hoc quod dixisti absque authore esse putes, Plinius author est lib. 23. cap. 1. cùm ait, mollire aluum conducit inter cibos bibere. RENA. Legi & de cicercula, quòd bonam aluum facit, ac educit. BRASS. Tu iam diu expertus esse potes, quoniam in illis diebus, in quibus caro non editur, domi nostræ nonnunquā m in minutali fit. RENA. Scio me frequenter edisse, at non percepi, an aluum emolliret, an sisteret. BRASS. Idem efficit, quod alia eiusdē generis efficiunt legumina. REN. Legi & siccomorum bonam aluum facere. BRAS. Non est sicomorus arbor, quæ nunc passim Ferrariæ viret, & siccomorus vocatur, at cum de siccomoro hoc legisti, opus est intelligere fructum Aegyptiæ ficus, qui mediam habet naturā inter ficum & morum. RENA. Ita intelligebam, nam sciebam non esse sicomorum illum, qui passim sicomorus nuncupatur, veruntamen & ius hordei cum hordeo ipso sumptum, aluum emollire dicitur. BRAS. Est Hippoc. sententia in primo de ratione victus in morbis acutis, sectione 18. aluum emollire, quando hordeum maximè intumue

muerit, vnde & ptisana, & ptisanæ cremor idem efficere possunt, & si in aqua coquatur, & si albo Gale. iure, vel in quouis alio liquore, semper enim aluū emolliunt, scitóq; & ptisanā & ptisanæ cremorē magis emollire, ac subducere, si melle condiantur, imò & ius ipsum Gal. album per se solum ventrem emollire potest. RENA. Legitur de turture cartilagineo pisce, quòd aluum emolliat. BRAS. Ita legitur, at nūquàm expertus sum, nec piscem vidi, quod sciuerim, imò & idem iudicium fit de torpedine pisce, si in cibo sumatur. RENAT. Forte neque torpedinem vidisti. BRASS. Imò illam vidi Venetiis exiccatam, viuam tamen, & edi aptam nunquā vidi, sed Marcus Catarozus Cidoniēsis vir ingenio prçstans, ad me illam missurum spopondit, neque dubito tanti viri probitatē suis promissis esse defecturam, nunquam enim virum magis veracem illo expertus sum. RENA. Legitur & apud Plinium marrubium aluum soluere. BRASSAV. Verum quidem est, sed id facit cum sale, & aceto. RENAT. Quomodo bibitur cum sale & aceto? BRASSAV. Decoctum in aqua ex sale & aceto, posteà decoctum bibatur, quod amarissimum est, sumenda verò est illius decocti cōmunis patera, posset etiam

edi in acetario ex zuccaro, ſed eſſet amariſsimū acetarium. Vel Plinius intelligit decoctum quoddam bibendū eſſe ex marrubij ſucco, quod ita cōfici docet: accipiatur ſuccorū marrubij & fœniculi ad ſextarios ternos, & coquatur ad ſextarios duos, poſteà additur mellis ſextarium vnum, & rurſus decoquitur ad ſextarios duos. Pro tuſsi exhibet bibendū ex hoc ad cochlearij menſuram in aquæ cyatho, & pro aluo ſoluenda erit hoc modo parandum, vt tres drachmæ ſucci marrubij recipiantur, ſalis ſcrupulus vnus, aceti vnciæ duæ. Ita aluum penitus ſubducet, quiſpiam verò poſſet illud exiccatum, & in puluerem redactum hoc modo bibere:

℞. Marrubij pulueriʒati ʒ ij.
Salis ℈ ß.

Aceti quantum ſufficit, vt in eo puluis diſſolui poſsit, ac bibi. RENA. Erit amariſſimus potus. BRASS. Non dubito, ſed qui ęgrotat labores omnes ſubire debet, vt ſanitati reſtituatur. RENA. Vidi mulierculas quaſpiam, quæ ex paſta, & marrubio placentulas ſibi cōficiunt, & paſtillos, quos ex oleo in ſartagine frigunt, ac comedunt, eas verò non interrogaui, ob quem finem id facerent. BRASS. His vtuntur placentulis, quādo vterinis moleſtantur, & ſimul iecur

iecur compatitur, & adſit obſtructio, hiſq; muliercũlis aluum ſoluitur ex illis placentulis, quandoque abſinthium cum marrubio ſimul miſcent, & eodem modo conformant. RENAT. Ob hoc non efficiuntur magis amaræ. BRASSA. Lychnum ſylueſtrem aluum ſoluere Plinius teſtatur. REN. Docétne ſumendi modum? BRAS. Minimè, ſed id his omnibus modis efficere poteſt, in decocto, in puluerem redacta, in catapotia, in placentulas, in ientacula. RENAT. Ad quantam copiam præberi debet? BRASSA. Ad duas drachmas, ſi in ſubſtantia ſumatur, enimverò in decocto ad quatuor vncias. RENAT. At ad hoc propoſitum non erant adducenda hæc verba, quia ſequitur Plinius ad detrahendam bilẽ efficaciſsima duabus drachmis. BRASSA. Si verò vna ſola drachma inſumatur, aluum ſoluit, & bilem non educet, niſi eſſet in inteſtinis, & in viis, per quas tranſit. RENA. Idem dici poſſet de vnoquoque medicamento, videlicet ſi in pauca ſumatur copia, quòd aluum ſoluit, & proprium humorem non educit, niſi in viis ſit. BRAS. Et Batis etiam aluũ emollire à Plinio dicitur, libr. 21. cap. 27. REN. Fortè ſi eodẽ ſumatur modo, vt de lychnide dictum eſt. BRASSA. Eiſdem præciſè

modis, & in eadem mensura. mirum videtur de lapathi partibus, quoniã Plinio teste radix eius in vino decocta aluum sistit, folia verò soluunt. RENA. Quomodo accipitur, & in quanta copia? BRAS. Edi potest in minutali, & eius decoctum bibi, potéstque in vino decoqui, & vinum bibi, ac ipsa folia edi, & in aqua coqui ex oleo & sale, & manducari. RENA. Non miror de hac pugna in partibus quas dixisti, quia radices sub terra iacent, folia autem ad solem extenduntur, itaq; diuersas vires contrahere possunt, diuersæ vnius herbæ partes. BRASSA. Si decoctum vino bibatur, communis cyathus insumi debet, si verò minutal fiat, cõmunis patera edatur. RENA. De heliotropio Plinius mentionẽ facit lib. 22. cap. 21. & in lacte iucundius aluum emolliri dicit, & si decocti succus bibatur, efficacissimè exinaniri. BRAS. Nõ mihi probè constat, quid sit apud Plinium heliotropium, nam Dioscoridis cicus esse non videtur, è quo cicinum oleum conficitur, quia cicus crescit ad arbusculæ similitudinem. RENA. In nostro viridario ad sex cubitos, & etiam altiùs creuit. BRAS. Tamen Plinius duo ipsius refert genera, tricoccum, & heliotropium, & dicit vtrũque semipedalem altitudinem non excedere,

cedere, additque ab vna radice ramosum, quod Dioscoridis cico haud cōuenit, nam caulem altum habet antequam se expandat in ramos, & è ramis folia prodeant. RENA. Cur genus vnum tricoccum appellatur? BRASSA. A tribus granis quæ in vno folliculo continentur. RENA. Igitur erit Dioscoridis cicos cum tria habeat in vnoquoq; globulo grana. BRASSA. Hoc minimè sequitur, quia multæ herbæ tria habent in vno globulo grana, frutéxque adest tricoccus nuncupatus à tribus seminibus, quæ in fructu continentur, éstque in mespilorum genere, & genus illud lactariæ herbæ, quæ vulgò catapucia vocatur, tria complectitur in vno folliculo semina. RENA. Nullum aliud præter hoc signum inuenire possum, quo dici posset, Plinij heliotropiū esse Dioscoridis cicum. BRASSAVO. Imò differre, & hoc quoque ostendit, quia ait cum sole se circum agere etiam nubilo die, tantus syderis amor est, noctu veluti desiderio contrahit cæruleum florem, at neque interdiu neque noctu in Dioscoridis cici flore cæruleus color non contrahitur, at semper eodem modo eodémque colore nitet. RENATVS. Nescis igitur quid sit Plinij heliotropiū? BRASSAVO. Nondum valui honc Plinij

heliotropium. BRASSA. Nondum valui hoc Plinij heliotropium inuenire, & si esset Dioscoridis cicos, de illo essemus deinceps pertractaturi, cum de his verba faciemus, quæ bilem & pituitam subducũt, hos etenim humores Dioscoridis cicus educit. RENA. Hoc igitur heliotropium dimittamus, si non sit Dioscoridis cicus, cùm multa alia extent notissima, quæ aluum emollire possunt. BRAS. Neq; hoc prætermittam Dioscoridis cicum aluum vehementer educere, at Plinij heliotropium in lacte iucundius aluũ emollire, sed de re alia agamus. Herba, quã Plinius Thesium vocat lib. 22. cap. 22. quam dicit aluum purgare, & esse amaram. Poterit verò omni modo præberi quo & olera, & poterit etiã exiccari, & in puluerem reduci, posteà in catapotia conformari, vel in iure sumi, aut alio liquore ad drachmas duas. REN. Heliotropiũ ad quantã copiam præberi deberet? BR. Cùm herbã ignorem, ignoro etiã in quanta copia præberi debeat, at cõiector non minori semiunciæ, quia cũ lacte præbet Plinius, & iucundè aluũ emollit, licet posteà sequatur, quod efficacissimè exinanit, si decocti succus bibatur. De succo verò duæ drachmæ insumi poterunt, hæc verò te vti certa accipere nolo, sed potiùs pro cõ-

iectu

iectura dicta, & quæ etiam rationi certę inhærent. Nam cùm de re aliqua nonnihil certò affero, tunc ita esse & me expertum esse intelligito. RENA. De Plinio miror, qui cum de syluestri cicere lib. 22. ca. 25. loquatur, dicat, si largius sumatur, aluum soluere: cùm hoc in omni ciborum genere etiam optimo verum sit, videlicet si largius sumatur, quòd aluum soluit. Nam in tanta copia confici non potest. Cùm verò confici non possit, ventrem perturbat, & crudus exit, vel parum immutatus. BRASSA. Planum est subductionem istam esse per modum symptomatis. At si id, quod insumitur, flatuosum sit, illud potest plenius efficere, quàm illa, quæ flatuosa non sunt. Vnde non ab re Plinius sequitur & inflatio cõtrahitur, & tormina. RENA. Quomodo accipitur? BRAS. In minutali, notat verò Plinius, quòd tostum salubrius habetur. nam cùm torretur, partes multæ flatuosæ abeunt, veruntamen & satiuum cicer abundantius insumptum idem efficere non dubitamus, imò & quicunque alter cibus, qui in tanta sumatur copia, vt confici non possit, ac ventrem turbet, idem efficiet, nam liquida exeunt, quæ insumpta sunt, & parum immutata. RENA. Omnia alia edulia hoc efficere possunt,

præ-

præter oua dura, quæ Rochum Franciscanum interfecere, illa etenim & si confici non potuerint, tamen neque aluum commouere. BRASSA. Nonnunquàm aliqua contingunt, quando homo moriturus est, quæ aliàs minimè contingunt. Plinius insuper labruscæ radicem in aqua decoctam, & in vini Coi cyathis duobus potam, humorem per aluum ciere dicit. REN. Aquas educere (vt superius dictum est) arbitrabar. BRASSA. Et aquas educit, quæ in ventre continentur, propterea à Plinio scriptum est, humorem alui ciere, iccirco hydropicis adhibetur. RENA. Quomodo radix illa in aqua priùs decocta, in vino bibi potest? BRAS. Pinsitur radix hæc bene cocta, vt liquefiat, ita enim in vino bibi posse facile erit. RENA. At Coum vinum habere non poterimus. BRASSAVO. Creticum vinum illius loco sufficiet. RENAT. Si ligneæ sunt illæ radices, quomodo coquentur? BRAS. Ex illis quæ magis tenellæ sunt, accipiuntur, adde antequàm coquantur, in puluerem redigi posse, & deinceps coqui. vel & si ligneæ sint, possunt in aqua decoqui, posteà exiccari, & in puluerem redigi, ac in vino bibi. Illa prima ebullitio in aqua aliquid aufert, quod euacuationem impediret. REN. In quanta copia

præb

præbes hanc radicem? BR. Ad duas drachmas præbenda est, vsque ad quatuor, neq; error esset, si ad sex vsque drachmas perueniretur. Legitur & apud eundem Plinium lib. 23. cap. 4. de œnanthino oleo, quod aluum soluit, heminæ mensura cum vino & calida aqua potum aut ptisanæ succo. RE. Hoc præter rem videtur, & sordidum vinum & aquam cum hoc oleo bibere. BR. Non est præter rem, neque sordidum, sed vinum diluitur, & cum hoc oleo bibitur, tamē facilius est ex ptisana accipere, nam cum vino nauseam commouet. REN. Illa intelligenda videtur aut de omni oleo, aut de omphacino. BRA. Tamen experientia ostendit idem facere œnanthinum, efficaciúsque educere. RENA. Ex quibus conficitur œnanthinum oleum? BRASSAV. Ex labruscæ floribus. RENAT. Efficacius igitur educere non dubito. BRASS. Imò & idem efficit, si solum absque aqua, vino & ptisana bibatur. RE. De elæomeli etiā eodem loco dicit Plinius aluum emollire. BRASS. De hoc impræsentiarum agendum non est, quia addit bilem præcipuè detrahere, duobus cyathis in hemina aquę dulcis vt superius dictum est. REN. Elæomeli in Syria ex his oleis manat, sapore melleo, non sine nausea. BRAS. Et ficuum

lac à Plinio aluum soluere dicitur, eodem 23.lib.cap.7. RENAT. Quomodo insumitur ficuum lac? BRASSA. Accipitur ante ficus maturitatem,& in vmbra exiccatur. REN. Et quomodo insumatur, & in quanta etiam copia? BRAS. De sumendi modis si petas, dicimus posse in catapotia cõformari, in iure bibi,& in dulci aqua, posse in eclegma sumi ex zucaro rosaceo, posse in placentulas ex pasta conformari, & ientaculis misceri. De quantitate verò insumenda, cùm vim habeat adurentem in modica copia insumendum est, at à scrupulo vno vsque ad drachmam, notáq; sem per alicui rei esse miscendum, ne os dum insumitur, adurat. RENA. Et eodem loco de caprifici lacte etiam dicit, quòd aluum soluit. Sed an in eadem copia id efficiat, vt de ficus lacte dictũ est, ambigo. BRASSA. Imò in eadem quantitate, vehementiúsque est caprificum lac, quàm ficus esculentæ, vnde in minori copia caprifici lac exhiberi poterit, quàm esculentæ ficus. REN. Non vtar, nisi coactus ad aluum educendum his ficuum lactibus. De cerasis, quòd aluum emolliant, manifestissimum est, præsertim dulcia cerasa, quia acerba & austera adstringant, nisi in tanta sumantur copia, quòd ventriculum relaxent, &

per

per viam symptomatis educant, quia confici non possunt, à Plinióq; eodem loco notatur, si quis matutino rosida deuoret cum suis nucleis, in tantum leuari aluum, vt pedes morbo liberentur. Idem efficit & ipsarum succus, de daphnoide etiam siue syluestri lauro. Hoc dicit Plinius, quòd aluũ soluit. RENA. Quomodo sumitur? BRASSA. In decocto sumi potest, in puluere, in catapotiis, & in eclegmate deglutiendo. RENA. Plinius lib. 24. cap. 6. de styrace dicit, quòd appositus aluum mollit, at cui appositus? BRAS. Ventri, vt si extendatur supra corium, vel supra linteum, & ventri supraponatur. RENA. Eodem quoque loco spondylion emollire dicit. BRASS. Nota etiam, si styrax ad tres drachmas per os insumatur aluum emollire, & idem est de spondylio iudicium, & per extrinseca applicatum, & per intrinseca insumptum aluum scilicet emollire. RENAT. Picem quoque aluum soluere dicit, eodem libro cap. 7. At de qua intelligit pice? BRASS. Cùm simpliciter pix dicitur, de nauali intelligitur, nota verò id effecturã esse si eam plastri modo supra ventrẽ extẽdatur, vel si per os ad vnciam sumatur. RENA. Quomodo per os sumi potest? BR. Facillimè si zucaro inuoluatur, tũc enim casiæ bolus videb

videbitur. RENAT. Si verò ita displicuerit, in ientaculum poni poterit ac deglutiri. BRAS. Nonnunquam iussi vt quispiã in iure acciperet, ius absorpsit, sibiq; haud displicuisse retulit, hócq; planum est, tam in spissata pice, quàm in liquida, & pissełæon idem efficere posse non dubitamus. RENA. Et meliùs fortè, quàm pix. BRA. Et palimpissa, quæ iterum decocta est, eũdem effectum præstabit, & pissasphaltum idem efficere non dubitamus. RENA. Plinius eodem lib. refert cap. 8. interiorem sambuci corticem tritam, & vino albo potam, ventrem soluere. BRA. Imò & soluit si in iure coquatur iúsque bibatur, & si in puluerem reddatur, & in catapotia conformetur, aut alio quouis modo ad duas drachmas accipiatur. REN. Quid intelligit per inferiorem corticem? BRAS. Sambucus primùm habet corticem, qui albicat, si auferatur, cortex quidã tenuis subest, qui viridis est, hic est cortex ille, de quo Plinius intellexit, cùm de interiori sambuci cortice verba fecit. Eodem etiam loco de teneris minoris sambuci caulibus dicit, quòd in patinis cocti aluum soluũt. REN. De his locuti sumus in aquam educentibus medicamentis, & cùm de interiori sambuci cortice loquitur, de vtriusque

samb

ſambuci cortice intelligit. BRAS. Plinij verba illud oſtendunt. RE. In nono eiuſdem libri cap. inquit agni vel agnicaſti ſemen cum pulegio & melle coctum, aluum purgare. BRAS. Opus eſt ſemina in aqua decoquere, & decoctum bibere, vt ita fiat.

℞. Seminum agni caſti ℥ j.
Mellis ℥ j.
Pulegij ℥ iiij.

Miſc. & bulliant in aquæ vncias duodecim ad cōſumptionem medietatis, vt mel ſit probè expumatum, poſteà bene exprimatur, ac bibatur. Tunc enim aluum purgabit, & quæ in viis ſunt educet. Arbitror verò idem effecturum ſemen ipſum abſque melle, & pulegio, ab eodem Plinio dicitur lib. 24. cap. x. ſmilacis clematitis ſemen aluum ſoluere acetabuli menſura in aquæ hemina, aut in aqua mulſa. Poſteà ſequitur dari ex eadem cauſa & decoctum eius. REN. Hæc verba oſtendere videntur, quòd abſq; decoctione, primò in aqua vel in mulſa præbebat. BR. Quid ſi hoc quod de decoctiōe dicit, de herba ipſa intelligeret & non de ſemine? RE. Quid putas tu? BRAS. Ita intelligi poſſe, nam & herba ventrem ſoluit decocta, idque efficit, tam ſeminis decoctum, quàm herbæ, imò tenel li cauliculi ſi coquantur, & acetarij modo

ex sale, oleo, & aceto condiantur, ac edantur, aluum subducunt. RE. Nónne intelligis per smilacem, clematida illam, quæ supra arbores repit geniculatam? BRAS. Illam intelligo, sed in Ferrariensi agro sponte non prouenit, in Campania illam sponte nascentem vidi, & in decliuiori quodam loco apud Sermonetam, túncque quid esset ignorabam, nunc Ferrariæ in hortis passim habetur, & Ferrarienses mulieres semen decoctum libenter edūt. REN. Mirum mihi videtur, cùm à Plinio cap. 21. eiusdem libri scriptum sit Rhu, quę erythros vocatur semen, vim habere adstringendi & refrigerandi, & aspergi pro sale obsoniis. BRASS. Est rhus obsoniorum, vulgò dicitur sumachium. RE. Posteà sequitur, Aluos soluit. at quomodo soluere potest, si adstringit ac refrigerat? BR. Id non facit determinatè & ex propria natura, quæ exoluat, vel emolliat, sed id comprimendo facit, nam superiores intestinorum partes adstringendo inferiores dilatat, atque aperit, ac si esset manus, quæ intestinum in inferiori parte comprimeret, & ea, quæ in illis continentur ad vltimam partem comprimerentur, vt mulieres faciunt, quæ farcimina, tuceta, & sanguiculos parant. RENA. Cùm de smila-

ce clematide facta sit mentio, memini me legisse apud Plinium eodem lib.cap.15.de alia clematide prope capitis finem, quam aliqui vocant echitem, alij laginem, nonnulli tenuem scammoniam. BRA. Est illa, quæ ramos habet pedales, foliosos, non dissimiles scammoniæ, nisi quòd nigriora minoráque sunt folia, in vinetis inuenitur atque aruis. REN A. Illa inquam est, de qua Plinius dicit, quòd estur vt rhus ex oleo, & sale, aluúmque ciet. BRASS. Non sum adhuc expertus, necdum bene cognoui. At aron cognosco, & expertus sum. RE. Et quis non cognoscit? BRA. Ille, qui non didicit. RE. De his loquor, qui circa simplicia medicamenta versantur. BRASS. Notat Plinius cap.16. eiusdem libri ipsius folia aluum inanire ex sale, & aceto sumpta, imò si cruda edantur oleum addimus, verùm decocta etiam in minutali ex sale & oleo idē efficiūt, scito verò acria esse eiusmodi folia, propterea præstat, vt coquātur, ita enim minus acria redduntur, & sine aliquo vel modico acredinis sensu in ore sentiuntur, tamen & Ari radix decocta & ex melle esitata bonam aluum facit, quandoq; folia masticaui, mihi linguam accendêre, tamen commorsio non est diu immorata in ore, & lingua, cum aliis de-

deinde præbere volui, ex oleo & sale semper coqui iussi, & nonnunquàm aceti modicum addi præcepi, decoctas verò radices nonnunquàm ex sale & melle edi iussi, nonnunquàm ex sale & pipere, nec edentibus displicuêre, bonámque aluum fecere. RENA. Quid est, bonam aluum facere? BRASSA. Est retardantem aluum ad eiiciendum excitare atque accommodare, vt post coctionem exeant excrementa, & diutius in intestinis haud immorentur. RENA. Cognoscísne Alypon? BRASSA. Quidni? cauliculus est, Plinio teste lib. 27. cap. 4. molli capite, non dissimilis betæ, acris gustatu, ac lentus, mordénsque vehementer, & accendens. RENA. Ita profectò dicit author, sed ad oculum non vidi alypon. BRASS. Curabo, vt quandoque videas. RENA. De eo Plinius dicit, quòd aluum soluit, in aqua mulsa, addito sale modico. BRAS. At Plinius plura addit, quàm in aliis faciat simplicibus, nimirum ait minimam portionem esse duarum drachmarum, mediam quatuor, maximam sex, ea purgatione, quibus datur è gallinaceo iure. RENA. Ergo & in iure gallinaceo decoqui potest? BR. Imo nisi decoqueretur, linguam accenderet, & magnam caliditatis impressionẽ inferret, editur modo oleris

in iure vel in aqua mulſa, tamē & ſatis eſt in aqua coquere ex oleo & ſale, poſſet præterea in puluerem redigi, & ex mulſa exſorberi, vel in iure gallinaceo, & poſſet in catapotia redactum tranſglutiri, poſteà mulſam bibere, vel gallinaceum ius. De calla nunc agamus, de qua Plinius lib. 27. capite 8. dicit eius radicem bibi ad aluos exinaniendas. RENA. Opus eſt, vt ſit exiccata, vel ſaltē vt pinſetur, poſteà cuipiam liquori miſceatur, vt bibi poſſit. BRASS. His modis ſumi poteſt, ſed ex iure, vel ex mulſa bibitur. RENA. Ad quantam cōpiam? BRAS. Ad drachmas duas. RENA. De glycyſide cap. 10. eiuſdem libri Plinius ait, quòd eius radix ex vino aluum purgat, at quomodo ſumenda eſt? BRASS. In puluerē redacta, & in vino ad duas drachmas pota, veruntamen & eodem loco dicitur, hypophæſti radicis ſuccum æſtate colligi ad ſoluendam aluum, tribus obolis maximè in comitialibus morbis, & tremulis, hydropicis. REN. Et polygoni ſemina à nonnullis aluum ſoluere dicuntur. BRAS. Legi apud Dioſcoridē & Gal. adſtringere. RENA. Nónne polygonō eſt herba illa, quæ vulgò corregiola vocatur? BRAS. Illa inquam. RENA. Cur ergo hi dicunt aluum ſubducere? arbitrabar ego

esse adstringentis naturæ. BRAS. Et ita esse illud ostendit, quia profluuium sanguinis narium supprimit ipsius succus, at hos deceptos esse in alia herba nominis similitudine putandum est. RENA. In qua herba? BRA. In polygonato, de hac enim Plinius lib. 27. cap. 11. agens inquit, polygonati semina aluū soluere largiùs sumpta. Non est verò magna in his nominibus differentia, polygonon, & polygonatum. RE. Quid intelligendum est per largius sumptum? BRA. Vt ad vnciam saltem sumatur in puluere redacta, & in aliquo liquore, vel in mulsa pota. REN. Nónne polygonaton herba est, quæ vulgò fraxinellla vocatur? BRA. Illa est, & quæ etiam genicularis dicitur, qua nonnūquàm rusticæ mulieres fucantur. RENAT. Dioscorides, & Galen. adstrictionem quandam illi attribuunt. BR. Imò & aliquam frigiditatem, sed partes habet etiam non mediocriter calidas, ob insuauem amaritudinē, & acredinem, verùm & si frigida esset, frigida & adstringentia aluum comprimendo subducunt, præsertim si largius insumantur, eiusdem verò semina largiùs sumi debēt, vt Plinius testatur, quanquam etiam fieri posset, vt semen educeret, & ipsius herba adstringeret, quamuis credere non potuerim

rim,vel vix credere, ex calido, semine frigidam herbam posse prodire,licet non negarim in elemētari compositione,maiorē adesse in semine caliditatem,quàm in herba,vel saltem in illo caliditatē adesse herbæ formatiuam,licet & in herba ipsa adsit vis seminis formatiua. RE. Hoc igitur de polygonato intelligamus,quòd subducit, & non de polygono. BRAS. Ita coniector, quia polygoni semina minimè educunt. REN. Plinius libro 32. cap. 6. ait,ostreas ventrem leniter mollire, at non explicat quo modo sumptæ id faciant. BRA. Superiùs de testaceis locuti sumus, sub quibus & ostreæ complectebantur:nam sub conchyliorum & testaceorum nomen veniūt: in genere verò huius generis omnia si primò lauentur,posteà in aqua ebulliant ex oleo & sale,vel ex oleo solo,quia salē secū gerunt,& horū ius bibatur, vētrē emollit, & leniter quandoq; anethum additur, sed nostri,petroselino potiùs,quā anetho vtūtur,quia gustui magis placet. Porrū preter eā addimus, vel cæpas cum cinnamomo, vt Gal. iuri albo assimilari videatur. REN. Imò erit ius album, quanuis nonnulla addantur vel minuantur:quoniam neq; Gal. eodem semper modo conficiebat,& ius album ventrem sponte emollit. BRA. Iam
 dict

dictum est, propterea hoc ostrearum ius magis emollit, cùm & caro ipsarum mansa aluum emolliat. RENA. Quot ostrearum caro id efficere potest? BRASS. Ventrem emolliri non puto, si minus viginti edantur. Vnum verò est, quod in nostro cõsueto sumendi modo ostreas non parum facit ad subductionẽ. RENA. Quódnam? BRASS. Piper, solent enim ex pipere edi ostrea, nimirum à sua eximitur concha & pipere aspergitur, postea masticatur. RE. Nonne & piper ipsum ventrem subducit? BRAS. Si parcè edatur id facit, in maiore verò copia vrinam prouocat. Extat de hac re apud Aristo. problema libro 1. problemate 44. RENA. Aristo. verba adducito. BRAS. Hæc sunt, Cur piper si largè sumatur, vesicam soluet: si parcè, aluum? è contrario scammonea, si largè sumatur, aluum soluet: si parcè, & quæ vetus est, vesicam? an quia singula magis à singulis mouentur, piper enim magis vrinam ciet, scammonea aluum, itaque si piper sumptum copiosius est, ad vesicam defertur, nec in aluum diffunditur: sed si exiguum ceperis, rectum id aluum soluit, atque ita medicamentum eius existet: scammonea verò, quæ data copiosius est, retinetur vt resoluatur. resoluta jam medicamentum
effic

efficit, ob causam, quam superius proposuimus. At si exigua vna cum epoto humore per inuisibiles meatus imbibitur, ac celeriùs antè, quàm perturbet in vesicam defertur, qua pro sua facultate recremēta col liquamentáq; residentia per summa abducit, sed illa multa, vt dictum est, quòd diu ex virium soliditate permanserit, largè expurgat, sordésque terrenas potissimùm detrahit. hæc Aristo. REN. Nescio an hoc referendum sit, quod dicam, an potius silendum. BRAS. Referto, ni pigeat. RENA. A' Plinio scriptum est, cameli caudam arefactam ventrem soluere. BRASS. An verum sit, an falsum prorsus ignoro, cùm expertus non sim, neq; tot sunt apud nos cameli, vt pro vno sumendo experimēto interfici debeant, illi verò, qui apud nos sponte moriuntur, non sunt pro medicamento sumendi. REN. Quid intelligit authior per exiccatam caudam, per pilósve caudæ? BR. Carnem intelligo, quæ in caudā est, & non pilos, neque ossa, arbitrórq; in magna copia esse accipienda, si educere debeat, quia in parua copia hoc minimè efficiet, aliud verò ab eodē authore in eodem loco scriptū est. si lib. 28. cap. 8. quod ventrem ciere posse nō dubito, sed obscœnum videtur, nēpe & inhumanum, feri-

númq; potius ac barbarum. REN. Quódnam est hoc tam tetrum? BRASSA. Cameli vrinam bibere. REN. De cameli vrina non dubitarem, quòd educeret, sed de cauda potiùs, nam & humana vrina vẽtrem cit. BRASSA. Quomodo percepisti humanam vrinam subducere? RENA. Præter id, quod ab authoribus scriptum est, & præter acredinem, quam habet, quæ intestina stimulare posset, & præter salsedinem mulierculas vidi, quæ pro lienis duritie illam bibebant, & ex illius potu aluus prouocata est, cùm aliôqui essent adstrictæ aluus. BRAS. Hoc non est mediocre signum, quòd educat, at hoc de cameli vrina præ omnibus turpe est, quod barbari eam seruant quinquẽnio, & heminis pota ciet aluum. RENA. Putridam esse arbitror, ac fœtulentam. BRASS. Ambigendum non est, at cùm præsidium sit à barbaris seruatum, illud etiam barbaris ipsis relinquamus, quãquàm facillimum nobis esset cameli vrinã habere: præsertim cùm nonnunquàm in Illustriss. Ducis nostri stabulo cameli nutriantur. RENA. Ne huic vrinæ mentẽ adhibeamus, præsertim cùm infinita adsint ad hoc negotium exequendum potiora. BRAS. Plinius lib. 32. cap. 9. multa in vnum cumulum enumerat, quæ aluum

aluum emollire possunt, vt sunt, silurus è iure, & torpedo in cibo, de quibus superiùs mētio facta est, & de marino olere satiuo simile est, quod stomacho inimicum est, & aluum facillimè purgat. REN. Si de eo olere intelligat, quod ego circa maritima nasci vidi, est valde acre. BRAS. Iccirco à Plinio dicitur ob acrimoniam cū pingui carne coqui, & omnium piscium ius idem efficit, optimum verò ad hoc præstādum (vt etiam superiùs annotatum est) ius fit è scorpionibus, & Iulide, & saxatilibus, nec virus resipientibus. REN. Fitne simpliciter ius hoc ex piscibus? BRASSA. Plinius ex quibus fiat eodem loco ostendit, inquiens, Coqui debet cum anetho, apio, coriandro, porro, additis oleo, & sale, sed & ius, quod ex myacibus conficitur, aluum & vesicas exinanit, imò & de peloridibus, quod aluū emolliant fatetur, item castoreum ex aqua mulsa drachmis binis. RENA. Et de sepiis dicit, quòd aluū emolliunt. BRASS. De eorum atramento superiùs locuti sumus, de ipsis verò si aluum emollire debeant, opus est vt in cibo præbeantur, ex oleo, & sale, & farina decoctæ. REN. Vnū quoq; à Plinio ad ventrē emolliendum eodem loco docetur, si extrinsecus adhibeatur. Est verò hoc, menæ salsę

cum

cum felle taurino vmbilico illitæ. BRAS. Et menas ipsas recentes superiùs ventrem emollire diximus. BRA. At sum tibi edocturus aureum medicamentum. RENA. Est'ne tam præcipuum, ac pretiosum, vt aureum dici mereatur? BRA. En si præcipuum sit, cùm sit ipsum aurum. RENAT. Insumitúrne per os aurum? BRA. Audias, & modum percipies quo aluum subducit. REN. Iam audio, & attentis auribus. BR. Plinius lib. 33. cap. 4. de auro agit, & in capitis calce ait, ex melle verò decoctũ cum melanthio & illitum vmbilico leuiter, soluit aluum. RENA. Nescio an id crediderim. BRAS. Experiaris potius, nam nihil inde amittitur auri, & si diu in melle ebullierit, vel in alio liquore. RENA. Audiui te nonnunquàm arguentem auri ebullitiones in iure, vel in his quæ dicunt deperditas vires reficere. BRA. Et illum ebulliendi modum semper arguam, tum quia ex aureis numis nihil accipitur auri, cũ ebulliant, tum quia sola manuum sordes, quæ numis inhęret dum tractantur, illa est, quę per ebullitionem aufertur, tum quia aurum, argentum & cætera metalla quandam veneni naturam sapiunt. REN. Hoc experiri volo. BRASS. Hoc & breui, & facilè assequi poteris, nam mater tua aurum

obrizum tibi præstabit. R E N. Ego à te accipere volo. B R A. An nescis & me neque numulum habere, nisi ab illa petierim? R E N A. Iube vt præbeat, tunc enim facilè præbebit. B R A S S. Iubeo cùm tibi lubuerit, & ad rem nostram redeuntes, idem author lib. 29. cap. 4. de gallinaceorum cerebello agens monet ipsius ius potum aluũ soluere. R E N. Multis indigebimus ad hoc peragendum cerebellis. B R A. Sex erunt satis, debet verò ius fieri ex oleo & sale in aqua, ego quandoque in aliis aliorum animalium cerebellis petroselinum apponi iubeo, & aromata, deinde ius bibi, de gallinaceis non sum expertus, sed statim experiar, cùm Illustrissi. Ducis nostri filius quispiam alui emollitione indigebit. R E. At ego in me ipso experiri volo. B R A S S. Hoc non dixi, vt experimenti difficultatem ostenderem, sed potiùs vt huic tam nobili adolescẽtulo rem facillimam præberem, quæ medicamentosa non sit. Nam ego præ deliciis minutal ederem ex gallinaceorum cerebellis, oleo, & sale, & petroselini foliis conditum, neque in tam nobilibus Principibus ambigua sumerem experimenta, neque in aliquo alio nisi illius simplicis medicamenti, de quo periculum essem facturus, iam mihi per

man

manifesta indicia notum esset, quoniam de humana vita temerè ludendum non est, etiam si miserrimi sit hominis vita, imò si nonnunquàm de re ignota sum experimentum facturus, illud in scelerato homine exerceo, ad præsentaneam mortem à prætore condemnato. RENA. Scio te in capite mulctandis multa fecisse experimenta. BRASSA. Et talia, vt quandoque illos à capitali pœna liberauerim. RENAT. Ita faciendum esse arbitror, tentare inquam, an misero illi succurri possit omnium aliorum vitas adiuuando. Nam si intereat, nihil dispendij est: quia & eodem die, cum magno pudore ac dedecore in spectaculum detruncandus erat: si superuiuat, vt plerunque nonnulli fecêre, emendatus mala amplius non perpetrabit, & per aliquod tempus adhuc superuiuit,& experimentum sumptum est, quod omnibus hominibus prodesse poterit, & quod probis viris vitam nonnunquàm seruaturum ac prorogaturum erit. BRASS. At hoc gallinaceorum cerebella edere (vt ad propositum redeamus) & ius bibere, non est inter dubia experiméta numerādum, sed inter suauia edulia, quo experiemur, an aluū soluat, ac emolliat. Veruntamen & salis florem aluum soluere in

vino & aqua sumptũ, testatur Plinius lib. 31. cap. 7. RE. In quanta copia? BR. Ad duas drachmas. REN A. Meministi superius de vino ex flore salis nos esse locutos. BRA. Sed & in iure potus, idem efficere potest. RENAT. De hoc minimè sum anceps. BRAS. Plinius etiam lib. 20. cap. 4. hibisci folia ex aqua pota aluum soluere testatur. REN. Fortè in puluerem sunt redigenda. BRASS. Et in iure sumenda, & decoquenda, imò & radices idem efficere non dubitamus, percoctæ & ex melle esitatæ, & in eclegma redactæ, & eorum decocto epoto. REN A. Eodem etiam lib. cap. 7. ait lactucæ syluestris succum aluum purgare in posca potum, ad duos obolos. BRAS. De ea locuti sumus, cùm de his, quæ aquã subducunt verba fecimus. Lapsana genus oleris est, de qua capite 9. eiusdem libri dicit, quòd aluum leniter mollit. RENA. Et ventrem leniter mollire dixit asparagos cap. 10. BRAS. Imò & idem efficere asparagum syluestrem eodem loco asseruit. RENA. Capite autem 20. eiusdem libri de semine atriplicis ait, quòd aluũ mouet coctum aut per se, aut cum malua, aut lenticula. BRA. Intellige ius illud ebibendum esse, & semina contusa edenda. Nam cum suis acuminibus edi non possent, quãtitas

verò

verò decoquenda sit vncia vna, sed mirum videtur, quòd 22.cap. scriptum reliquit, sinapi, scilicet aluum mollire, cum tamen siccum sit, & valde calidum. REN. Id fortè facit eliquãdo materias, quas in viis inuenerit, & sua caliditate irritando ac aperiendo. At quomodo præbendum est marrubij semen, quod dicit ex sale & aceto potum, aluum soluere? BR. In puluerem redigitur, & ad semiunciam bibitur. Narcissum verò herbaceum, quod aluum soluere dicit lib.21.cap.19. in aqua coquendum est ad semiunciam, & ius bibendum, narcissúmque edendum. REN. Intelligendúmne est de herba, an de bulbo? BRAS. De vtroque simul, & seorsum. RENAT. Batim etiam libro 21.cap.27. ventrem emollire ait. BRAS. Præberi potest & in puluere, & decoctum, in iure, vel ex oleo & sale in aqua ad tres drachmas, sed 24.22. libri cap. monet alicam frigidam ventri molliendo dari. REN. Nostrum far, quód alicæ loco sumitur, & calidum, etiam bonam aluum reddit. Cùm verò eodem libro capite 25. de sesami granis, hoc est seminibus, dicit quòd per se drachmæ pondere exinaniunt, quomodo intelligitur per se? BRASSA. Per se absque alio simplici, vel liquore eduntur, & gustui placēt, imò passim

fim in Græcia (vt dictum est) panibus crustas inducunt, idémque efficere potest oleũ sesaminum ad tres vncias epotum. lib. etiã 23. cap. 1. de vitis albæ caulibus ait, quòd in cibo decocti aluum, & vrinam cient, & vino Palmeo eodem loco nullum aliud tribuit officiũ, quàm ventri molliendo tantùm. RENA. Nisi de cico locuti essemus huc cicinũ oleum afferrem, de quo Plinius lib. 23. cap. 4. ait bibi ad purgationes ventris cũ pari calidæ mensura, additque priuatim purgare præcordia. BRAS. Dictum est cicinum oleum actiones sequi ipsius cici. At sexto 24. lib. cap. de Terebinthi semine ait, quòd ventrẽ leniter emollit. REN. Quomodo id facit? BRASSA. In puluerem redactum, & ad duas drachmas cum mulsa epotum, vel in eadem mulsa decoctum, posteà mulsæ patera in potu sumpta. RENAT. De Resinis omnibus ventrem emollire libro 24. capit. 6. præterquàm de lentiscina, quæ adstringit, at quomodo insumuntur? BRASS. Igne eliquescunt, posteà ad quatuor drachmas vsque ad vnciam sumuntur, sunt qui terebinthinam ac laricinam in ientaculo inuoluant, ac transglutiant. Nota verò resinas hac semper prius esse lauandas ex illa aqua vi ignis eliquata, quę ad affectus propositum

facit, quanquàm & possent etiā absque lotione insumi, cùm ad aluum emolliendam accipiūtur, tum quia ab authoribus de lotione nō fit mentio, tum ne acritudo quædam remoueātur, quæ ventri subducendo confert. De Alysso vndecimo eiusdem lib. cap. ait, quòd aluum soluit, præbendum verò est ad duas drachmas in quacunque forma ex his, quæ superius narratæ sunt. RENAT. Nescio an hoc referre debeam, quod Plinius lib. 25. cap. 6. scriptum reliquit, centaureū scilicet minus omnia mala medicamenta potum è corpore per aluū exigere. BRASS. De hoc centaurio locuti sumus. Sed de his malis medicamentis nescio quid intelligat, nisi effascinationes, & amuleta audiuerimus, at capite octauo 26. libri ait, soluit & cyclaminos ex aqua pota aut balanis subditis. Cùm verò sit ex aqua bibenda, aut in puluerē redigi debet, aut adeò erit pinsenda, vt eliquescat, ac bibi posit, tamē & ipsius succus bibi potest, de quo ita disserit Galen. Nam succus eius hęmorrhoidas referat, violentérque ad secessum prouocat, in crocyde, siue floccis appositus, præbet verò tres drachmas siue cum melicrato, siue cum passo, quanquàm hoc videatur esse ad sudorem prouocandum, & per cutaneos meatus biliosa edu-

cendum. Verùm educit etiam cyclamini alterius ſemen,de quo ita diſſerit Gal.porrò altera cyclaminus, quam quidam cyſſanthemō nominant,propterea quòd cyſſo,hoc eſt hæderæ floris ſit aſsimilis, radicem quidem ſuperuacaneam habet, ſed fructum admodum efficacem. Nam hic cum vino pluribus diebus potus lienes ſanat,vrinas mouens,ventrem quoque ſubducens. RENA. In quanta copia? BRAS. Non ſum expertus, ſed arbitror ad tres drachmas cum melicrato, & aluum purgare dicit, anagalida ex aqua mulſa, duæ ſucci drachmæ exhiberi poſſunt, & duæ ſeminum,at ſi in iure,vel aqua ebulliat ex oleo,& ſale, ſit herbæ vncia, & decoctum bibatur, ad quatuor vncias zucaro dulcoratum. RENAT. De Nymphæa mirandum videtur, quæ cùm frigida ſit & humida, aluum leniter ſoluere in vino auſtero eodem loco ſcriptum ſit. BRASS. Et nymphæa & eiuſdem generis alia cōprimendo ſubducunt,ac crethmon aluum ſoluere decocto teſtatur Plinius libro 26. cap.8. RENAT. Debet ebulliri in aqua. BRASSA. Imò & in iure, nam inter ſylueſtres herbas vna edendo eſt, poteſtque ius bibi, & edi crethmon, pſyllium prætereà aluos purgare dicit. Decimoquinto

eiusdem lib. cap. RENAT. Contradictio quædam in Plinio videtur lib. 27. cap. 10. nam de Pæoniæ radice agens, aluum purgare dicit, paulò pòst addit, ventrem sistere. BRAS. Non sunt authorum verba ita simpliciter sumenda, sed in probum sensum ducēda sunt, potest verò locus hic dupliciter conciliari. Nam primò dicit, radix omnes vētris dolores sedat in vino, aluúmque purgat, vt intelligatur radicem bibendam quidem in vino, at non coquendam, itáque aluum emolliat, posteà loquatur de radice in vino cocta quæ adstringat, nam paulò pòst sequitur, matricem autem & stomachum decocta in vino scilicet sanat, aluúmque sistit. Altera cōciliatio est, cùm sint duæ glycysidis, hoc est pæoniæ species, altera habet grana, hoc est, semina rubra, altera nigra. Radix habentis rubra grana aluum purgat, habentis verò nigra adstringit. RENA. In quanta præbentur copia? BRASSA. Ad drachmas quatuor. RENA. Ambigo etiam de eo, quod à Plinio scriptum est lib. 21. cap. 6. quòd aquæ bituminosæ & nitrosæ sint bibendo vtiles, atque purgationibus, cùm ab Hippoc. & Gal. harum aquarum vsus reprobetur. BRAS. Imò & vsus sulfurearum, ferrearū, aluminosarū, & similium ab his authoribus

bus etiã reprobatur, veruntamen ventrem ſubducere nulli dubium eſt, & prætereà à diuerſis prauis affectibus liberare. At author ille non intelligit eas aquas in vſum duci debere, ſed quandoque, cùm opus eſt inſumi, nã experientia oſtẽdit, quòd multum proficiant, & aluum ſubducãt. At hoc eſt, ſi ſemel bibantur, vel per ſpatium decem aut duodecim dierum, vt nos Thermarum aquas præbemus. In genere verò dicendum eſt, omnes thermarum aquas ventrẽ ſubducere, verùm de his aliàs pertractaturi ſumus, in libello, in quo de thermarum aquis verba faciemus, nunc verò ſecundum eundem authorem eodem loco dicamus, & ad purgationes maximè vtile eſſe thalaſſomeli, quanquàm à Dioſcoride ſcriptum ſit, quòd aluum turbat, & pituitam trahit, at id blandius efficere monet, quàm aqua maris, quæ & ipſa ventrem ſubducit, imò & ſal vino miſtus, aluum emollire tradit Plinius cap. 9. eiuſdem libri. RENA. Stimulat potiùs, quàm emolliat. BRASS. Fortè materias eliquat, ex quibus aluus mollior euadit. REN. Es'ne balſami ſemen expertus? BRAS. Nõ ſum expertus, at cur hoc petis? RENAT. Quoniam legi ex vino potum ventrem iuuare. BRAS. Experimentũ facilè ſumi poterit,

at id effecturum esse non dubito, verùm si opobalsamum copiosè haberemus, nõ dubitarem & illud epotum, ventrem emolliturum esse, sicut & alia resinarum ac pinguium oleorum genera. RENA. Duo de cancris fluuialibus apud Plinium inuenio, lib.32.cap.9. BRAS. Quæ'nam sunt hæc? RENA. Vnum est, cùm ait, cancri fluuiatiles triti, ex aqua poti aluum sistunt, vrinam cient, in vino aluum, scilicet cient. Alterum est cùm ait, cancros ex aqua potos, profluuia sistere, ex hyssopo purgare. BRASS. Intellige decoctum ex hyssopo, nam cùm alicui aperienti iunguntur, purgant, cùm verò rei nõ aperienti misti sunt, adstringunt. RENA. Quomodo sumendi sunt hi cancri, id est, quæ ipsorum partes? BRAS. Intelligendum est primò quòd cocti sint, posteà exiccentur, & in puluerem redigantur, sumantúrque ex vino vel aqua ad duas drachmas, imò si quis copiosè cancros edat, ventrem subducũt. RENA. Illud ideò est, quia non conficiuntur, & si de beta superiùs verba fecerimus, tamen nõ mihi tempero quin hoc notem à Plinio descriptum lib.19.cap.8. cùm ait, betis candidis alui modicè soluuntur, nigris inhibentur. BRAS. Neque istud erat prætermittendum, neq; hoc quod ex Auerrhoe ortũ

habet, prætereundum est, camphoram ab aur. I. vsque ad duos potam, aluum ciere. RENA. Legi apud quosdam recentes, chamædrydis semen ventrē emollire. BRAS. Hoc negandum nō est de subductione saltem, si non de emollitione. At miror potius de quibusdā recentibus, qui arbitrati sunt sedum ex vino contritum, atque potum, aluum ciere, cùm tamen frigidissimum sit, & adstringentis naturæ. RENA. Fortè id comprimendo efficit. At cùm de moris ac mororum succo superius locuti sumus, tamen impræsentiarum ab hoc nō abstinebo, quod à nonnullis recentibus proditum est, mori scilicet radicem per messem incisam succum præstare, qui aluū subducere potest. BRASSA. Et de turture pisce fertur, quòd aluum bonam facit. RENA. Alia prosequaris emollientia, & quæ bonam reddunt aluum. BRAS. Nescio an alia huius generis adsint, cùm tercenta sexaginta tria enumerauerim, quæ humorem proprium non educunt, sed vel ventrem emolliunt, vel stercoris eductiua sunt. RENA. Scio in magno numero esse relata. BRAS. At cibos omnes huc adducere possemus, qui à Gale. in lib. de alimentorum facultatibus scripti sunt, & aluum bonam facere dicuntur, & citò de-

ſcendere. RENAT. Reperiunturne compoſita in pharmacopoliis medicamenta, quæ illa tantùm attrahere poſsint, quæ in inteſtinis continentur? BRAS. Reperiuntur nõnulla, vt diamanna, diacaſsia in modica quantitate ſumpta, diaprunis non ſolutiuus, electuarium ſimplex de ſebeſten. RENA. Hæc à venis educere non debent, ſed à ventriculo tantùm, & ab inteſtinis, vteríſne tu aliquo particulari compoſito emolliente? BRASS. Frequenter pingue ius bibi præcipio, & edi paſſulas ac dulcia pruna, & ſebeſten. RENA. Noſtrum inſtitutũ expetere videtur, vt alia tranſigamus propoſita. BRASS. Nunc de his agendũ erit, quæ cõpoſitos humores, hoc eſt duos vel tres, vel quatuor, vel omnes ſimul educere poſſunt. RENA. At primus locus expetit, vt de duobus tantùm ſermo fiat.

De medicamentis tam ſimplicibus, quàm cõpoſitis, quæ bilem & pituitam vnà educunt.

CAPVT VII.

BRASSAVOLVS.

Ab his ergo exordiemur ſimplicibus, ac compoſitis medicamẽtis, quæ bilem

bilem, & pituitam educere valent. REN. Et de his impræsentiarum agamus, & ab eo quod tibi primò in mẽtem venerit, initium sumere poterimus. BRASSA. Et si prædictum sit rhabarbarum bilem subducere, tamẽ & pituitam ipsam educere planum est, & quòd Arabes scribunt crassam bilem educere, nihil aliud fortè est, quàm bilem educere pituitę commistam. Verùm cum primaria eius intentio sit, bilem educere, ppropterea dicebamus quòd bilem subducebat, tamen illam cum pituita educebat, quæ est illi commista, cùm illam iunctam habet. Nam cùm mista sunt, bilis attrahi non potest, quin simul pituita attrahatur, & de aloë idem iudiciũ faciendum est. Nam bilem subducit, & simul pituitosos humores. Primum verò, quod ab eius vi educitur, est bilis, quam & pituita concomitatur, sed hoc facit à propinquis partibus, propterea ἐκκοπρωτικὸν, hoc est, stercoris eductiuum vocatur medicamentum. RENAT. Et de cassia ipsa idem dici potest, quòd bilem educit, & pituitam. id verò intelligendum est, vt bilem primò educat, posteà pituitam, ita Arabes censent. BRASSAVOL. Et etiam experientia ita esse constat, multi in cassia decipiuntur, atram bilem educere putantes,

cùm sit ipsa cassia, quæ exit, & non atra bilis. Vnum est ex medicamentis cassia, quæ cùm educunt, simul exeunt, cum his quæ educunt, à Mésue scriptum est, heupatorium bilem, & pituitam educere. RENAT. Quódnam heupatorium? BRAS. Illud quod ab ipso descriptum est. Nam Dioscoridis heupatorium est herba vulgò vocata agrimonium, quæ ventrem haud subducit, imò in vino pota dysentericis à Dioscoride præbetur. Mesue verò heupatorium bilem & pituitam educendi vim habet, sed hoc adeò ineptè facit, vt educere non videatur. Mesue decoctum præbet à drachmis quatuor vsque ad sex, at ego ad libram vsque adhibui, & in puluere à drachmis duabus vsque ad quatuor, cùm à duabus vsq; ad sex sumi posit. RENA. Neque etiam in hac copia effrenem faciebat euacuationem? BRASSA. Non solùm non erat effrenis, sed neque euacuare videbatur, vt quandoque arbitratus sim vim eductiuam minimè habere, tamen mirifica herba est heupatoriū Mesue; & odorata. RENA. Memini à Galeno de heupatorio scriptum esse, quòd vim habet adstringendi, & ob hoc robur visceri hoc est iecori addit. BRASSA. Nónne dixi tibi dysentericis præbuisse Dioscoridem? quod

vtiq;

vtique non fecisset, neque fieri consuluisset, si aluum subduceret, & pituitam ac bilem euacuaret, quanquam ego in dysenteria medicamentis vti velim primò educentibus, posteà adstringendi vim ac roborandi habentibus. RENA. Si hoc educeret, optimum esset ad dysenteriam medicamentum (loquor nunc de Dioscoridis ac Galeni heupatorio) quia euacuandi vim habet, posteà sistendi, & viscera roborandi. BRASSAVOL. Aperit quidem eiusce-modi heupatorium, sed non educit, ob hanc causam ipsius decoctum præbetur ad iecoris obstructionem, & ad hydropem, cùm iecur prauè affectum est. RENA. Fortè & de Veneris capillo idem senties. Nam à Mesue dicitur bilem & pituitam subducere. BRASSA. Ego expertus sum in decocto vsque ad libram, & non eduxit. RENAT. At in quanta copia erat herba, aquæ vel iuri incocta? BRAS. Ad duas vncias. REN. Et Mesue ipse decocti libram præbet. BRAS. Cùm vel adianthum sit apud Dioscoridem, vel easdem habeat cum adiantho vires, vim quandã adstringendi habet, & ideò stomachi fluxionibus medetur, & sanguinis eiectiones cohibet. hoc verò ita nõ assero, quin etiã arbitrer vim quãdam habere aperientẽ, quã mẽses proritat,

verùm & nonnihil habet adſtringentis ac roborantis. Galenúſque in ſexto de ſimplicium medicamẽtorum facultatibus libro, ventris profluuium ſiſtere dicit. Verum tamen, quòd hoc decoctum ſubducit:

℞. Capillorum Veneris ℥ ß.
Paſſularum ℥ j.
Sebeſten num. x.

Miſc. & bulliant in iure pulli, poſteà ius ad communis pateræ quantitatem ebibatur, ventrem quidem ſubducet, ſed neque bilem neque pituitam eliget, at id tantùm ſubducet, quod in viis ipſis continebitur, nam potiùs emolliens eſt, quàm electiuè educens medicamentum, quãdoque in hoc decocto Iberica pruna ponuntur, quæ vulgò catalonia nomen habẽt, vel pruna myrobalana, quæ & ipſa dulcia ſunt, nam his dulcibus prunis & non auſteris, id muneris præbetur emolliendi aluum. Verùm & à Meſue aſſarum inter illa numeratur, quæ bilem, & pituitam educere apta ſunt. Præbet verò infuſum ab aur. duobus, vſque ad drachmas quatuor. In puluere verò à drachma vna vſque ad aur. duos. RENA. A' Dioſcoride dicitur aluum ſubducere, ellebori albi modo, planum verò eſt album elleborum, pituitam bilémque purgare. BRASSAVO. Et prorſus purgat, vnciam

decoq

decoqui iussi, & sex decocti vncias adhibui, mediocriter eduxit, & absque vllo incommodo, vtinam pro albo elleboro præberi posset, & eosdẽ ageret affectus. Nam pro his humoribus vehementer educẽdis, mitissimum medicamentum haberemus. RENA. Intelligo albi ellebori modo educere, nõ quidem per illam violentiam, sed eiusdem generis educere humores, quos album elleborum subducit. BRAS. Neque aliter Dioscorides intelligendus est. Gal. de hac herba nihil aliud scripsit, quàm quòd ipsius radices acori radicibus similes habent facultates, intensiores tamen. De acori autem radicibus nihil dicit Galen. quòd bilem, vel pituitam educant, nedum quòd educant. RENA. Neque Dioscorides mentionem facit, quòd acori radices humorem aliquem subducant. BRASSA. Neque assarum educit, vel ægrè tantùm educit. RENA. Superiùs dictum est Agaricum pituitam euacuare. Mesue verò & alij Arabes bilem etiam educere fatentur. BRASSA. Et id efficere experiẽtia ostendit, sed est secundo loco. RENAT. Tamen à Dioscoride dicitur, naturam habere adstrictoriã. BRAS. Imò & gustu ipso aliqua persentitur adstrictio, verùm hoc quin educat minimè prohibet, & Dioscorides

ipse

ipſe aluum purgare dicit, ſingulis denariis aut binis cum aqua mulſa. Quid verò purget, non expreſsit, & Galen. de illa adſtrictione, quam habet agaricum, ait, quod eſt leuiculæ adſtrictionis. RENA. Neq; Gal. in ſexto ſimplicium mentionem facit humorum, quos educit, ſed inquit eſſe purgatorium. BRASSA. Et Plinius nulla humorum mẽtione facta lib. 26. cap. 8. ait agaricum drachmis duabus cum ſale modico potum ex aqua, aut in mulſo obolis tribus: at nos, quod experientia oſtendit ſequemur, planiſsimum eſt pituitam educere, atque bilem, pituitam primò, ſecundariò bilem, hócque ab Arabibus non abſque experimento cenſetur. RENA. Meſue præterea dicit de colocynthide, quòd pituitam educit ac bilem. BRAS. Verum prorſus eſt, ſed apud Dioſcoridem atram bilem etiam educit, ſtrigmenta, atque ſanguinem, propterea de illa impręſentiarum nihil loquẽdum eſt, ſed ad alia potiùs properandũ. RENA. De iride verò Ilyrica Meſue ait, quòd bilẽ, & pituitã educit. BRAS. At ego vidi in hydrope aquas vehementer ſubducere. Scio tamen & Dioſcoridem ſcriptum reliquiſſe pituitam craſſam & bilem denariis ſeptem cum aqua mulſa detrahere potu, neq; de aquis mentionem vl-

lam

lam facit. RENA. Tamen aquas educere & ichores expertus es? BRASSA. Expertus sum,& frequẽtissimè, & nunquàm me fefellit,non eo tamen inficias, & pituitam crassam,ac bilem educere posse,præsertim cùm simul mista sunt. RENA. Quomodo præbendũ & in quanta copia? BRASSA. De radicis simul, & herbę succo duæ vnciæ adhibentur (nunc Dioscoridis quãtitatem prætermitto, & vsum proprium refero)de radicis puluere duæ drachmæ, de decocto sex vnciæ,quãdo quatuor radicis drachmæ in aqua ebullierint, hi sunt modi, quibus vtor,& hæ sunt quantitates, & aquas semper educere percepi, licet nonnunquàm pituita & bilis vnà subducta sint. RENA. Iam intellexi, & partim noueram in his, quæ dicta sunt, cùm de his loquebamur, quæ simpliciter aquam subducunt. Verùm & apud Mesuem scriptũ reperi elaterium bilem, & pituitam euacuare. BRASSA. Id quidem ac vehemẽter facit, imò & elaterium ipsum, quod est anguini cucumeris succus, arte quadam collectus, simul aquas educit, quanquam & à Dioscoride hoc scriptum non sit, tamen de elaterio, & de cucumere ipso fatetur, quòd bilem & pituitam educant. At cucumerẽ ipsum nõ prębet Dioscorides. Adhibet verò è cortice radic

radicis acetabuli quadrãtem ad pituitam, & bilem purgandam. à bimatu confectionis elaterij eo vti poterimus iuxta hunc authorem, durãtque decennium. RENA. In quo pondere præbetur? BRAS. Maximam portionem ipsius dicit esse solidum obolum, minimam semiobolum, pueris chalci duo sufficiunt, copiosiùs verò non sine periculo sumitur, vtralibet parte bilem pituitámq; detrahit, nos verò ad drachmam vsque elaterij adhibuimus, & præter bilem ac pituitam, mire eduxit aquas. hoc fortè nouit Dioscorides, nam de radicis cortice ait, quòd valet ad hydropas, eandem esse vim & radici, & radicis succo, qualis est in elaterio, Galen. censet, sed esse imbecilliorem. Quòd autem euacuet, mentionem non facit, nec quòd hunc vel illum educat humorem. REN. Quòd verò educat, experiẽtia ipsa ostendit. BRAS. Et maximè ostendit. RENA. Quomodo præbes? BRASSA. Elaterium in catapotia præbeo, vt amaritudo non sentiatur, vel in iure dissoluatur, & potui sumatur, radicis etiã cortex in catapotia deduci potest, & scilicet decoctũ cucumerem ipsum in acetario quãdoq; adhibui, sed adeò amarum est, vt ille, qui sumebat, vix deglutire potuerit. Fit & ex radice succus, qui cucumer

meris succo imbecillior est, tamen & ipse quoque ventrem subducit. REN. Est'ne id verum, quod à Dioscoride scriptum est, eius purgationem non obesse stomacho? Nam dicit ídque ad hydropas maximè cu iusmodi purgatio sine iniuria stomachi exigitur. BRAS. Ita profectò à Dioscoride scriptum est, sed experiētia oppositum ostendit: nam stomachum perturbat, & impotentiam inducit, si frequenter sumatur, hoc facilè experiri poteris. RENAT. Apud Mesuen præterea bilem & pituitam educit aristolochia. BRAS. A' Mesue dicitur, quòd educit, potissimùm rotūda, humiditates phlegmaticas, & aliqui addidêre etiam cholericas, per humiditates verò potissimùm intelligo pituitosos ichores, & biliosos ichores. Tamē inficias eundum non est, medicamentum ichores attrahens, posse etiam humores illos attrahere, quorum illi sunt ichores. REN. At longè facilius est Ichores educere, & à medicamento attrahi, quàm humores. BRA. Hoc nemini dubium esse debet, tamen & medicamentum hoc non est tam imbecillum, quin pituitosos humores & biliosos educere possit. RENA. Cur à Dioscoride, & à Gal. nō dicitur quòd euacuet? BR. Fortè quia hoc munus illi inesse minimè no-

uerunt, tamē educere perspicuum est, quāuis eiuscemodi eductio nō appareat, qualem in magnis medicamentis, quæ eandem vim habent inesse percipimus. REN. Ad quantam copiam præbes? BRAS. Mesue præbet ab vna drachma vsque ad aur. vnum, ego ipsius pulueris duas præbeo drachmas, & etiam ægrè educit, sex decocti vnciæ præberi possunt, si semiuncia in aqua ebullierit cum modico sale, cùm in puluerem redigitur, potest in catapotia conformari, bibitur & ipsius succus drachmis duabus ad eosdem vsus. REN. De qua intelligũtur Aristolochia ista? BRA. Tam de longa, quàm de rotunda intelligenda sunt, quanuis Gale. rotundam faciat tenuiorum partium, tamen nō facit illam magis calidam, quàm sit lōga, imò in hoc inclinat, vt longa sit magis calida, vtræq; verò easdem habent vires. REN. Referunt, & senam bilem & pituitā educere. BR. Referunt quidem nonnulli, sed Arabes bilem atram addũt, & bilem adustam, at ego expertus sum humores omnes præter sanguinē, & aquositates à sena educi. Tamē bilem atram præcipuè subducit, idem efficit & colutea, vt experiētia ostendit. REN. De colutea superioribus diebus periculum fecimus, sed ægrè educere percepimus. BR.

Ego

Ego hoc experientia percepi, quod vna vncia orientalis senæ efficit, idem efficere Liguræ senæ vel Apulæ vnciam vnam, & semis,& vncias duas coluteæ nostratis,debéntque hæc omnia potiùs infundi, quàm alio modo exhiberi. RENA. De Agriorapha no, id est syluestri raphano Dioscorides ait, quòd bilem & pituitam educit. BRASSA. Imò id mirificè facit, quia (vt inquit) superior pars eius vomitione biles,& pituitas extrahit,inferior per aluũ, vtrinque tota sumpta. RENA. Putásne id esse verum? BRASSA. Succo ipsius sum vsus,vt plurimum per vomitũ educit, sed & per aluum nõnunquàm educere percepimus. Ex pane editur, pro his educendis humoribus,vehementior est, quàm radicula ipsa domestica, & iuxta Gale. sententiam magis digerit. Nam ipse quòd educat, mentionem non facit, & ipsius succus ad eosdem educendos humores in vsum duci potest. RENAT. Imò & Dioscorides ait, si libeat, lac excipere, tundantur radices,& fictili aqua pleno mergantur, conturbentúrque,tum deiecto penna quod supernatat,eradito, hunc qui superbiberit sesquiobolo, vtraque parte purgatur. BRASSA. At ego torculari exprimo,& succum educo. Nam quod à Diosco

ride de eo dicitur, quòd supernatauerit, plenè colligi non potest, nisi ebullierit, iccirco in aquam poni debet, & ebulliri, posteà id, quod supernatauerit lingula vel cochleari, vel penna colligendum est. Id verò est vti agrioraphani pinguedo quædam, quam lac Dioscorides vocauit, quin & ex eo decoctum fieri potest, quo ad sex vncias epoto, eosdem humores euacuare nihil impediet, tamen & in illa agitatione, quæ fit, dum est in aqua, aliquid ob agitationem supra aquam ascendit. REN. In quanta copia præberi debet? BRASS. Si ex pane edatur, vncia ad minus insumenda est. Poteštque ex oleo, sale, & aceto mãducari, vel etiam absque pane edi, ex ipsius verò succo quatuor drachmæ sumuntur, ex vocato autem à Dioscoride lacte sesquiobolus insumatur. RENAT. Centaurium minus à Dioscoride dicitur felleos humores, & pituitam crassam per aluum educere, si eius decoctum bibatur. BRAS. Amarissimum est, iccirco zucaro dulcorãdum erit, & ad quatuor vncias insumendum. REN. Non mirum igitur, si herbam hanc fel terræ nuncuparunt antiqui. BRA. Si quis etiam eius succum ad vnciam ferre posset, eosdem humores educet, id verò no tato in hydrope aquas subducere, Gale. de hum

humoribus quos educat mentionem non facit, licet fateri videatur quòd euacuet, ac desiccet innoxiè, quæ impleta sunt, sed experientia ostendit humores illos educere, quos dixit Dioscorides. De parthenio etiã à Dioscoride scriptum est, bilem ac pituitam per aluum subducere. RENA. At parthenium solum non præbet, sed ait siccatum cum melle, & sale, potum, epithymi modo, pituitam, bilémque detrahit per inferna. BRA. Nota exiccari debere in vmbra & in puluerem redigi, posteà puluis hic ex melle & sale sumendus, ex his verò duobus bibi nõ potest, sed potiùs delingi, nisi mel aquæ aut alicui humori misceretur. Poterit verò in hac copia sumi.

℞. Pulueris foliorum parthenij ʒ ij.
Mellis ℥ j.
Salis ℈ j.

Misc. & delingatur. Posset accipi tãta mellis copia, quòd bibi posset, licet ægrè, & non nisi melle ab igne liquefacto, mel verò expumatum esse debet, ne tormina inducat. RENA. Dubium mihi occurrit, cùm ab ipsomet Dioscoride scriptum sit, epithymum pituitam & atram bilem educere, quomodo hic intelligit, cùm ait parthenium more epithymi educere, cùm tamen bilem & pituitam educere fateatur? BRA.

Dici posset hic per bilem, atram bilem intellexisse, verùm quia cùm simpliciter bilis dicitur, flaua intelligitur, & quia experientia ostendit flauam bilem educere, icirco intelligere oportet, quòd eodem modo, scilicet cum melle humores educat, quos subducere est aptum, vt similitudo sit in potu cum melle, & non in alio. RENA. Ita intelligere opus est, quia & epithymũ cum melle in potu præbet, neque salem addit, quem in parthenio apponit. At si nondum erat de parthenio locutus, cur in hac sumptione parthenium epithymo comparauit? BRAS. Et si in quarto libro de epithymo locuturus erat Dioscorides, & in. 3. de parthenio loquatur, omnia vti præsentia habebat, & fortè epithymum cum melle frequenter præbuerat, parthenium verò non frequenter, nunc verò de secunda clematide verba faciamus, quam Dioscorides bilem & pituitam educere tradit, nonnulli cõuoluulũ esse arbitrãtur. RE. Quomodo educit, & in quanto pondere? BRA. Ita à Dioscoride scriptum est, semen eius tritum cum aqua vel hydromelite, ad bilem bibitur, & pituitam per aluum exigendas. De quantitate verò sumenda nihil tibi referam, cùm minimè expertus sim, at cùm experiri voluerimus, quod

erit

erit in futura æstate, à ſemidrachma incipiemus. De ſeſamoide etiam maiore & de minore à Dioſcoride proditum eſt, quòd bilem, & pituitam educunt. RENA. Súntne ſeſamus? BRASSA. Non quidem, nam ſeſamois ſemen habet guſtum amarum, cùm ſeſami ſemen dulce ſit, de maiori ſeſamoide ait, quòd ipſius ſemen ad ventriculi detractiones præbetur contra biles, & pituitas, quantum tres digiti apprehenderint. RENA. Hæc quantitas poteſt eſſe drachma vna. BRASS. Non multùm euariabit, at ſemen hoc in puluerem redactum ex aqua mulſa bibitur. Docet præterea Dioſcorides; Miſce cum hoc, ſemen cum obolo vno, ac dimidio ellebori albi & ex aqua mulſa bibendum, at de ſeſamoidis minoris ſemine ait, quòd dimidio acetabuli ex aqua mulſa potum bilem & pituitam deiicit: de magno ſeſamoide Gale. dicit eandem vim habere cum elleboro, & quòd expurgat vt elleborum, tamen non expreſsit de quo elleboro loquatur. RENATVS. Putandum eſt, quòd album intellexerit, nam vocabulum hoc elleborus ſimpliciter poſitum, album ſignificare conſueuit, tum quia Dioſcorides albo elleboro miſcendum dixit. BRASSAVOLVS. De mi-

nori verò ſeſamoide, quòd educat nullam mentionem facit Gal. BRAS. De peplo igitur verba faciamus, quem Dioſcorides bilem & pituitam detrahere cenſuit. BR. De ſemine loquitur, quod potum acetabuli menſura in aquæ mulſæ hemina, hoc efficit, opus verò eſt ſemen hoc pinſere, & in puluerem redigere, idémq; de peplo dicendum eſt, cuius ſemen eaſdem habet vires, ipſomet Dioſcoride teſte, Gale. notat de pepli ſemine, & de peplis vel peplij (quia horum radix in nullo eſt vſu) cum lac faciant vt tithymali, etiam purgare, Tithymalorum verò genera bilem purgant ac pituitam. RENA. Omnia ergo Tithymalorum genera bilem purgabunt & pituitam? BRASS. Id efficient ſi Dioſcoridi credamus, atque ipſi experientiæ. RENA. Quę'nam Tithymalorum partes hoc efficere valent? BRASS. Quatuor partes in vſu eſſe poſſunt, ſuccus, fructus, folia, & radix. Gal. notat ſuccum quem lac vocant, omnibus præſtare partibus, à Dioſcoride proditur ſuccum duobus obolis bilem purgare, & pituitã ſi in poſca bibatur. Succus hic circa vindemiã hoc modo colligi debet, ramuſculi excinduntur, & in vas vitreum ſuccus colligitur, & exiccari ſinitur, hunc præbet cum poſca Dioſcorides.

Sciendum verò, nunquàm esse hunc succũ solum præbendum, ne linguam, palatum, ac gulam exulceret, sed alicui frigidæ rei semper esse miscendum, aut iuri, tamen cùm succus exiccatus est, potest in catapotia conformari. Quæ auri bractea circunlinita transglutiantur, aliqui sunt, qui farina eruina succum excipiunt, in pastillósque diuidunt erui magnitudine, hunc in maiori copia præberi opus est. Cúmque farina hæc & plus, & minus succi imbibere possit, iccirco de exhibenda quantitate certa regula non habet, nisi homo experiatur. hoc verò certius est, quod referam. REN. Iam referto. BRAS. Si in aridas ficus colligatur, vt quidam faciunt, stillant verò tres aut quatuor guttas pro singulo ficu, posteà tres aut quatuor ficus sunt exhibendi. Nonnullos vidi, qui eiuscemodi lac in ficus recentes acciperent, túncque præberent, & ficuum partem exiccari sinerent. Gale. notat eandem esse naturam seminum & foliorum, lactis, & radicum, at hoc differre, quia lac ad hæc peragenda efficacius est, minus efficax semen, adhuc minus folium, minimè omnium efficax est radix. RENA. Et Dioscorides inquit semen & folia, eandem habere naturam, quam habet lac, neque maiorem in vno

efficaciam ponit, in alio minorem, ſed tan tùm ait differre per ſumendi modum. Nā dicit, dimidium acetabuli ex his iuſta potio eſt, folia etiam à nonnullis ſale inueterantur, lepidio miſcentes lacte macerato, alij caſeo præduro. Radix in paſtillos ſubacta drachmæ vnius pondere ad aluum trahendam, in aqua mulſa bibitur. BRASS. Tamen & illud quod à Gal. ſcribitur, verum eſt, omnia ſcilicet hæc per maiorem & minorem differre efficaciam. nos foliis vtimur etiam in decocto, & ſemiunciam foliorum in ius infundimus, vel decoquimus, & tunc quatuor infuſionis vnciæ vel decoctionis ex zingibere, cinnamomo ac aniſis præbemus, & prædictos humores euacuāt, ego ſemper zingiber, cinnamomum, aſſarum, aniſa, amomum, ac eiuſdē generis alia ob ventriculi os, & ventriculum ipſum ne lædatur, commiſceo. Semina quoque in puluerem redacta ad ſemidrachmæ quantitatē in iure bibi poſſunt, & etiam in catapotia conformari. REN. Semen Autumno colligi docet Dioſcorides, tunc enim perfectè maturum eſt, imò notat quòd ſiccatum ſol e tunditur leniter ac lauatur, & ita parum reponitur, at quo lauari debeat, ſcire percuperem. BRASS. Aqua ſimplici, & fortè pluuiali, vt educendi

di vis tantiſper refrangatur. RENA. Debétne abſque exiccatione reponi? BRAS. Minimè,ſed in vmbra exiccari debet. RE. Educúntne æqualiter omnes Tithymali ſpecies? BRASS. Aequaliter quidem quo ad humores, nam omnes bilem & pituitã educere valent, ſed inæqualiter quo ad vehementiam. Nam Gal. vehementiſsimam ſpeciem illam facit, quæ charatias vocatur, quæ eſt primum Tithymali genus apud Dioſcoridem, quod nonnulli marem dicunt, & myrſinitem, quæ eſt ſecundum genus, fœminam, & hæc parum diſtat in actione, à primo genere, tamen aliquo modo à viribus primi declinat, in tertio loco adeſt paralios, & eſt tertium apud Dioſcoridem Tithymali genus, poſteà ſequitur helioſcopios, deinde cypariſsias, quanuis Gale. videatur dendriodem, quod eſt ſextum genus, præferre cypariſsiæ, quæ eſt quintum genus, & poſt cypariſſiam parium ponit, & vltimo loco helioſcopion, de platiphyllo nullam mentionem facit Gale. in hoc ſuo Tithymalorum ordine, fortè ob id effecit, quia à Dioſcoride ſcriptum non eſt, quòd bilem, & pituitam attrahat: ſed ait, aquas radice, vel lacte, vel folio detrahit per aluum. RENA. Trahítne ſolas aquas? BR. Aquas quidem

det

detrahit, quod & omnia Tithymalorum genera præstant, sed & bilem attrahere ac pituitam experientia ostendit, hócq; tibi sit vti dignitas ac axiôma, Omnes lactarias herbas, etiam si à septem publicis speciebus diuersæ sint, vim habere soluendi aluum, & pituitam ac bilem educendi, in quocunque sit orbis terrarum loco. REN. Sunt igitur & aliæ lactariæ præter illas quas Dioscorides narrauit? BRAS. Quis ambigit? Ego cognosco duodecim fortè aut quindecim herbarum genera, quæ lac emittunt, cùm Dioscorides septem tantùm enumerauerit. REN. Quæ'nam sunt hæ lactariæ? BRA. Non est hîc locus de lactariis omnibus pertractandi, fortè seorsum de vnaquaque agam specie in libello inscripto de omnibus lactariis plantis, quæ apud nos reperiuntur: apud nos verò dixi, quia apud ignotos fortè aliquæ sunt lactariæ ita nobis ignotæ, vt ipsimet sunt nobis ignoti. RENA. In aliud igitur differatur tempus, posteaquàm tibi placet eiuscemodi pertractatio. De septem verò Dioscoridis speciebus pertractauit etiam eodem modo Plinius lib. 26. capite 8. At de polypodio nunc verba faciamus, quod Dioscorides bilem, & pituitam educere fassus est. BRA. Radix ipsius in vsu est, quę

datur

datur(inquit Dioſcorides)ad purgandum, cocta cum gallinaceo vel beta, vel piſce, vel malua. Inſpergitur arida in aquã mulſam, vt pituita, biliſque detrahatur. REN. In quanta copia inſumptum hoc facit? BRASSA. In decocto ad quatuor vel ſex drachmas, in puluere ad tres vel quatuor: tamen non erat hic locus de polypodio pertractandi, quoniam & ſi à Dioſcoride ſcriptum ſit, quòd bilem, & pituitam educat: tamen & atram bilem educere quomodocunque ſumatur experientia oſtendit, iccirco in illo tractandum eſt loco, in quo de his agemus, quæ atram bilem educunt, flauam, ac pituitam: quanuis & Plinius lib. 26. cap. 8. de bile ſolum, quòd educat, ac pituita mentionem faciat. RENA. De Apio herba Dioſcorides tractans, monet eius radicem bilem trahere, ac pituitam, ſed hac conditione, quòd pars ſuperior hos humores per vomitũ trahit, pars inferior per inferiorem aluum, tota verò ſimul commanducata, & per vomitum & per ſeceſſum educit. BRAS. Imò & ipſius ſuccus vtrinque, id eſt, per inferiora & per ſuperiora educit. Ita enim ait Dioſcorides, hæc & in fictili aquæ mergitur, tuſa, & miſcetur obiter, deiectóque quod ſupernatat, reliquus ſuccus excipitur, & ſiccatur

catur

catur, quem qui obolo, & dimidio biberint, vtraque parte purgantur. RENAT. Nónne intelligi debet quòd bilis & pituita purgantur? BRASS. Ita prorsus, imò & succus torculari expressus eundem effectum inducit, ad drachmas duas cum iure pulli insumptus, & radix ad eosdem parandos effectus ebulliri potest. RENA. De nigro elleboro, quòd bilem & pituitam per inferna detrahat, testatur Dioscorides. BRAS. Ita nimirum dicit, sed & bilem atram educere planum est, iccirco de hoc suo loquamur loco. RENA. At Dioscorides id non asserit. BRAS. Et si in illa parte in qua humores enumerat, quos educit, atram bilem non referat: tamen paulò pòst addit, melancholicis valere insanientibus, contra quos non aliter valet, quàm humores euacuando, qui melancholiam, & insaniam pariunt. Quod indicium est, & atram bilem educere censuisse. Recentiores verò atque Arabes albo elleboro hoc attribuunt, quòd bilem & pituitam detrahat, tamen & etiam atram bilem educere testabimur, cùm de his loquemur, quæ bilem, pituitam & atram bilem educere possunt. RENA. Cùm ergo de illis tractaturi simus, ad alia sermonem vertere ab re non erit. BRAS. Cùm

De nigro Eleboro

à Diosc

à Dioſcoride notetur ſparti ſemen elle-bori vice citra periculum educere, fortè ſemen hoc bilem & pituitam educet, & nõ atram bilem. In hoc verò inclino, quoniam illo vſus ſum in decocto, in puluerem redacto, & in iure exhibito ad duas drachmas, & nihil atræ bilis eductum percepi, ſed biles aderant vnà, & excretæ pituitæ, imò & nonnunquàm ſuccum ramorum ſimul cum foliis adhiberi, & ſubducere expertus ſum, at non quidem vehementer, ſed ægrè ſubducit, vt ferè hos humores nõ educere arbitratus ſim, ſed tantùm ventrem ciere: & ſi in viis humores illi aderant, vnà exiuiſſe, vt poſteà ſparti ſemen illos attrahere creditum ſit, hócque contemplatus ſum, tantam efficaciam nõ habere ſpartum, quod Ferrariæ naſcitur, quantam habet ſpartum in montibus natum, & in arentioribus locis. Dioſcorides quinque obolos ſeminum præbet, & florum, vt ellebori vice purgent, quanuis addat ſemen ipſum exinanire aluum trahendo, vt hinc coniectura aſſequar, à viis aliquo modo ſubducere, & non à remotioribus locis. RENA. De ſparti fructu, hoc eſt ſemine, & de virgarum ſucco Gale. ait, quòd non inſtrenuè valentis eſt facultatis. BR. Et ſcammoniũ præterea bilem

lem & pituitam educere Dioſcorides teſtatur. RE. At bilem primò educere conſtat. BRA. Hoc non imus inficias, ſed & pituitam attrahit, licet ſecundariò. REN. Legi Dioſcoridem dicentem, Datur ex aqua mulſa, vel ex aqua per ſe drachma ponderis, aut quatuor obolis, ad pituitam bilémque per aluum purgandam. BRAS. Veruntamen addit etiam ad quam aluum duntaxat ſoluendam, partes duæ denarij ſextini ſatisfaciente grano ſeſamæ admiſto, aut ſemine alio. RE. Deinceps prætereà ſequitur, ſed ſi abundantiùs purgari libeat, ſuccum obolis tribus, elleborum nigrum duobus, aloën drachma vna bibant. BRASSA. Non mirum, ſi abundantiùs purget, quia vehemens eſt medicamẽtum, & tale, quod bilem educet, pituitam, atram bilem, & ichores. RENA. Erit igitur his medicamentis ſimile, quæ in pharmacopoliis ſeruantur, & omnes valent educere humores. BRAS. His profectò ſimile eſt, at medicamentum quoque de ſucco ſcammonij fieri docet Dioſcorides, & ſale ad purgationes. Nam in viginti drachmas lactis, ſex cyathos ſalis addunt. RENAT. Cuius lactis? BRASS. Scammonij, hoc eſt ipſius ſucci. RENA. In quanta ſumitur copia? BRA. Regulam hanc præbet Dioſco-

rid

rides, quod sumi debet vinum portione, vt maxima portio sit ligulis tribus, media duobus, minima singulis constet. RENA. Et scāmonij radix ad euacuandū est apta. BRAS. Et à Dioscoride subducere notatur, cùm ait, Detrahere & radix solet, cùm quibus dictū est tribus drachma vna pota vel duabus. RENA. Illæ permistæ res sat videntur ad educendū, præter scammonij radicem. BRAS. Nunc præparatur in cotoneo, & pasta, fitque vocatum diagridiū, de quo scrupulum prębemus, vel etiam semidrachmam ad bilem educendam, quāuis & secundariò pituitam educat, nunc est in maximo vsu diagridium, antiqui scammonium ex se prębebant, sed Gal. in cotoneo & pasta præparandum monet, iubétque ipse pastam illam præbere, & non scāmonium, quod intus continetur præparatum. RENA. Et ebulum quoque bilem & pituitam educere scriptū est. BRAS. Duæ sunt ebuli partes, radix scilicet & folia, quamuis & baccas habeat, radix aquas attrahit, iccirco de ea dicit, radicis in vino decoctę vsus, hydropicos in victu exinanit: de foliis verò inquit, quòd olerum modo decocta eduntur, ad pituitā bilémque detrahendā. RENA. Iussisti nōnunquàm ægrotos tenellis cacuminibus vesci. BRASS. Et

hoc à Dioscoride notatur, cùm ait, caules eius incipientes ad eundem effectũ in patinis coquuntur. RENA. In quanta copia præberi debent? BRASS. In minutali insumi debet cõmunis patera iure plena, & ebulorum foliis, at nos prębemus semielixis tenellis caulibus, in acetario ad quinque vel sex bolos, & aquas vehementissimè educunt. Idẽ faciunt oleris modo sumpti, tamen & bilem, & pituitã educere non imus inficias, sit & ex radice succus ad eosdem effectus, & ex foliis insuper. RENA. Cùm radix præbetur, quomodo præbetur? BRASS. In vino decoqui potest, & vinum bibi, vel in mulsa, & mulsam bibi, sint verò quatuor radicis drachmæ, quæ ebulliãt. Si verò radix exiccetur, duæ pulueris drachmæ sunt satis in iure sumpti, vel in catapotia conformati, eandem vim sambuco Gale. præbet, quam ebulo inesse dixi. RENA. Et Dioscorides idem testatur, at horũ flores ventrémne subducunt? BRAS. De ebulorum floribus non sum expertus, quia fœtidi sunt, sed de sambuci floribus expertus sum in mense Maij, cùm mulieres nostræ ex his floribus testuacia conficiunt, ac pastillos, cùm huius testuacij frustum editur, aluus emollitur, tamen neque bilis neque pituita à ventre attrahi-

tur

tur, at ignoro, an sit lac, quod hoc efficiat, an sint flores, nam ex lacte & his floribus caseo, & ouis conficiuntur eiuscemodi testuacia, & tu ipse fortè expertus es. REN. Scio quidē me edisse talis generis testuacia, sed an aluum emollierint, an nō emollierint, memoria non habeo, vnum tamen est quo discrucior, quia à Gal. scriptum est, vim desiccandi habere, conglutinādi, modicéque digerendi, & à Dioscoride proditum est exiccare, adstringere, refrigerare, postea sequitur pituitā bilem atque aquas educere. BRASSA. Ne admiratione afficiaris, quia diuersarum partium ratione hos diuersos faciunt effectus, ratione quarum est amarus ebulus, & aliquantisper refrigeret. Sunt etenim multa ex pugnantibus partibus confecta. RENAT. Nonne & sambuci interior cortex educit? BRAS. Illud prorsus facit, at non bilem & pituitam, sed stercora quæ in viis sunt, in quibus etiam si bilis adesset, & pituita, bilem & pituitam subduceret, & aquas simul. RENAT. De lathyri à Dioscoride scriptum est, quod ipsius succus modo quo de Tithymalo excipitur, ad eosdem vsus valet. Verùm cùm Tithymalorum lac bilem, & pituitam educat, & lathyri simile lac bilem & pituitam educet. BRAS-

SAVOL. Imò & illa educit, & prætereà aquas. Vnde & à Plinio dicitur lib. 27. cap. 11. lathyris grana in aqua pura aut mulsa pota hydropicos sanant, trahunt & bilem, qui vehementiùs purgari volunt, cum folliculis ipsis sumunt ea. Nam stomachum lædunt, itaque inuentum est cum pisce aut iure gallinacei sumantur. RENA. Et septima Tithymali species iuxta eundem authorem aquas subducit. BRASS. Imò & aliæ species à septima idem efficiunt. RENA. Gale. notat nonnullos putasse lathyrin Tithymali speciem esse, tum quia similiter illis succũ habeat, tum quòd eodem modo purgat; totáque illis facultate assimilis est, nisi quòd semen gustantibus dulce videatur, quod sanè etiam maximè purgatiuam vim obtinet. BRAS. Gal. & de pityusa idem fatetur, nonnullos scilicet illam existimasse Tithymali speciem, quòd succum habeat vt illæ, quódque similiter illis purget, cæteráque omnia viribus illis est adsimilis. RENA. Ergo & pityusa bilem & pituitam simul educet? BRASS. Imò & aquas. RENAT. Cur Dioscorides dicit solum purganti per aluum radice denariis duobus in aqua mulsa pota, semine vno, folio tribus, lacte ligula collecto, in catapotium farina. BRASS. Et si nõ dicat

bilem

bilem & pituitam detrahere, neque more Tithymali euacuare, tamen subintelligēdum est, cum de Tithymalis statim locutus sit, & hæc præterea lac habet. Plinius lib. 24. cap. 6. ait pityusa bilem & pituitam per aluum detrahit, radicis decocti hemina, aut seminis ligula in balanis indita. RENA. Hæc est illa herba, in qua de radice adiectum est, quod illam turbith vocāt. BRASS. Est illa inquam, notáque & chamæsycem easdem habere vires, licet Dioscorides solùm dicat, quòd rami ipsius mādūtur cocti, vt aluum subducant, cùm sit inter herbas, quæ easdem habet vires enumerata, præter id, quod experientia illud efficere ostendit, & huius etiā herbæ succus, ad drachmas duas bilem & pituitam educit. Gal. de ea dicit quòd vim habet abstergendi, & acrem. RENAT. De maiori heliotropio à Dioscoride scriptū est, quòd radicis ipsius fasciculus in aqua decoquitur, ad pituitam bilémque detrahendam per aluum. BRASS. Miror cur Dioscorides mentionem non faciat de seminibus, quòd aluum subducant, cùm ad drachmam sumptæ id efficere possint. REN. Radicis verò decoctum ad quantam copiam id efficere valet? BRASS. Ad sex vncias, de chamæleæ foliis à Dioscoride

ſcriptum eſt, quòd pota pituitam & bilem per aluum exigunt, præſertim ſi in duabus abſinthij partibus ex aqua mulſa in catapotia deuorentur. RENA. Nónne & ipſius decoctum idem efficit? BRAS. Omnino, imò neceſſe eſt ſemper cum alio ſumere, ne linguam & os exulcerent, infuſáque folia hoc vehementius efficere videntur, quã decocta. RENA. Ad quantam copiam folia infumuntur? BRASS. Ad drachmam vnam in ſubſtantia, in infuſione verò vel decoctione ad drachmas quatuor. eadémque erit ponderis ratio in ſeminibus. De vino elleborite Dioſcorides mentionem facit, & aluum ſoluere dicit, tamen de humore quem attrahat, nullá mentio habetur. RENA. Arbitrandũ eſt eoſdem educere humores cẽſuiſſe, quos elleborus ipſe educit. BRAS. Ita ratio dictat, & ita eſſe conſtat, de vino verò ſcãmonite particulariter refert, quod bilem & pituitam per aluum trahit. RENA. Ex vnoquoque ſimplici medicamento vina confici poſſe arbitror. BRASS. Et quid impedire poteſt? RENAT. Nihil prorſus, ſed inferendũ eſt, vina illa herbarum quas recipiunt vires ſeruare. BRASS. Et hoc quoque conſtat, ſed de medicatis vinis ſeorſum in libello tractabimus, in quo omnia referemus talium

lium vinorum genera, & eorum vires ac conficiendi modos. multi sunt, qui adiantum bilem & pituitam educere fatentur. RENA. Neq; Dioscorides neque Gal. hoc scriptũ reliquêre, tamen aluum subducere nulli dubiũ est, tales verò humores educere non constat, imò & cur educat miror, cùm Dioscorides dicat, quòd stomachi fluxionibus medetur, & quòd sanguinis fluxiones cohibet, & Gale. ait ventris profluuium cohibere. quod si faciat, quomodo educere posſit ambigo. BRASS. Adiantũ est herba illa, quæ capillus Veneris etiam vocatur, quæ si in aqua ebullierit, ventrem subducit, at si arida infumatur, eundẽ ventrem cohibere videtur, millies vsus sum hoc decocto ad ventrem emolliendum:

℞. Capillorum Veneris
Passularum
Singulorum ℥ j.
Sebesten nu. 20.

Misc. & in iure ebulliant, nunquàm me fefellit. Nam semper ventrem subducit, sed nõ determinatos humores, imò nonnunquàm pruna addidi Iberica, loco sebesten, vel myrobalana. RENAT. Decoctum hoc ventrem emollire potest, at mirum videtur, cùm capillus Veneris decoctionem nõ ferat, illum velle decoquere. BRASSA.

Vltimo inditur loco, vt diutius non ebulliat, at passulæ, pruna, ac sebesten diutius ebulliri sinuntur. Verùm nõnulli sunt qui non contenti, quòd adiantum bilem & pituitam subducat, atram bilem etiã educere censent. RENA. Hoc absurdum esse arbitror. BRASS. Experientia ipsa hoc tibi ostendet, si experiri volueris. RENA. Audiui cyclaminis radicem bilem & pituitã subducere. BRASS. De pituita & aquis à Dioscoride proditum est, de bile verò nulla fit mentio; sed nonnullos deceptos esse arbitror, qui cùm luteã aquã videre, bilem esse arbitrati sunt, cùm sit tantùm biliosus ichor. RENA. In quanta præbetur copia? BRAS. Radix illa in mortario ad quatuor drachmas adeò tunditur, vt facilè mulsæ aquæ misceri possit ac bibi, tamen eundẽ effectum facere potest, & ipsius succus ex mulsa insumptus vel ex zucaro dulcoratus. Sunt & qui fateãtur cucurbitæ domesticæ succum ad trium cyathorum quantitatem, cùm hemina vini albi calefacti & olei semiuncia bilem & pituitam detrahere. RENA. Túne hoc verum esse arbitraris? BRASS. Ego subducere scio, sed humores nõ distinxi, vt coniectus sim stomachum refrigerando id effecisse. RENA. Legitur de Damasonio, quod Alisma Dioscori

ſcorides vocat, duas haberi partes, quæ bilem & pituitam educunt, radices ſcilicet, & ſuccum. BRAS. Dioſcorides oppoſitum dicit aluum ſcilicet ſiſtere, imò neque aliſmos, quem & Damaſonium vocari dicit, pituitam & bilem, per aluum euacuat, licet à dioſcoride ſcriptum ſit, quòd radix drachmæ pondere in aqua mulſa pota, tormina diſcutiat. RENA. Experiri poterimus, nam magni viri ſunt, qui id dicunt de Damaſonio illo, quod Aliſma vocat Dioſcorides. BRAS. Sunt, qui dicant ſalis florem bilem & pituitam ſubducere, & hi Serapionem adducunt, tanquam huius rei au thorem, cùm id ſolum à Serapione dicatur. Ex vino & aqua aluum ſubducere. RENAT. Nónne iſtud ſuperiùs notatum eſt? BRASSA. Et ſuperius etiam additum humores craſſos ac viſcoſos educere iuxta Meſuen, & pituitoſos, quod & ſal ipſum efficit. RENA. Et cnidium coccum hoc eſt granum chidium bilem & pituitam educere exiſtimatur. BRASSA. Imò & educit, ſuperiùs etenim in chamælea de eo locuti ſumus, cùm dicebamus illius ſemen bilem educere & pituitam, imò nunc addo idē efficere & Thymælææ ſemen, quod & cnidium granum vocari dicit Dioſcorides, & oleũ ex cnidio grano eoſdem etiam

educit humores, licet de Thymælea mentionem solùm faciat Dioscorides, quòd aquas educat. RE. Legi & syluestris lychnidis semen bilem pituitámque subducere. BRAS. Dioscorides de bile tantùm meminit, dicítque oleris modo & cruda & cocta edi. RENAT. Aliqui putarunt esse vocatam iecorariam. BRASSA. Decipiuntur, quia iecoraria, vel hepatica, alia herba est frigida potius & adstringens. veruntamen circa maritima herba quædam nascitur, vulgaris quidem illa, folio hæderaceo, flore purpureo, lilij effigiem habente, quæ supra saxa irrepit, & propinqua virgulta, quam nonnulli lychnitim vocant, fortè hæc est illa lychnitis, quæ bilem & pituitã educit. REN. E'sne expertus? BRA. Non sum expertus, at si cõtingat me proficisci cũ Illustriss. Duce nostro ad sua maritima loca, tunc experiar. REN. A' nonnullis recẽtibus scriptũ est peucedani radicem bilem & pituitã subducere. BR. Hoc Dioscoridi repugnare videtur, qui ait ventrem molliter ciere. RENA. Alij etiam de pinocomi radice aiunt, quòd pituitam & bilem educit. BRASSAVO. Hoc neque à Dioscoride, neque à Galeno scriptum est, sed Dioscorides ait, radix eius in aqua mulsã aluum & bilem extenuat, nullam

de

de pituita mentionem facit, neque Galen. ait, quòd pituitam euacuet, sed inquit, radix fructus & folia vim habent digerendi, attrahendíque, & denique bilem flauam expurgandi. RENA. Nonnulli etiam dicunt Thapsiæ liquorem, & succum & radicis corticem bilem & pituitam per inferna, & per vomitum purgare. BRASSAVO. Galenus mentionem non facit, quòd educat, sed quòd violenter excalfacit, & violenter trahit, Dioscorides de bile solum meminit, nam ait, vsus eius in medicina purgãdi cortice radicis & succo item sapore, qui ex incisa legitur, ita vt bibatur ex aqua mulsa, vtrinque detrahunt omnia hæc bilem. Radix quatuor obolis cũ anethi semine tribus drachmis, succus obolis tribus, lac singulis obolis datur, imò addit largiore potu periculum afferunt, vt de pituita nullam mentionem factam esse deprehendi posit, quanquam & illam attrahere posse non dubitem. REN. Dioscorides forte hoc non nouit. BRAS. Neque vnus quisque omnia potest. Tamen cùm notauerit aluum subducere, & bilem euacuare (si experientia hoc vidit) mirum est, quòd & pituitam subductam non viderit. RENA. Quid sentis de empetro? BRAS. Plinius de eo mentionẽ facit ratione qua

purg

purgat,& ait libro 27.capite 9.Empetrum, quò propius mare fuerit, minus salsa est, potúque bilem trahit,ac pituitas, quo longius magísque terrena amarior sentitur, trahit aquam. sumitur autem in iure aliquo aut hydromelite. REN A. Cùm aquas educit, éstne etiam bilis & pituitæ eductiua? BRASSA. Et hæc eadem educere credendum est. REN. E'sne expertus? BRAS. Non sum expertus. REN. Legi de elæomeli,quòd cruda & biliosa educit. BRAS. Si apud aliquẽ fide dignum authorem inueniatur,dicere possemus per cruda pituitam esse intelligendam, sed apud Plinium reperio (quod superius in bilem eucuantibus notatum est) lib.23.cap.4. quòd emollit & bilem præcipuè detrahit duobus cyathis in hemina aquæ datis. REN A.Súntne alia simplicia, quæ bilem & pituitam subducere possent? BRASSA. Impræsentiarum nulla alia nobis occurrunt. REN A. Reperiuntúrne in pharmacopoliis composita medicamenta, quę hos solos humores, bilem scilicet & pituitam educere posśint? BRASSA. Imò multa adsunt, vt Diaphinicon cõfectio Brassaulica nostra antiqua. Nam impræsentiarum illam immutauimus, & omnes humores educere fecimus, Diacarthamum,Electuarium de sebesten,
Elect

Electuarium indum, pilulæ de hiera magna, pilulæ mastichinæ, pilulæ assaiaret, pilulæ de rhabarbaro, pilulæ de tribus cum rhabarbaro, pilulæ de Agarico, pilulæ aureæ, pilulæ cochiæ, pilulæ de serapino, pilulæ de mezereon, pilulæ de heupatorio, pilulæ de hermodactylis, pilulæ alandaal, vel Trochisci alandaal, pilulæ de benedicta. RENA. Multa ergo sunt in pharmacopoliis composita medicamenta, quæ hos humores educere valent. BRASSA. Tot sunt, quot enumeraui in Ferrariensibus pharmacopoliis, & hi humores sunt cæteris frequentiores. REN. Superest, vt de more illa huc afferas medicamēta, quibus ad hos duos tantùm educēdos humores vsus es, & imbecillia, mediocria ac vehementia distinguito. BRAS. Quod nunc sequitur medicamentum, imbecille est, quod & imbecillo homini præberi poterit, vocaríque debet phlegmacholagôgum leue.

℞. Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum luteorum
Singulorum ʒ ß.
Rhabarbari electi ʒ j.

Misc. & infundantur in sex vncias aquæ caprillorum Veneris per decem horas, posteà exprimantur, & in expresione dissolue
Floris cassiæ ʒ. iiij.

Alo

Aloës lotæ ℈ j.

Misceãn. & conuenienti hora præbeatur.

RENA. Cùm multi sint, qui medicamenta negligant, quæ in potu sumuntur, quid his præbendum erit, cùm facilius catapotia deuorare valeant? BRAS. Pro his hæc, quæ sequuntur catapotia seruari poterũt.

℞. Rhabarbari electi
Agarici
Myrobalanorum luteorum
Myrobalanorum chebulorum
Aloës lotæ
Singulorum ʒ j.

Misce. & cum flore casiæ globus conformetur, è quo deinde pilulæ fiant, quarum sumenda quantitas est à drachma vna, vsq; ad duas, & iterum ex casiæ vocato flore conformentur, at si cuipiam libuerit, hæc in puluerẽ redacta ex iure insumere, huic concedatur, si in maiori copia prædicta insumantur medicamenta, ex leuibus fortia euadere poterũt, tamen & hoc quod sequitur mediocre erit phlegmacholagogũ:

℞. Centaurij minoris ʒ ij.
Radicum iridis ʒ j.
Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum luteorum
Singulorum ʒ j. ß

Misc. & infundantur in sex vncias aquæ ca

pil

pillorum Veneris per decem horas, posteà exprimantur, & in expresione dissolue

Rhabarbari electi ℥ j.

Misc.& cōuenienti hora præbeatur. Pro his verò, qui medicamēta potabilia sumere nō possunt, hoc pilularum genus conficiatur, ac seruetur, quod mediocriter euacuabit.

℞. Rhabarbari electi
Aloës lotæ
Agarici
Singulorum ℥ j.
Radicum iridis
Centaurij minoris
Singulorum ℥ ß.
Elaterij ℈ j.
Salis gemmæ
Zingiberis
Cinnamomi
Anisorum
Singulorum ℈ vj.

Misc. & ex lacte alicuius Tithymali conficiatur globus, & potissimùm (si fieri possit) sit lac characias, quod est primum iuxta Dioscoridem ac Gal. Tithymali genus. posset & harum pilularū puluis in iure bibi, antequàm sit confectus globus, & posteà quàm erit cōfectus, & exiccatus, si in puluerē redigatur. R E. In quāta copia pręberi possunt hæ pilulæ? B R A S. A' drachma

vna

vna vsq; ad duas. At si in maiori copia præberentur, mediocritatem transirent, & inter vehementia medicamenta numerari possent. Vehemens autem erit phlegmacholagôgum hoc quod sequitur:

℞. Foliorum cucumeris anguini
Centaurij minoris
Radicis Iridis
Singulorum ʒ j.
Ellebori albi
Agarici
Singulorum ℈ j.
Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum luteorum
Singulorum ʒ j. ß.
Assari
Cinnamomi
Zingiberis
Amidis
Anisorum
Seselidis
Singulorum ℈ ß.
Salis gemmæ ℈ j.

Misc. & infundantur in sex vncias infusionis senæ per decẽ horas, posteà exprimantur, & in expresione dissolue
Rhabarbari electi ʒ j.
Elaterij ℈ j.

Misc. & hora cõueniẽti adhibeatur. Si quis

verò

verò esset, cui medicamenta quæ in potu sumuntur displicerent, hic poterit sequentia deglutire catapotia:

℞. Centaurij minoris
Radicum Iridis
Polypodij
Singulorum ʒ j.ß.
Rhabarbari electi
Agarici
Myrobalanorum luteorum
Myrobalanorum chebulorum
Singulorum ʒ j.
Elaterij ʒ ij.
Radicum ebulorum ʒ.ß.
Scammonij ℈ ij.
Seselidis
Zingiberis
Amidis
Gariophyllorum
Cinnamomi
Gummi Arabici
Anisorum
Masticħes
Singulorum G̃ x.
Salis gemmæ G xv.

Miscean. & ex Tithymali lacte, & potissimùm characias cõficiatur globus. Cùm verò pilulæ insumendæ conficiuntur, reformẽtur ex flore cassiæ, quãtitas verò insu-

menda est à scrupulis duobus vsq; ad quatuor, & hoc etiam quod sequitur, vehementissimum est ad bilem & pituitã educendas medicamentum:

℞. Turbith ʒ. ij.
Scammonij ʒ j. ß.
Seminis heliotropij maioris ʒ j.
Seselidis
Amidis
Anisorum
Cinnamomi
Zingiberis
Gariophyllorum
Gummi arabici
Mastiches
Singulorum Ǧ x.
Salis gemmæ
Camphoræ
Singulorum Ǧ viij.

Misc. & fiat puluis subtilissimus, qui potest in catapotia conformari, ex iure bibi, aut alio liquore, in placentulas digeri, & in ientacula, & quomodocũq; insumatur, semper vehementer educet. RENA. Ad quantam copiam adhibendus est? BRAS. Ad integram drachmã, si hi humores vehementer attrahendi sunt. RENA. Non auderem in tam magna præbere copia. BR. In minori copia educent quidem, sed non vehem-

vehementer, quod in medicamento expetitur. RENA. Esséntne præbenda eiusmodi medicamenta in febre, si febris minor sit, aut nulla febre teneatur, qui purgandus est? BRASSA. Vt scripta sunt insumere oportet. Si verò vehemens esset febris, frigida aliqua commiscere oporteret, & ex aqua endiuiæ vel cichoreæ prębenda. RENAT. Huncordinem seruandum esse non dubito. BRASSAVO. Illud quoque obseruandum est, vt consideretur à quo membro humores sunt educendi (vt superius dictum est) & simplicia illa commiscenda sunt, quæ medicamentum ad eiuscemodi membra conducunt, ac dirigunt, de his verò medicamentis sermonē seorsum habituri sumus, si prætereà alicui placuerit ex simplicibus enarratis alia cōficere medicamēta, hoc illi spōte cōcedatur, & ille sibi paret imbecille, mediocre, ac vehemēs, vt illi visum erit, & vt simplicia in prōptu habebit, at hic etiā sciat illa, quæ cōficiet, nō esse experiētia cōprobata, cùm illa, quę nos adduximus, sint nō semel experta, & in omni ætate, omníq; sexu cōprobata. RE. Nónne & ex ebulo vinum, & elaterio, idē efficere poterūt, bilē scilicet, & pituitā educere? BRA. Imò & superius diximus vnum ex vnoquoque simplici

medicamento, simplicis naturam seruare, tam vehementer vinum ad sese simplicium vires attrahit, at tempus iam esse videtur, ad aliud caput transire. RENA. Vt lubet facito.

De medicamentis tam simplicibus quàm compositis, quæ bilem & atram bilem solas educere possunt.

CAPVT VIII.

BRASSAVOLVS.

ILla impræsentiarum contemplemur ac in medium afferamus, quæ bilem, & atram bilem, & nullos alios præter hos humores educere apta sunt, cùm in debita sunt exhibita copia. RENA. Hoc fortè dicis, quia si in maiori insumantur copia, humores omnes (postquàm proprios eduxerint) purgare valent. BRAS. Hæc fuit causa, vt de conuenienti medicamentorum quantitate mentionem fecerim. RENA. Multa esse quæ bilem & atram bilem solem solas educant medicamenta, non arbitror. BRASS. Tamen tot sunt, vt pro illis euacuãdis sint satis, cum verò paucissima sint simplicia, quæ humores aliquos educere valent, tũc compositis vti necesse erit,

inter

inter alia verò simplicia, quæ hoc præstare dicuntur, Fumaria herba vna est, quam & bilē, humores atrabilares ac adustos subducere fatentur. REN. Dioscorides de adustis humoribus mentionem non facit, sed de bile tantùm, imò neq; meminit, quòd per aluum educat, sed per vrinas tantùm. Nam dicit comeditur vrinis ciendis herba, biliosásq; eas pellit. BRA. Tamen adustos humores subducere experientia constat, imò & salsos præter bilem sanguinémq; purificat, cùm iecur praue affectum est, & haud rectè sanguificat, educere verò planum fiet, si quis duas ipsius succi vncias ebiberit, vt multi in Vere faciunt, alij herbam ipsam in caprini seri pateram per totam noctem infundunt, manéq; bibunt, & hi si perseuerauerint manifestè soluuntur, bilisq; in subductione apparet, & adusti humores. Gale. etiam dicit vrinam biliosam, multámque prouocare, & iecoris obstructiones sanare atq; debilitates. RENA. Tamen mentionem non facit, quòd bilem & atrā bilem subducat. BRAS. Hoc illos latebat, imò Gal. de plebeio quodam exemplum ponit, quod planè ostendit, nisi ille fuisset, quòd an per aluum educeret ignorabat, inquit verò, Plebeius quidā ea vti solebat ad stomachum roborandum, vnáq;

ventrem lubricandum, siquidem herbam primùm desiccatam tundebat, porrò cùm vti volebat, subductionis quidem gratia, melicrato inspergebat, roborãdi verò causa, vino nimirum diluto. RENA. Hoc vtitur exemplo, quod non vidit etiam, sed ab ipso audiuit plebeio. BRASS. Iccirco illi ignotum erat, quòd fumaria vẽtrem subduceret, & quòd humores aliquos per aluum educeret, nedum bilẽ, & atrã bilem. RENA. Miror tamẽ, quòd experimentum non sumpserit. BRASS. Erat solùm in magno vsu ad oculorum aciem perficiẽdam, & ad humiditatem exhauriẽdam, nam lachrymas ciet eius succus perunctis oculis, vt facit fumus, inde fumaria herba dicta est. REN. Mesue est, qui fumariam herbã hos humores subducere fatetur. BRA. Et ab aliis sumpsit Arabibus. Mesue autem verba hæc sunt: Solutionem facit facilem, & educit choleram, & adustos humores, & virtus eius tendit ad venas & mundificat sanguinem, & clarificat ipsum, & est medicina solennis, secundum omnem modum administrationis eius ęgritudinibus & infectionis choleræ, & humoris adusti, vt est lepra, pruritus, scabies, impetigo, herpigo, & similia. RENA. Quot fumariæ partes in vsu veniunt? BRASSA. De partibus

nihil

nihil dicam: sed modos afferam, quibus in vsum venit, quia tota herba insumitur cum floribus, radicibus, & nonnunquàm seminibus, in vsum autem venit succo decocto, infuso & puluere, his modis præbetur succus iuxta Mesuen: Ab. vncia semis adhibetur, vsque ad duas, decoctio autem præbetur ab vnciis decem vsque ad quindecim. De infusione nihil dicit Mesue, at nos præbemus ab vnciis quatuor vsque ad decem, quando vna herbæ vncia infunditur, notáque maiorem habere in infusione efficaciam, quàm in decoctione, quia amplam non patitur decoctionem, in puluere præbetur à drachmis tribus vsque ad quinque, secundum Mesuen, nos præbemus & in catapotia hunc puluerem, & in iure bibendum, & in melicrato, vt Galeni Plebeius insumebat, plerunque in iure caulium adhibuimus, túncque visus est atros humores atque adustos magis educere, quandoq; puluerem hunc in placentulas conformari iussi, quandoq; in vocata ientacula. REN. Singulo vere est maximus succi vsus Ferrariæ, cum sero, aut cum aqua hordei, aut infusionis in serum, his qui habent aut scabiem, aut in toto corpore pruritum, vidi etiam, qui herbam ederint, & mulieres quę ex farina, aqua, & hac

herba pastillos conficiebant, quos in sartagine ex butyro frigebant, vel ex oleo & edebant. REN A. Bilem educere arbitror, & humores adustos, id est ipsam adustam bilem. B R. Ita prorsus censuissem, nisi his oculis nigram bilem eductam vidissem, at adusta bilis nigra non est, sed colorem habet leoninæ pellis, intensiorem verò, & magis obscurum. R E N A T. Est etiam Mesue sententia serum lactis bilem, & atram bilem euacuare. B R. Imò vt melius educat mel additur, nam dicit per se esse imbecillæ solutionis, & esse fundamentum infusionum, vnde addit mel, vt eius actio vehementior euadat, imò & lupulos addit, ac lapidem lazuli. R E N A. At impræsentiarum de solo simplici verba facimus, secus enim est de compositis loqui medicamentis. B R A. Verum est, propterea de ipsomet solo sero, inquit, quod solutione educit bilem, & humores adustos cum facilitate, & quòd quantitas ipsius solius est ab vnciis sex vsque ad duodecim. ita enim dicit Mesue, tamen nos præbemus ad duas, & tres libras, & Mediolani ac Cremonæ Medici post medicamentorum subductionē, pro lauatiuo vt vocant, serum præbent in magna copia, vsque ad phialam, scilicet ferè communem. R E N. Gal. non dicit, quòd bilem

lem vel atram bilem subducat, sed quòd ventrem subducit. Est verò in 10. de simplicium medicamentorum facultatibus lib. cùm ait, extergere & adhiberi subducendi ventris gratia, & per clysteres iniici, notátque extergere, & abluere sine mordicitate intestinorum acrimoniam. BRASS. Et Dioscorides etiam de sero loquens, mētionem non facit, quòd aliquos educat humores, sed tātùm quòd purgat, & validiùs etiam, quàm faciat lac, ita verò dicit: Annexus est omni lacti humor aqueus, serum vocatur, hoc diuisum à lacte validiùs purgat, datur quoties sine acrimonia fieri deiectiones libeat, túmque melancholicis, comitialibus, in lepris, Elephantiis, eruptionibus pituitæ in quacunque corporis parte, ex his inferendum est ventrem quidem subducere serum, sed non determinatos humores. REN. Tamen melancholicos morbos enumerat Dioscorides, quibus conferre dicit. BRA. Duobus confert modis. Primò per os iecur & sanguinem rectificando, suáque frigiditate ne adurantur humores prohibendo. Secundò, extrinsecus supra illos affectus applicando, tamē cum aliis rebus atram bilem educit. REN. Audiui & senam, & coluteæ folia bilem tram ac flauam subducere. BRA. Iam di-

ctum est hos humores ab his herbis educi, sed & alij vnà cum his subducuntur, vt pituita, & ichores, iccirco nõ erit proprium ad hos duos solos educendos humores medicamentum. RENA. Legi & de Nymphæa, quam vulgus Nenuphar dicit, flauam bilem, & atram educere. BRASSA. Non tantùm hos humores non educit, sed neque simpliciter educit, imò Dioscorides illam dysentericis præbet, & ad fœminarum fluxiones, additque potam insomnia Veneris pellere, & si quis (ait) per aliquot dies ipsius radice vescatur, totam adimit Venerem genitalibus remissis, & Gale. dicit, cùm exiccet citra morsum, propterea alui profluuia cohibere, & præfert Gale. in adstringendo albam Nymphæam nigræ. RENA. Vna habet florem album, altera luteum, cur distinguuntur per album & nigrum, & non per album & luteum? BRASSA. Non distinguuntur ex floribus, sed ex radicibus. Nam vna habet radicem albam, altera nigram, & ita per album & nigrum distinguuntur, & non per flores. RENAT. Illi ergo qui fatentur hanc Nymphææ radicem bilem & atram bilem subducere, aberrant? BRASSAV. Et toto cœlo, nam neque flores hos humores educunt, neque radix

dix,neq; aliquod aliud, quod ad hanc plantam spectet, licet à Plinio scriptum sit lib. 26.cap.8. Nymphæam aluum leniter soluere,in vino austero. REN. Id fortè cōprimendo facit,& ad hoc peragēdum nō modicè adiuuat austerum vinum. BR. Nonnulli etiam arbitrati sunt cynocramben, hoceſt caninā brassicam bilem & atram bilem subducere. RE. A' Dioscoride dicitur,quòd huius caulis & folia in olus condita,cient aluum,& quòd aqua in qua decoquitur,bilem,humoresque trahit. BRA. At de atra bile mentionem non facit, nisi illam sub humoribus intelligamus, cùm ait,humorésq; trahit,scilicet atrabilares. RENA. Hæc vna erit ex herbis de qua experimentum faciemus. BRA. Neq; nobis difficile erit, cùm aptum tempus præsentabitur. RENA.Legi & polion biliosa ac atra subducere per aluum ex oleo chamæmelino. BRAS. Hoc fortè est,si per clysteres iniiciatur. RENA. Et ego ita intelligendum mihi persuaseram. BRASS.Veruntamen an ita sit, ignoro, at ea quæ in intestinis sunt,educere non vereor;Dioscoridésque ait vētrem soluere & menses. De bile autem flaua vel atra nullam mentionem facit. Ferunt & tragoriganum Heracliotieum eosdem humores educere pos-

se.

ſe.REN. Dioſcorides dicit eſſe facilem ſtomacho,& educere quidem,ſed pituitas nō autem biles,imò Gale.de ſylueſtri origano,& de tragorigano dicit,quòd incidendi vim habent extenuandi,calefaciendi,& particulariter de tragorigano ait, quod aliquid aſſumpſit adſtrictionis.BRA. Tragorigani decoctum experiri haud difficile erit,quòd autem atrę bili aduerſetur,id ſuadere poteſt, quia à Dioſcoride dicitur ſplenicis quoque vtiliter in aceto bibi, tamen quicquid ſit,experientia deteget.RENAT. Ferunt & polypodium bilem & atrā bilem detrahere per aluum.BRA. At Dioſcorides de bile ſolùm mentionem facit, & pituita, Arabes verò addunt & atram bilem,iccirco ad huius loci propoſitū haud facit,neque Mercurialem herbam in medium adducturus ſum; licet ab aliquibus dicatur,quòd bilem,& atram bilem detrahat,cùm à Dioſcoride ſolùm mentio fiat, quòd oleris modò cocta bilem & humores alui detrahat,ſi vnà & aqua in qua eſt decocta,bibatur.RENA. Ego etiam intelligerem bilem educere,non quidem à venis,ſed ſi in viis ſit, ac inteſtinis. BRA. Ita intelligendum eſt,tamen ſi atra bilis & pituita in eiſdem eſſent viis, vnà educerentur,de bile tamen quòd educatur,mentionem

nem etiam facit Plinius lib.25.cap.5.cùm ait: Mercurialis aluo soluendæ vel in febri decoquitur, quãtum manus capiat, in duobus sextariis aquæ ad dimidias, bibitur sale, & melle admisto, necnon cum vngula suis, aut gallinaceo decoctũ, salubrius purgationis causam putauêre, aliqui vtranq; dandam, siue cum malua decoctum bilem detrahunt, hæc Plinius citato loco. RENA. Videtur & à venis intelligere bilem ipsam educi. BRAS. Hoc nullis verbis expresit, nisi intelligamus id contineri sub particula purgationis. Multi etiam faciunt epithymum bilem & adustos humores subducere. REN. Cum Dioscorides Thymo attribuat, quòd pituitam per aluum educat, eandem pituitam & epithymum educere non erit ambigendum, cùm Thymi vires sapiat. BRA. Gale. de Thymo, quòd viscera expurget scriptũ reliquit, sed quòd atram bilem vel flauam educat haud docet. At Arabes censent epithymum atram bilem subducere, nonnullique addunt, & aliquid pituitæ. RENATVS. Quicquid sit, humores illos non educit, qui ad nostræ contemplationis propositum faciunt. BR. Non prorsus, sed illos tantùm educit, quos Arabes referunt, vt experientia ostendit, atram igitur bilem & pituitam

ed

educet. BRAS. Ita inuenies, si alicui ægro præbueris. Verùm & nonnulli Arabes iudicant, veteris galli ius, atram bilem ac flauam educere. RENA. Si rectè memini apud Serapionem atram bilem educere legi, & nullam facit de flaua mentionem. BRASS. Ego ius hoc inter lenientia pono, quæ aluum lubricam reddunt, & est materia ad recipiendas omnium medicamentorum vires apta, nulla alia adsunt simplicia, quæ sciuerim, bilem & atram bilem educere valentia. RENA. Súntne in pharmacopoliis composita aliqua ad hoc præstandum apta? BRASS. Adest electuarium de psylio, puluis senæ. REN. Tu modò illa referas composita medicamenta, quibus ad hoc peragendum vsus es. BRAS. Hoc, quod sequitur leue est medicamentum, ad vtrasque biles educendas:

℞. Myrobalanorum Indorum
Myrobalanorum luteorum
Singulorum ʒ j. ß.

Misc. & contundantur crasso modo, & in quatuor vncias infusionis senæ per decem horas infundantur, posteà exprimantur: & in expressione dissolue syrupi de fumo terræ vnc. ij. audias & aliud, quod leue est, ac placidum, & quod absque vllo incommodo educet:

℞. Myrobalanorum Indorum
Myrobalanorum luteorum
Rhabarbari electi
Singulorum ʒ j.
Salis gemmæ ℈ j.

Infundantur in sex vncias seri caprini per decem horas secundum artem, posteà exprimantur,& in expresſione diſſolue
Syrupi de fumo terræ ℥ ij.

Cum autem nonnulli reperiantur, qui medicamenta,quæ potu ſumuntur, nō ferūt, pro his catapotia, quę ſequūntur confecta ſeruentur.

℞. Rhabarbari electi
Myrobalanorum Indorum
Myrobalanorum luteorum
Singulorum ʒ j. ß.
Salis gemmæ ℈ ij.

Miſc. & cum ſyrupo de fumo terræ fiat globus, de quo accipiatur à drachma vna vſque ad duas. REN. Quibus verò mediocriter educentur hi humores? BRAS. His prædictis,ſi copiosè inſumantur,& præterea illis,quæ ſequuntur vtraſque biles mediocriter educentibus.

℞. Epithymi ʒ j.
Origani
Pulegij
Singulorum ʒ ij.

Po&

Polypodij ʒ ß.
Myrobalanorum Indorum
Myrobalanorum luteorum
Rhabarbari electi
Singulorum ℈ ij.
Salis gemmæ ℈ ß.
Misc. & infundantur in decem vncias seri caprini secundum artem, vel asinini, vel bubuli, si aliud haberi non poterit, postea exprimantur, & in hoc expresso dissolue:
Syrupi de fumo terræ
Syrupi de epithymo
Singulorum ℥ ij.
Misceantur, & conuenienti hora propinetur, & hoc etiam quod sequitur, mediocre est ad hos duos humores solos educẽdos:
℞. Stœcadis
Epithymi
Origani
Pulegij
Thymi
Singulorum ʒ j. ß.
Polypodij ʒ j.
Myrobalanorum Indorum
Myrobalanorum luteorum
Rhabarbari electi
Singulorum ℈ j. ß.
Salis gemmæ ℈ j.
Misc. & infundantur in sex vncias infusio-

nis

nis senæ secundũ artem, posteà exprimantur, & in expresſione diſſolue
Syrupi de epithymo ℥ j.
Syrupi de fumo terræ ℥ iij.
Miſ. & conuenienti hora præbeatur. REN. Si verò quiſpiã eſſet, qui potabilia abhorreret medicamenta, quibus vti deberet, vt hos humores mediocriter euacuaret? BRAS. Pilulis quæ ſequuntur vti deberet.
℞. Rhabarbari electi
Myrobalanorum Indorum
Myrobalanorum luteorum
Singulorum ʒ j.
Ellebori nigri
Scammonij
Singulorum ℈ ß.
Pulegij
Stœcadis
Origani
Singulorum G̃ xv.
Salis gemmæ G̃ x.
Aniſorum
Amidis
Amomi
Singulorum G̃ vj.
Miſ. & cum ſyrupo de fumo terræ fiat globus, posteà ex eodem ſyrupo pilulæ reformentur, quantitas ſumenda eſt, à drachma vna vſque ad duas. Veruntamẽ priuſquàm

fuerit cõglobata massa & syrupo de fumo terræ iuncta, vnusquisque eo puluere vti poterit, quomodo lubebit, & in quacũque placuerit forma. RENA. Nunc illa referas composita medicamenta, quæ hos humores vehementer educere possunt. BRAS. Ita efficiam, scito verò illa quæ prædicta sunt in maiori copia sumpta vehementia effici, & præsertim catapotia, in hoc quod sequitur vehemens est medicamentum ad bilem & atram bilem educendam:

℞. Fumi terræ
Polypodij
Epithymi
Senæ
Pulegij
Stœcadis
Origani
Myrobalanorum luteorum
Myrobalanorum Indorum
Polij
Singulorum ℥ ij.
Anisorum
Seselidis
Amidis
Zingiberis
Cinnamomi
Singulorum ℈ j.
Salis gemmæ ℈ ß.

Misc

Misc.& infundantur in seri caprini librã, posteà exprimantur,& in expressione dissolue

Scammonij præparati ℈ j.
Pulueris radicis ellebori nigri ℈ ß.

Misc.& conuenienti hora in potu præbeatur, hoc præterea quod sequitur, est vehemens medicamentum ad eosdem humores educendos:

℞. Infusionis senæ ℥ iiij.
Lapidis lazuli præparati ʒ ß.
Scammonij præparati ℈ j.
Zingiberis
Cinnamomi
Camphoræ
Anisorum
Singulorum G̃ x.

Misc.& conuenienti hora sumatur.Si quis autem esset cui potiones displicerent, hic catapotiis quæ sequũtur, vti poterit.Nam vehemẽtia sunt ad bilem flauam & atram educendam:

℞. Rhabarbari electi
Myrobalanorum luteorum
Myrobalanorum Indorum
Singulorum ʒ j.
Scammonij præparati
Lapidis lazuli præparati
Ellebori nigri

Singulorum ℥ j. ß.
Anisorum
Fœniculorum
Cinnamomi
Zingiberis
Salis gemmæ
Gariophyllorum
Gummi arabici
Mastiches
Singulorum ℈ j.

Mis. & cum syrupo de fumo terræ fiat globus, posteà cum eodem syrupo reformentur pilulæ, vel cum syrupo de epithymo, quantitas sumēda est à duobus scrupulis, vsque ad quatuor. RENA. Cùm præbentur quatuor scrupuli, vehemētissimè subducere debent. BRASS. Id prorsus facit. Obseruandum verò est, si vehemens adsit febris, frigida commiscenda sunt. RENA. Post bilem & atram bilem, quæ complicationes occurrunt enarrandæ?

DE

De medicamentis tam simplicibus, quàm cōpositis, quæ bilem & ichores solùm educunt.

CAPVT IX.

BRASSAVOLVS.

IVxta præscriptum ordinem medicamenta illa contemplanda occurrunt, quæ bilem & Ichores tantùm subducunt. REN. Quínam Ichores, biliosi'ne tātùm? BRAS. Cuiuscunque sint generis, & à quocunque humore emanent, vt de his agendum sit, quæ bilem & aquositates euacuāt. RENA. Audiui filicem fœminam hoc præstare, bilem scilicet & aquositates per aluū subducere. BRASS. Hoc legi apud Plinium de vtraque filice, cùm ait lib. 27. cap. 9. Filix vtraque aluum soluit, primò bilem trahit, mox aquam, sed & de Thelypteri ac pteri, idem legi, tamē neq; Dioscor. hoc dicit, neq; Gale. quin Gale. his omnibus attribuit aliquid adstringentis naturæ, verùm latos vermes peculiariter pellit. de Thelypteride verò Dioscorides dicit, quòd ipsius folia, quæ non pridem germinauerint cocta, & cibo insumpta, aluum emolliunt, de bile verò atq; aquositatibus nihil prorsus meminit. RENAT. Non erit difficile

experiri, & experimentũ ſumemus in foliis, radice, ac ſeminibus. BRAS. In ſeminibus non experieris, quia herba eſt, quæ neque caulem habet, neque florem, neque ſemina, vt Dioſcorides etiã teſtatur. REN. In foliis igitur experiemur & in radice. BRASS. Et etiam omni modo quo ſumi poſſunt, legitur & de canina braſsica quòd vim habet aquas educendi atque bilem. RENA. At Dioſcorides ait, ipſius caules & folia in os condita aluum ciere, & decoctũ bilem & humores attrahere, per humores fortè aquoſitates intellexit. BRASS. Ita ſentire ac intelligere conuenit, verùm & braſsica marina aquas educit, & bilem flauam. RENA. De illáne loqueris, quæ ſoldanella vulgò dicitur? BRAS. De illa inquam, quam ſuperius aquas educere ſcriptum reliquimus, ſed vnà etiã flauam bilem ſubducit. RENA. Dioſcorides aluum ciere ſimpliciter dixit, imò addit ab aliquibus propter acrimoniam ſuam coqui cum pingui carne, in his quæ ichores educunt, diximus, ſumi poſſe in decocto, in iure, in puluere, in catapotiis, in ſucco ad duas drachmas, & aquas educere, at ſemper nõnihil bilis admiſtum videbis. RENAT. Et Gale. etiam dicit, quòd ventrem deiicit, & nihil aliud addit. BRASS. Tamen experien

rientia ostendit in hydrope aquas subducere, & semper aliquid bilis commistum habere, imò & aliquid pituitæ si in viis reperiatur. RENA. Galen. hoc illi attribuere videtur, quia acris est, & amara, vtranque habere qualitatem expertus sum, nec diu est, quòd illam masticabam. BRASSAVOL. Verùm, si de illa masticabis, quæ in nostro viridario viret, has qualitates remissiores habere percipies. RENA. Non dubito ob solum, quia marinum solū expetit, imò statim cùm masticarem, salsedinem quandam persensi. BRASSA. Et hoc à Dioscoride notatur, cùm ait, gustu subsalsa, & quadam fini amara. REN. Ipsius qualitates ad gustū spectantes ad vnguem retulit Dioscorides, sed (vt dixisti) non vereor, quòd hæ qualitates, in ea, quæ in nostro viret horto, sint imbecilliores. BRAS. Nonnulli pignocomo hoc attribuūt, quòd bilem & aquas educat. RE. A Dioscoride dicitur, quòd aluū & bilem extenuat, fortè aluum aqua plenam extenuat, & vnà bilem subducit. BRASSA. Quidam etiam dicunt hypophais lachrymam bilem, ipsius verò radicem aquas educere, vnde mista simul radix & lachryma bilem & aquositates edunt. RENA. A' Dioscoride secus dicitur, nam de eius succo primo & synce-

ro dicit bilem, aquam, pituitásque detrahere oboli pondere per inferna. BRAS. Nisi de hac herba locuturi essemus, cùm de his quæ bilem, pituitam, & aquas educunt tractaturi sumus, alia quæ à Dioscoride notantur adducerem, sed in illud tempus differentur, at de Androsæmi semine hoc dicemus, quòd aquas & biles educit. RENA. De bile mentio quidem fit à Dioscoride, sed non de aquis. BRASSA. At in Dioscoride per aluum exonerandam, aquas educendas intelligo, quippe ait: Androsæmi semen teritur in potu ad bilem eiiciendam, exonerandámque aluum duabus drachmis, hoc verò de aluo exoneranda de alui grauitate intelligere opus est, at nunquàm grauior est, quàm cùm aqua plena est. Iccirco ita intelligi potest, quòd aluum exoneraret ab aqua, scilicet & à bile. RENA. Idem etiam intelligi posset de Mercuriali tam mari, quàm fœmina, nam de vtraque Dioscorides dicit, ventri soluendo decoquitur oleris modo, bilis & humor alui detrahitur aqua illa pota, in qua sint decocta, per alui autem humores aquositates intelligendas reor. BRASSA. Et præter bilem aquositates etiam educere experientia ostendit. RENATVS. Legi quosdam, qui de vrceolari herba hoc dicant.

cant. BRASSAVOL. Cùm ignorem quid sit vrceolaris herba, de illa nihil amplius dicam, nisi intellexerint perditium, quam Plinius libro 22. capite 17. vrceolarem herbam vocari dicit, at perditium (vt Dioscorides ait) est frigidæ & adstringentis naturæ, quod si ventrem subduceret, illud comprimendo faceret, & ita illa, quæ in viis sunt, tantùm euacuaret, cùm verò nihil aliud simplex nouerim quod bilē & ichores subducere valeat, ad composita pedem conferre par est. RENAT. Vt lubet agito. BRASSAVOL. Inter illa quæ in pharmacopoliis seruantur, vnū solum est, quod aquas & biles solas educere possit. RENA. Quod nam est? BRASSAVOL. Syrupus rosatus solutiuus, qui aliàs de nouem rosarum infusionibus vocatur. Sumitur verò ad quatuor vncias. RENA. Iam composita referto, imbecilla, mediocria, & vehementia. BRAS. Hoc est imbecille medicamentum ad ichores & bilem educenda,

℞. Brassicæ marinæ ℥ ij.
Myrobalanorum luteorum ℥ j.

Misceant. & infundantur in quinq; vncias aquæ endiuiæ secundum artem, postea exprimantur & in expressione dissolue

Syr. ros. solutiui ℥ ij.

Misce & conuenienti hora propinetur, si

quispiã verò pilulas eligeret, potiùs quàm medicamenta exsorbenda, hæc quæ consequuntur, deglutiat catapotia:

℞. Brassicæ marinæ ℥ iiij.
Myrobalanorum luteorum ℥ ij.
Lactucæ syluestris ℥ j.
Rhabarbari electi ℥ ß.

Misc. & cum syrupo rosaceo solutiuo fiat globus. Inde ex eodem syrupo conformentur pilulæ, quantitas insumenda est à drachma vna vsque ad duas. RENA. Si non haberetur marina brassica, quid eius loco accipiendum esset? BRASSA. Ebulorum radices vel iridis, quas aquas educere perspicuum est, licet & pituitam subducere ab authoribus scriptum sit, veruntamen pro maiori parte aquas attrahunt, hoc verò quod sequitur medicamentum mediocrè est ad bilem & aquas educendas:

℞. Rosarum damascenarum
Brassicæ marinæ
Radicum ebulorum
Singulorum ℥ ij.
Myrobalanorum luteorum
Rhabarbari electi
Singulorum ℥ j.

Misc. & infundantur in aquam absinthij secundum artem, posteà exprimantur, & in expressione dissolue

Syrupi rof.folutiui ℥ iij.
His verò quibus medicamenta quæ in potu sumuntur displicent, catapotia quæ sequuntur, adhibenda sunt:
℞. Myrobalanorum luteorum
Rhabarbari electi
Singulorum ʒ j. ß.
Radicum iridis
Radicum ebulorum
Singulorum ʒ j.
Brassicæ marinæ
Lactucæ syluestris
Singulorum ℈ iiij.
Misceant. & cũ syrupo rosato solutiuo fiat globus, & ex eodem syrupo quando opus erit conformetur, quantitas verò sumenda est à scrupulis duobus vsq; ad quinque, nunc vehementia audito medicamenta, quæ bilem & ichores subducere valent.
℞. Syrupi rof. folutiui ℥ iiij.
Succi brassicæ marinæ
Radicum ebulorum
Iridis
Singulorum ʒ j.
Cinnamomi
Zingiberis
Anisorum
Amomi
Amidis

Mastiches
Camphoræ
Singulorum ℈ x.
Misceant.& cum sero caprino vel alterius generis animalis potio conficiatur, quam cùm opus erit adhibeto. Quod sequitur vehemens etiam est:
℞. Syrupi rof.solutiui ℥ iiij.
Succi rosarum damascenarum
Iridis
Singulorum ℨ ij.
Anisorum
Zingiberis
Cinnamomi
Amidis
Seselidis
Camphoræ
Mastiches
Gummi Arabici
Singulorum ℈ x.
Diagridij ℈ xij.
Misc.& cum aqua Absinthij quantum sufficit, fiat potio, & si cuipiam medicamēta, quę exsorbentur displiceant, hic sequentia transglutiat catapotia, quæ & ipsa ichorē & bilem vehementer educere possunt:
℞. Scammonij præparati ℨ j.
Pulueris radicum iridis
Radicum ebulorum

Brassicæ marinæ
Singulorum ʒ ij.
Anisorum
Amidis
Amomi
Zingiberis
Cinnamomi
Salis gemmæ
Camphoræ
Mastiches
Singulorum ℥ vj.

Misceantur,& cum syrupo rosaceo solutiuo fiat globus, cuius sumenda quantitas est, à scrupulis duobus vsque ad quatuor, & cùm pilulę reformabuntur,id fiat ex syrupo rosaceo solutiuo. RENA. Arbitror & hic duo illa obseruanda esse, si vehemēs adsit febris, aliqua frigida esse commiscenda: si verò febris absit vel remissa sit, vt scripta sunt,præbeantur, & si hi humores ab aliquo particulari mēbro sint educendi,ea sunt commiscenda, quæ medicamenta ad illa membra conducunt. BRAS. Hæ regulæ semper subintelligendæ sunt. RENA. Ad alia impræsentiarum sermonem cõuertamus.

De

De medicamentis tam simplicibus, quàm compositis, quæ bilem & sanguinem subducunt.

CAPVT X.

BRASSAVOLVS.

NVnc de medicamentis agendum occurrit, quæ bilem & sanguinem educere valent, vel, melius loquamur, quæ bilem educunt & sanguinem purgat. REN. Cur hoc dicis, & cur his vteris verbis? nónne & qui educit, purgat? BRA. Vocabulum purgare euacuare quidem significat, sed etiam rectificare ac purum reddere, superius dictum est nulla esse medicamenta, quæ sanguinē euacuent, quin venena sint, neq; sanguis per medicamenta euacuādus est, sed tantùm per venæ sectionem, per cucurbitulas, per hæmorrhoïdas, per nares, ex hirudinibus, ac scarificationibus in poplitibus, ex vtero in mulieribus, sed hæc fiunt partim per instrumenta, partim per medicamenta, per medicamenta inquam non quidem sanguinem euacuantia, sed quæ vias aperiant, per quas transire debet, & sanguinem attenuent: vt ad exitus vias facilè moueri possit: instrumenta verò

nota

nota sunt, quæ illum educere possunt, nimirum nouacula, scalpellus, hirudines, cuspides, & eiusdem generis alia; nullum verò inueniri arbitror medicamentum, quod bilis & sanguinis eductiuũ sit: nam & si de colocynthide scriptum sit, quòd bilem & sanguinem euacuet, tamen id secundariò facit, imò & tertiò. nam primò pituitam educit, secundò bilem, tertiò sanguinem, & strigmenta, iccirco non solùm bilem & sanguinem educit, sed & alia simul, tamen composita confici possent, quę duos hos humores solùm educerent. Mesue docet volubilem maiorem quæ apud Dioscoridem videtur esse periclymenon, sanguinem educere. RENA. Imò & Dioscorides ait à Romanis maius inuolucrũ vocari, de quo inquit, quòd vrinam à sexto die cruentam ciet, hoc indicium est sanguinem educturum esse, si ita conficiatur compositio.

℞. Rhabarbari electi ʒ j.
Syrupi rosati solutiui ℥ ij.
Periclymeni ʒ ij.

Cum sero lactis caprini ad sex vncias bibatur, nam quæ bilem educunt medicamenta, sanguinem vnà educent, qui à periclymeno commouebitur, & ad vesicã non defluet, & hoc etiam quod sequitur, bilem

&

& sanguinem subducet:

℞. Scammonij præparati ℈ j.
Succi rhaphani satiui ℥ iij.

Misc.& propinetur.Imò & satiuum raphanum decoctum sanguinem educere testatur Plinius lib.20.cap.4. Nota verò inutilem sanguinem intellexisse. Est verò inutilis sanguis, non tantùm is, qui superfluus est, quantum is qui est extra venas, & amplius nutrire non potest, & lib.21.cap.19. de liliorum radicibus ait, quòd è mulso potæ inutilem sanguinem cum aluo trahũt. Poterit ergo pro bile educenda ac inutili sanguine hoc confici medicamentum.

℞. Rhabarbari electi
Myrobalanorum luteorum
Singulorum ʒ j.

Infundantur in quatuor vncias mulsi secundum artem, posteà exprimantur, & in expresione dissolue

Radicum liliorum bene pinsorũ ʒ iiij.
Syrupi rosati solutiui ℥ ij.

Misc. Vel si placuerit, loco syrupi rosati solutiui decem præparati scammonij grana misceantur. posset & radicum liliorum succus accipi, & radicum substantia minimè contundi. REN. Hoc non est sanguinẽ educere. BRASS. Imò illum educere est, qui educi debet, quoniam ille, qui in venis

est educi non debet, nisi per venæ sectionē, aut alio simili in plethora modo, ad eundémque inutilem sanguinem educendum & bilem, linimentum hoc fieri poterit, quo venter inungatur:

℞. Radicis hemerocallis ℥ j.
Fellis taurini
Scammonij
Singulorum ℥ ß.
Mellis ℥ ij.

Misceantur, & inferiori vētri supraponatur. REN. Memini Plinium lib. 21. cap. 21. de hemerocallis radice hoc scripsisse, quæ cum melle imposita ventri aquam pellit, & sanguinem etiam inutilem. BRASSA. In eodem etiam lib. cap. 25. de heliochryso inquit, sanguinem concretum ventris ac vesicæ absumit cum mulso. RENA. De sanguine, qui venas exiuerit, qui in aliqua cauitate concretus sit, loqui arbitror, herba hæc vim habet illum eliquandi & absumendi, & per vias exitus ducendi. BRAS. Ita intelligere oportet, quia nunquā m est concretus sanguis nisi extra venas fuerit, nam in venis semper liquidus est, & ichoribus mistus, verùm ad sanguinem cum bile educendum, hoc, quod sequitur, est vehementissimum medicamentum.

℞. Scammonij præparati ∋ j.

I Myr

Myrobalanorum luteorum ʒ ij.
Cantharidarum ℈ iij.
Misc. & cum syrupo rosaceo solutiuo fiant pilulæ tres, aurique bractea circundentur, & quanuis cantharides à proprietate quadam sanguinem per vesicam educant, tamen cum scammonio mistæ, ad anum cõuertentur. REN. Periculosum medicamentum esse debet. BRAS. Et tale, vt nemo sanæ mẽtis vir vti debeat, quoniã præter alia corrodunt etiã partes, quas attingũt cãtharides. REN. Pilula etiã ex liquido alumine fieri posset & scammonio ad sanguinem & bilem educendam, nam de liquido alumine à Plinio scriptum est lib. 35. cap. 15. sumitur pilulis contra lienis vitia, pellendúmque pruritum, ac per vrinam sanguinẽ. BRA. Tamẽ cũ rei misceatur per aluum educenti, per aluum educitur, & non per vrinam, modò in tali sit loco, vt possit ad intestina moueri, hoc verò alumen istud comprimendo facit, necessariúmque est extra propria vasa sanguinem esse, si per compositionem educi debeat, & in renum cauitate, vel vesicæ contineri. REN. A Plinio etiam dicitur lib. 20. cap. x. si sanguis per vrinam reddatur, semen asparagi, & apij, & cumini ternis obolis in vini cyathis duobus quinis diebus Chrysippus da

ri iubet. B R. Id fit, vt si aliqua sit sanguinis relicta portio educatur, nã omnia illa, quæ præbet, aperientia sunt, & per vrinæ vias educētia: multa proinde sunt, quæ sanguinē purgāt, hoc est purificāt, & à prauis humoribus ac qualitatibus liberāt, qualis est Mercurialis, porrũ, vt hoc, quod sequitur medicamentum id facilè præstare posit:

℞. Succi mercurialis ℥ ß.
Syrupi rosati solutiui ℥ ij.
Rhabarbari electi ℨ j.
Seri caprini vel alterius animãtis ℥ vj.

Bilis euacuabitur, sanguísque ipse purgabitur. Idem fiet, si mercurialis succi loco, porri succus accipiatur, potest etiam in catapotia redigi hoc modo:

℞. Herbæ Mercurialis ℨ j.
Rhabarbari electi ℨ ß.
Scammonij præparati G x.

Cum succo porri pilulæ nu. v. cõformentur. & auri bractea circundentur. R E N A. Nonnulli sunt, qui centaurij minoris decoctum sanguinem trahere arbitrantur. B R A S. Apud probos authores haud reperi; sed bene felleos humores educit, & sanguinem ab his liberat, iccirco purgare arbitror, hoc est sanguinem mundificare, quod efficiet, si hoc modo præbeatur:

℞. Decocti centaurij minoris ℥ vj.

Rhabarbari electi ʒ j.
Myrobalanorum citrinorum ʒ ß.
Vel istud ℞. Scammonij præparati ℈ j.
Syr.ros.solutiui ℥ iij.
Decocti centaurij minoris ℥ iij.
Misc.& conuenienti hora præbeatur.
Eiusmodi medicamenta bilem educũt, & sanguinem purificant. RENA. Eruum etiam, quod orobum vocant, sanguinem per aluum & per vrinam detrahere ait Dioscorides, si in vsu continuo sit. BRAS. Hoc verum esse non arbitror, nec Dioscorides id asserit, sed alios refert ita dicentes. Nam, inquit, frequenter verò in potu & esu contrahere creditur tormina, & sanguinem per inferna tam aluo quàm vesica exigere. RENA. Etiam si ex longo vsu sanguinem traheret, tamen cum his quæ bilem educunt, non est miscendum, quia illa, quæ bilem educunt, eadem vice, qua sumuntur, illam educunt, sed eruum sanguinem non educit, nisi per longum tempus eo vescamur. BRASSA. Creditur & Thiliæ folia sanguinem educere. RENA. Quomodo? BRAS. Si in puluerem reddantur, & puluis ille ad quatuor drachmas insumatur, vel si in aqua mulsa decoquantur, & decoctum ad quatuor vncias insumatur. RENA. Nullum habent authore.n

rem hæc folia? BRASS. Imò Plinium habent lib.24.cap.8.ita verò confici poterit medicamentum:

℞. Foliorum thiliæ ℥ j.

Bulliant in sero per conueniens spatium, posteà adde

Syr.rof.sol. ℥ iij.

Rhabarbari electi ʒ j.

Misceantur. RENAT. Habésne de hoc experimentum? BRASSA. Nullum penitus. RENAT. Ad alia igitur pertractanda accedamus. BRASSA. Statim ad alia transibimus, cùm Plinij locum adduxerimus ex libro trigesimosecundo capite nono, vbi de myace pisce agens, inquit, Horum ius traditur aluum & vesicas exinanire, interanea distringere, omnia adaperire, renes purgare, sanguinem adipémque minuere. RENAT. Fortè hoc minuere sanguinem est, quia modicè nutrit. BRASSA. Hoc dici non potest, quia ius sit ex oleo, sale, anetho, porro & similibus, & ex pane editur. RENA. Cum nec habeamus hunc piscem, nec quinam sit cognoscamus, illum ac ipsius ius prætermittendum suaderem.

De medicamentis tam ſimplicibus, quàm compoſitis, quæ pituitam & atram bilem ſolas educunt,

CAPVT XI.

BRASSAVOLVS.

ILla nunc adeamus medicamenta, quæ pituitam, & atram bilem educere apta ſunt. RENA. Iam aures aperui, tu incipito. BRA. Si vera ſint quæ de chebulis myrobalanis à Serapione ſcribuntur, ſimplex habebimus medicamẽtum ac facillimum ad pituitam ac atram bilem educendum, authores nimirum refert, qui hos humores educere fatentur in infuſione à drachmis quinq; vſque ad quindecim. REN. Audiueram ac legeram pituitam ſolam ſubducere. BRAS. Ita à multis ſcriptum eſt, ſed à Serapione hoc dicitur, quod iã enarraui, & authores adducit ad hoc ſuadendũ, Arabes inquam, quoniã antiquiores Græci nullã habuerunt de myrobalanis cognitionem. RE. Legi & apud Auicennam hoc idem, quòd ſcilicet, chebuli myrobalani pituitam & atrã bilem educant, at quomodo parabitur infuſum? BRAS. Hoc modo:

℞. Myrobalanorum chebulorum ℥ v.

Paſſul

Passularum ℥. β.

Misc. & infundantur in sex vncias oxymelitis simplicis secundum artem, postea exprimatur, & cõueniẽti hora bibatur. Posset & in caprino sero, & in eiusdem generis alio fieri infusio, imò cõuenit & horum myrobalanorum ad drachmas duas puluerem præbere in iure pulli, vel in sero, vel in oxymelite, vel in alio liquore. Potest & in catapotia redigi. R E N. Mesue etiam docet salem Indum pituitam & atram bilem educere. B R A S S. Cùm verò Indo sale careamus, iccirco dicamus crassos quidem humores à generibus salis educi & crassas pituitas, quibus si bilis atra erunt mista, vnà & à nitro sale & ab aliis salis generibus educẽtur, inter alia verò, quæ apud antiquos pituitã & atrã bilem educũt, est epithymum. R E. Memini de illo à Dioscoride scriptũ esse, hoc poto cùm melle pituita & bilis atra deiicitur, primùmq; melãcholicis datur inflationésq; habẽtibus, ab acetabulo ad quatuor drachmas cũ melle ac sale & aceti exiguo. B R A. Tamen nos alio modo epithymum præbemus. R E N. Quónam? B R A S S. Multis vtimur modis, si in puluerem adhibeamus, damus à drachmis duabus vsque ad quatuor in iure vel in lactis sero, in catapotia quidẽ redigi posset,

sed tot essent, quòd sumẽtibus fastidio veniret, vncia accipitur & in oxymeli infunditur secundum artem, posteà exprimitur, zucaro dulcoratur, ac præbetur, posset etiam in serum infundi, in ius, in aliquam aquã ex his quæ vi ignis ab herbis fuerint extrusæ, nõnũquàm infusum ita fieri iussi,
℞. Epithymi ℥ j.
Salis ʒ j.
Misce, & infundantur in vncias quatuor mulsæ secũdum artem, deniq; post expressionem drachmę duæ aceti commisceãtur, & insumantur. Non est in acetum coquendum vel infundendum. REN. Debet esse potio valde salsa. BRA. Imò non multum salsa. REN. Legitur & apud Dioscoridem Thymosalmẽ pituitam educere & atrã bilem. BRA. Tres vel quatuor cyathos præbebant ad hos educendos humores. REN. Quæ est Thymosalmes conficiendi ratio? BRA. Hæc quam refero thymi, accipiebãt nitri & salis singulorum acetabulum vnũ, pulegij, polentæ, rutæ, singulorum exiguum. coniiciantur in fictile, posteà sex heminæ aquæ superinfundantur, aceti heminæ dimidium, denique fictile linteolo circundatum sub dio permaneat. RE. Multa sunt in compositione, quæ hos educunt humores, nam Thymus pituitam & atram
bil

bilem educit,sal humores crassos,ruta obstructiones aperit,& crassos humores incidit,vnà cum aceto:pulegium atram bilem subducit, iccirco non mirum,si à Thymosalme pituita & atra bilis educatur. At hoc simplex non est sed compositum. BR. Est quidem compositum, sed vt simplex quoddam refertur, nomen à sale & Thymo recipiens. REN. Dicitur & de Armeno lapide,quòd crassos humores, glutinosos, hoc est pituitosos,& atram bilem educat. BR. A' Mesue tãtum refertur, quòd atram bilem educat,tamen experientia ostendit, simul & pituitã educi,& crassos humores. hócque facilè videri poterit, si præbeatur, verùm quia ventriculo obest,opus est semper aliquid aromatum addere ad hoc auferendum nocumentum, quo vẽtriculi os lædi posset. Vnde hoc modo præbeatur:

℞. Lapidis Armeni præparati ʒ ij.
Zingiberis
Cinnamomi
Anisorum
Amomi
Masticis
Singulorum ℥ x.

Misc.& ex iure bibatur, vel ex sero lactis, vel ex alio simili liquore,tamen & in catapotia reduci potest,& in placentulas ex zu-

caro & in ientacula, quomodocũq; præbe bis actionem suã semper perfici deprehendes, & hos humores educere, sed & lapidẽ lazuli, & lapidem stellatũ hoc est pyritem lapidẽ crassos humores educere, & atram bilem plane constat, quanquàm à Mesue de atra bile solùm facta sit mentio. Dioscorides verò & Gal. nullam mentionem faciunt, quòd educat. REN A. De stœcade etiam à Mesue scriptum est, quòd pituitam & atram bilem subducat. BRAS. Præbet hic author in decocto ab vnciis quinque vsq; ad septẽ in puluere, à drachmis tribus vsq; ad quinq; sed vix educit, idq; ęgrè facit ad duas vncias decoquere opus est, in duodecim aquæ vnciis, quoad sit dimidiũ resolutum, posteà exprimere, & totũ, quod relictum est ex zucaro bibere, in puluere quatuor drachmæ sumantur cum iure galli veteris, aut cũ mulsa aqua, in minori copia nihil educit. Sunt medicamẽta, quæ & si non educant, tamen lædere nõ possunt. REN. Apud Dioscoridem & apud Gal. non fit mentio, quòd educat. BR. Sunt ex recentibus, qui hoc dicunt, & præterea volũt Indicam stœcadem potius sumendam esse quàm aliam, at nos Gallam magis probamus, ex insulis aduersus Massiliam, quæ à stœcade herba stœcadis nomẽ sortitę sunt,

expertus sum magis educere & felicius infusum, quàm decoctum. R E. Si ergo contigerit quádoq; me illa vti, in infusione potius vtar, quàm in decoctione. B R. Si experieris, ita esse, vt dixi comperies, sed & de scylla Mesue dicit, quòd crassos humores, hoc est pituitam, & atram bilem educit. R E N. Multa fiunt de scylla medicamenta. B R. Quomodo multa fiunt? R E. Oleum, vinum & acetum. B R. Arbitrabar te dicere ex scylla diuersis modis fieri medicamenta cathartica. R E N. Fortè in vino & aceto ac oleo soluit. B R A S. Sed & mel fit, quòd scylliticum mel nũcupatur, de scylla mentionem non facit Dioscorides, quòd pituitam vel atram bilem detrahat, sed bene dicit cum sale dari tosta, ita vt singulas portiones octonæ salis tosti molantur. R E N. Et sal ipsum pituitã educet, at in qua portione præbetur? B R A S. Non siuisti me perficere Dioscoridis sententiam, vt illam iterum repetere cogar. R E N A. Repetas, nam hæc est minima iactura. B R A S. Cum sale datur tosto, ita vt in singulas portiones octonæ salis tosti molantur, cochlearis vnius vel duorum mensura molliendo ventri ieiunis, tamen Dioscorides mentionem facere videtur, quòd pituitã detrahat, nã paulò pòst ait coqui in mellis cibi

grat

gratia, maximè vt coctionem faciat, crassitudinum strigmenta detrahat per inferna, similiter facit elixa in eosdē vsus sumpta. RENA. Intelligo hæc crassitudinum strigmenta esse pituitam, tamen & atra bilis crassa est, vt sub hoc vocabulo intelligi possit. BRA. Gal. verò mentionem non facit, quòd educat, sed ait habere admodum incidentem facultatem, non tamen admodum calidam, sed secundum hoc eam quispiam secundi ordinis esse excalefacientiū putabit. RENA. Arbitrabar esse in quarto ordine calidam, vel saltem in tertio ordine intenso. BRAS. Hic nō est proprius de hac re disserendi locus, neque quispiam ita temerè Gal. aduersari debet, tamen nos arbitramur in intēsiori gradu calidam esse, quàm in secundo, nunc satis est hoc admonuisse, aliàs vt Gal. defendamus de carnea ipsius parte, & de succo seorsum loquemur, & institutum nostrum prosequemur. Mesue dicit humores crassos educere & glutinosos, & iuxta Haly sententiam atrā etiam bilem educit; sed in hac quantitate quam refert acetum scylliticum sumitur, id est à drachmis quinque vsque ad duodecim, oxymeli scylliticum sumitur ab aur. sex, vt ad vncias tres & trochisci de scylla à drachmis duabus vsque ad quatuor. RE.
Hæc

Hæc quomodo conficiuntur, videlicet ſcyl liticum acetum, ſcylliticum mel, oxymeli ſcylliticum, & trochiſci de ſcylla? B R A S. Modos quibus hæc conficiantur, non eſt opus referre, cum à Dioſcoride adeò exquiſitè relati ſint, vt vnuſquiſque mediocriter etiam eruditus confectionis modos intelligere poſsit, & præterea docet quomodo torreri debeat. Nã eſt tã ardentis naturæ, & exacutæ vt torrefactione indigeat, & ea (vt Dioſcorides dicit) pluribus modis vtilis redditur. notáq;, cùm acetum ſcylliticum præbetur, ſemper alicui liquori eſſe commiſcendum, vt ſero lactis, vel iuri pullorum, vel aquæ ſaluiæ vel hyſſopi, vel alteri ſimili. R E N A T. Arbitror & oxymeli ob acutiem ſuam ſemper eſſe cuipiam liquori miſcendum. B R A S S A V. Ita eſt, tamen Meſue de ipſius coctura ſub cineribus calidis mentionem non fecit, neque de ſumendi modo, quandoque iuniores ſcyllas ſub cineribus coqui iuſsi, poſteà duas drachmas ex ſapa, oleo, & ſale præbui, & pituitas craſſas attenuauit, ac illas eduxit, & ſimul atras materias. R E N A. Linguã & os ferè exulcerare debet. B R A. Id non facit, quanuis ardorem quendam in ore ſinat, ferunt & nonnulli tragoriganum pituitam & atram bilem ſubducere.

REN. De pituita Dioscorides mentionem facit, de atra bile minime. BRA. Fortè quia in Dioscoride sequitur, splenicis quoque utiliter in aceto bibuntur. Cùm verò splenicis conueniat, atram bilem subducere indicium sit. RE. At Gal. dicit aliquid acquirere adstrictionis. BR. Ob hoc dicendũ est, cùm educit nõ multum educere, opúsque esse in copia illud accipere, vndæ duæ vnciæ in aqua secundum artem ebulliant, posteà huius decocti sex vnciæ zucaro dulcoratæ sumantur, vel vncia mellis simul ebulliat, probéq; expumetur, posteà conuenienti hora sex vnciæ præbeantur. Si verò in puluerem accipiatur, quatuor drachmæ insumantur ex sero lactis, vel ex iure, vel ex alio liquore. RENA. Legitur de Mandragoræ succo, quòd pituitam & atram bilem educat. BRAS. Dioscorides de radicis succo mentionem facit, pituitas educere non dicit, sed atram bilem, quanquam sub eius verbis intelligi possit & pituita, quoniam dicit, qui verò è decisis, scilicet radicibus manat succus, pro elleboro est obolis duobus, at cùm elleborum pituitam etiam educat, ob hoc & succus iste pituitam educet. Sequitur deinde: In aqua mulsa ad bilem nigram vomitionibus extrahendam. REN. Mirum videtur, quomodo

aliqua huius plantæ pars educere posſit, cùm à Gal. dicatur eſſe in tertio refrigerantium gradu, & quòd radicis cortex cùm ſit valentiſsimus, non tantùm refrigerat, ſed & deſiccat, quæ qualitates ſunt qualitatibus educentibus, & emollientibus oppoſitę. BR. Fortè dici poſſet id comprimendo efficere, at nullam attrahentem vim habere videtur, niſi dicamus Gal. annotaſſe aliquam habere caliditatem. RENA. Tamen tanta eſſe non videtur, vt attractionem habere poſsit, ſed experiri facile erit, & percipere an ita educat, & pituitoſos ac atrabilares humores. BRA. Ego hoc nunquam experiri volo, quia periculoſum eſt medicamentum. RE. Tamen ego experiar, cùm aliquis contigerit ægrotus, qui dormire non poſsit. BRASS. Caue ne illum cogas perenni ſomno dormire, & nunquam ex contracto ſomno expergiſci. RENAT. Hoc efficere nollem, quantum mihi cara eſt vita mea, ſed à pauca copia incipiam, quæ obeſſe non poterit, & deinde paulatim augebo. BRAS. Nunc intentum non aſſequeris, ſi duobus obolis minus adhibebis, nam Dioſcorides duorum obolorum mentionem facit: at ego in tanta copia præbere non auderem, ne quod à Dioſcoride ſcriptum eſt incidere, ſcilicet

quand

quandoque necarem,& de fructu loquitur qui minus potens est quàm radicis cortex. REN A.Iam ab hoc experimento deterreor.BRAS. Neque mihi placet in rebus periculosis experimentum facere.REN A. Legi apud nonnullos recentes dracunculum maiorem pituitam & atram bilem subducere.BRA.Et quod peius est, hi recentes Mesuem adducunt, qui de atra bile nullam mentionem facit, sed tantùm dicit, quòd pituitam educit crassam & tenuem.REN. Ob hoc superiùs inter euacuantia solam pituitam enumerauimus. BRA.Et id etiam ineptè facit, neque Dioscorides aut Gal.illi attribuunt hanc dotem, quòd atram bilem educat, nedum pituitam.REN.Ad alia igitur sermonem cõuertamus,& hæc tantùm de maiori dracũculo scripta sint.BRAS.Imò & de minori, quia Mesue de vtroq; sermõnẽ habuit.RE. Cõpõsita igitur cõtẽplemur, quę hos duos humores subducere possunt.BR.Hoc erit imbecille medicamentum ad pituitam & atram bilem educendam.

℞. Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum Indorum
Singulorum ℥ j. Epithymi ℥ ij.
Misc.& infundantur in quatuor vncias infusionis senæ per decem horas, posteà exprim

primantur, & quod expressum est zucaro dulcoretur, & cõuenienti hora præbeatur. Si quis verò medicamenta renueret, quæ in potu sumuntur, catapotia quæ sequuntur indicat.

℞. Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum Indorum
Singulorum ℥ j.
Epithymi ʒ ß.

Misc. & cum succo scyllæ conficiantur pilulæ, quæ eadem hora sumantur, qua medicamentum erat sumendum, & hæ pilulę prædictos humores leniter educunt, & si quis hæc in puluerem redacta ex iure, vel alio liquore insumere voluerit, huic cõcedatur. hoc verò quod sequitur, mediocre est ad prædicta euacuanda medicamentũ.

℞. Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum Indorum
Singulorum ℥ j.
Epithymi ℥ ij.
Ellebori nigri ℈ j.

Misc. & infundantur in quatuor vncias infusionis fenæ per decẽ horas, & expressum zucaro dulcoretur, ac præbeatur. Pro his verò qui medicamenta quæ bibuntur refugiunt, hæ pilulæ præbeantur, quoniam mediocriter pituitam & atrã bilem subducere valent.

℞. Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum Indorum
Singulorum ʒ ß.
Ellebori nigri
Turbith
Singulorum ℈ ß.

Misc. & cum succo scyllæ fiant pilulæ numero quinque. RENA. Iam vehemēs medicamentum adducendum est, quo iidem humores euacuari posſint. BRASS. Hoc est vehemens medicamentum ad hos solos subducendos humores:

℞. Turbith
Ellebori nigri
Singulorum ʒ ß.
Myrobalanorum Indorum
Myrobalanorum chebulorum
Singulorum ʒ ß.
Zingiberis
Cinnamomi
Aniſorum
Maſtiches
Amomi
Gummi Arabici
Singulorum ℈ ß.

Misc. & infundantur in quatuor vncias infuſionis ſenæ per decem horas, poſteà e xprimantur & in expreſsione diſſolue
Agarici trochiſcati ʒ j.

Mi

Misc.& conuenienti hora propinetur, sed & hoc aliud quod referam ad idem propositum vehemens est:

℞. Pulpæ colocynthidis ℈ j.
Turbith
Ellebori nigri
Singulorum ℈ ij.
Senæ ℥ j.
Zingiberis
Gariophyllorum
Anisorum
Cinnamomi
Amidis
Seselidis
Singulorum ℈ ß.

Misc.& infundantur in sex vncias decocti Tragorigani,& stœcadis secūdum artem, posteà exprimantur & in expresione dissolue
Agarici trochiscati ℈ ij.
Lapidis lazuli ℈ j.

Misc.conuenienti hora propinetur. REN. Si quispiā abhorret potiones,quibus pilulis vti deberet? BRAS.His quæ vehementer pituitam & atram bilem subducunt.

℞. Ellebori nigri
Turbith
Singulorum ʒ j.
Myrobalanorum Indorum

Myrobalanorum chebulorum
  Singulorum ℥ ij.
  Pulpæ colocynthidis ℈ ij.
Aniſorum
Fœniculorum
Scyllæ toſtæ
Stœcadis
Tragorigani
Zingiberis
Cinnamomi
Amomi
Maſtiches
Gummi Arabici
Camphoræ
  Singulorum ℈ ß.

Miſc. & ex ſucco ſcyllæ fiat globus, è quo ſumenda quantitas eſt à ſcrupulis duobus vſque ad quinque, iterum verò cum opus erit, pilulæ reformentur ex ſucco ſcyllæ, audito & alias vehementes pilulas ad eoſdem humores educendos

℞. Pilularum de lapide lazuli
Turbith
  Singulorum ℥ ß.
Zingiberis Camphoræ
  Singulorum Ğ vj.

Miſc. & ex ſucco ſcyllæ fiant pilulæ ad numerum, qui ſumenti placuerit. RENA. Si contingeret quempiam magis abundare pitui

pituita, quàm atra bile, vel magis atra bile, quàm pituita, quid nunc agendũ eſſet? BRASS. Omnia ſemper repeti nõ poſſunt nec debent. At hęc ſit generalis in complicatis humoribus regula medicum cõtemplari debere an humor vnus alium ſuperet, & ratione huius inæqualitatis ac exuperantiæ illud medicamentũ augere, quod humorem illum attrahit, qui alium ſuperat, hócque in omnibus complicationibus obſeruandũ eſt, & id præterea repetamus, ſi febris adſit vehemens frigida addere, ſin minus ita præciſe præbere vt dictum eſt. RENA. Cùm hęc perfecta iam ſint, ad alia te conferas. BRASS. In pharmacopoliis nullum adeſt compoſitum medicamentũ, quod pituitã & atram bilem educere poſſit, præter puluerẽ vocatum ſanctũ, qui ſecundũ aliquos ratione tartari educit pituitam, ſecundum aliquos atram bilem.

De medicamentis tam ſimplicibus quàm cõpoſitis, pituitam & Ichores educentibus.

CAPVT XII.

BRASSAVOLVS.

IN noſtro iam cœpto ordine medicamenta illa cõſideranda veniunt, quæ pi-

tuitam tantùm & aquositates educunt. RENA. Multa sunt huius generis medicamenta. BRASS. Tot fortè non sunt quot arbitraris, tamē medicamenta omnia quæ pituitam solam educere apta sunt, illa eadem sunt apta & aquosas pituitas subducere. RENA. De cyclaminis radice Dioscorides inquit, quòd pota cū aqua mulsa pituitam & tentantes aquas per inferna detrahit, nō exprimit verò in qua id faciat copia. BRAS. Neque etiā exprimit, quomodo radix illa in mulsa bibi possit. RE. Tu vtrunq; patefacies. BRAS. Minor quatuor drachmarum copia sumi nō potest, si eductio cōsequi debeat. Sumēdi verò modus est, vt radix adeò cōtundatur recens, vt liquescat, & simul cū mulsa bibi posit, tamen si & radicē ipsam in mulsa decoxeris ad vnciā & nonnihil salis simul addatur, hos educit humores, si decocti sex vnciæ conuenienti hora præbeantur. REN. Nónne possent radices exiccari, & in puluerem redigi, posteà puluerem hunc ad quatuor drachmas, vel paulò plus in mulsa bibi? BRAS. Quid impedit? at succus ad subducendū aluum aptior est. RENA. Veruntamen hypophæstum aquas educere & pituitas proditum est. BRAS. Est Dioscoridis sententia, qui ait, Radice ac folio succus ex-

primitur, qui ſiccatus cum aqua mulſa tribus obolis præbetur ad aquas & cõtra pituitas, maximè in comitialibus, tamen & ſuccus recens & non exiccatus idem efficere poteſt. RENA. Cur ergo exiccari iubet Dioſcorides? BRAS. Vt per totã hyemẽ ſeruari poſsit, ſed ita exiccatus poſſet etiam in catapotia conformari, ſcitóque radicis ſuccum vehementiorem eſſe, quàm cùm eſt ex radice & foliis ſimul, fertur & de chamæpyti, quòd pituitã & aquas educat. RENAT. Id tamen à Dioſcoride non dicitur, quoniam ab eo ſcriptum eſt, fiunt ex ea cum ficu pilulæ aluum emollientes, quæ cum melle ac æris ſquama, & reſina ad eam trahendam bibuntur. BRAS. Tamen verũ eſt, quòd pituitã educit, & aquas, diuerſiſque modis ſumi poteſt. Primò, in decocto, vt vncia vna decoquatur in aqua ſecundũ artem, poſteà ſex vnciæ huius decocti ex zucaro bibãtur, vt dulcoretur. Poteſt & in infuſione ſumi, & infuſio videtur magis educere, quàm decoctũ faciat, ſed & infuſum deſpumato melle dulcoretur. Poteſt & in puluere ſumi, ad duas drachmas & cum iure bibi, & in catapotia cõformari. Poteſt & ipſius ſuccus bibi ad drachmas quatuor, eſt vtiliſsima herba etiam ſi non multum educat. RENAT. Scio oues pu-

tridas ac marcidas, si hac herba vescantur reuiuiscere, pinguescere, & in pristinum statum redire. BRAS. Imò & homines, qui malum habitum contraxêre, hac herba in sanitatem restitui possunt, & hoc est, quod Gal. ait auriginosis prodesse. RENA. Sed & secunda chamæpytis species, & tertia idem præstare possunt Dioscoride teste. BRASS. Possunt quidē, sed citeriore tantùm vi. RENAT. Legi & de æris squama quòd pituitam & aquas subducat. BRAS. Dioscorides de aquis solùm mentionem facit. Nam dicit: Pota ex melle misto excernit aquas, tamen experientia ostendit & pituitam educere. RENA. In quanta copia? BRASS. Drachma satis est, è qua cum melle pilulæ fiant, & deglutiantur, est etiã vehemens horum humorum eductiuum, & quo libenter non vtor, nam hæc omnia mineralia inter venena numerare soleo. Tamẽ ipsius vsum haud penitus aufero, præsertim cùm aliud haberi non possit ad hæc educenda, at ipsa potiùs non habetur, quàm alia multa, quæ pituitam & aquas educere sunt apta. RENA. Legitur & de cnico, quòd pituitã & aquas educat. BRAS. Ita profectò est, sed non apud probos authores. Dioscoridesnanq; ait semen tundi succo, qui ex aqua mulsa vel iure
Galli

Gallinacei aluum trahit. RENA. Neque Galen. aliud dicit, quàm quòd cnici semine tãtummodo ad purgationes vtimur. Tertij est ordinis calefacientium si quis foris eo vti volet. Quid verò putas tu? BRAS. Aquas educere posse arbitror & pituitam, quia hos humores educi his oculis conspexi, antiquitus autem eius flore vtebantur in obsoniis ad nullum alium vsum, quàm ad euacuandum, & folia ipsa in vsu erant, atq; semen. Semẽ verò vehemẽtius est, flores minùs vehemẽtes, adhuc minùs sunt folia, semina in succũ tundebantur, & sumebãtur, vt Dioscorides inquit, ex mulsa vel gallinacei iure, tamen & succus è foliis fieri potest, sed quod efficit in euacuando succi seminis drachma, vix efficiunt succi foliorum scrupuli quatuor, vel etiam florum. Semen prætereà in puluerem redigi potest, & bibi in sero, vel in mulsa, vel in iure ab vna drachma vsque ad duas. Potest etiã reduci in catapotia ex melle, & transglutiri, aliqui & de Daphnoide idem testantur, quòd pituitam & aquas educat. RENA. De pituita testatur Dioscorides, cùm ait: Pituitosa folio recẽti & arido exigit per aluum. BRASSA. At quæ pituitam educere possunt, aquas etiam educere posse cõstat. REN. Nónne est laureola?

BRAS. Nonnulli laureolam esse putant, ita vocatam à pharmacopôlis, alij Mezereon, quãquam de mezereon à Mesue scriptum sit, quòd aquas citrinas educit, tamẽ & pituitam educere experimento constat.
RENA. Quibus partibus hoc facit? BRA. Folio, radice, flore, semine, de folio solùm Dioscorides verba facit, & inquit superuacuam esse radicẽ, folia præberi possunt arida, & in puluerẽ redacta, & in iure, vel sero exhibita vel in pilulas redacta recẽtia folia ex melle edi debẽt, & sale. Mesue prebet à chirath duobus vsq; ad quinq; in puluerẽ redacta, in decoctiõe à drachma semis vsq; ad duas, nos ita in decoctione præbemus,

℞. Foliorum Daphnoidis ℥ ij.
Camphoræ ℈ j.
Zingiberis
Anisorum
Singulorum ℈ ß.

Misc. & bulliant in aqua mulsa secundum artem, & exprimatur, ac potui insumatur, vel hoc modo in catapotia redigatur:

℞. Daphnoidis puluerizatæ ℥ ß.
Camphoræ
Zingiberis
Anisorum
Singulorum ℈ j.

Misc. & ex aqua saluiæ conficiantur pilulæ,

læ, quæ conuenienti hora transglutiantur. Si in infusione præberentur, eundem facerent effectum Daphnoidis folia. Idem faciunt flores & semẽ, sed ineptius, foliorum verò succus cæteris vehementiùs educit, ad solam drachmam insumptus. REN. Quod Mesue vocat luph, ab eo dicitur pituitam & aquas educere. BRAS. Apud Dioscoridem est dracuntium maius, licet apud Mesuem nomen luph commune sit, tam ad maius, quàm ad minus. Sed de his dracuntiis superiùs locuti sumus, in his, quæ pituitam & atram bilem subducunt, neq; à Dioscoride neque à Gale. quòd educant scriptum est, neque Mesue dicit, quòd aquas educat, sed pituitam tenuem & crassam. forte per tenuem pituitam aquas intelligere posset, quanquam adsit distincta pituita tenuis ab aquositatibus. RENAT. At nonnulli sunt, qui de dracuntio maiori intelligũt atram bilem educere, quid censes tu? BRASSAVOL. Et superiùs dixi & nunc iterũ repeto, pituitas potius educere, quia Gal. semel bis & ter eius radicem decoquit, vt vim modicam exuat, posteà in ci bis præbet, quando lenti & crassi humores violentiùs sunt propellẽdi. REN. Non me latet Gal. dicere, viscera omnia expurgare, crassos, scilicet & lẽtos succos extenuando,

atq; fructum ipsius dicit esse nō foliis tantùm, sed radice valentiorē. BRAS. Tamen à Gal. exquisitè scriptum non est, an educat. Quòd si verbum purgare de eductione per aluum intelligatur, tunc à Gal. notatur solam pituitam crassam & lentam educere, non autem aquas. RENA. In quanta copia id efficit? BRASSA. In magna copia, nā ad minus semiuncia sumi debet, virides radices contundi possent, quoad in liquorem sint redactæ, posteà ex mulsa bibendæ sunt, vel ex gallinaceo iure, vel ex sero lactis. Satis verò est puluerem ex seminibus accipere ad duas drachmas in eisdem liquoribus, vel in pilulis conformetur ex aqua saluię. Minus efficacia sunt folia, quæ ad hūc vsum oleris modo edi possent, nisi graui odore præditæ essent. RENA. Fertur & euphorbium pituitas quidem educere, sed aquositates vehemētius. BRASSA. Mesue de aquositatibus mentionem non facit, sed ait, quòd educit pituitam crassam ac glutinosam à profundis corporis locis, & quòd iuncturas emundat, fortè id faciens aquas valentiùs educet, at quòd id faciat, minimè exprimit. Dioscorides eius vsum per os negare videtur, quia ait, si bibatur diem integrū continere feruorem, hoc fortè de aquositatis

eductione ex Auicenna sumptum est, qui in secundo lib. capite 236. inquit, quòd confert aquæ citrinæ. RENAT. Quicquid sit, arbitror non esse medicamentum, quod in vsum recipi debeat. BRAS. Verum prorsus dixisti. REN. At si præberetur, in quãta deberet præberi copia? BR. Mesue præbet ab vno chirath vsq; ad tria, grana quatuor præbenda sunt. Si ego alicui præberem (nam pro me ipso non acciperem) ita complicarem, ne læsio in sumente contingeret:

℞. Euphorbij ℈ iiij.
Camphoræ
Rosẽ rub.
Violarum
Nymphææ
Singulorum ℈ vj.

Misc. & cum succo endiuiæ aut lactucæ cõficiatur pilula vna, quia in hac forma in ventriculum deglutitur, neq; ardor in ore sentitur, neque per gulam. RENAT. Gal. & ipse mentionem non facit, quòd educat. BRASSA. Ob hoc fortè, quia illi indignũ videbatur hunc ignem in hominum viscera imponere. à Serapione author quidam refertur Bedigeras nomine, qui dicit à proprietate citrinæ aquæ conferre. RENA. De hoc iam satis, legi & irini spissamentũ pituitam, & aquas subducere. REN.

De

De sagapeno igitur verba faciamus, de quo Mesue dicit humorem glutinosum & pituitam crassam, aquásque citrinas educere. BRASSA. Neque Dioscorides, neq; Gal. de hac eductione mentionem faciũt. RENA. Fortè, quia neque mentionem faciunt, quòd per os insumatur. BRASSA. Imò per os insumi monet Dioscorides, cùm ait sanare febrium circuitus potione, inunctionéq; potio illà per os est. RENA. In quanta verò copia sumitur ad euacuandum? BRAS. Mesue dicit à semidrachma vsque ad aur. vnum, tamen & in maiori copia præberi potest, & minimè educet, vel ægrè id faciet. REN. De vlmi cortice legitur, quòd pituitã educit, & aquas. BRAS. Hoc legitur apud Pliniũ lib. 24. ca. octauo, cùm ait, vlmi corticis denarij pondus potum in hemina aquæ frigidæ aluũ purgat, pituitásq; & aquas priuatim trahit. REN. Miror quomodo res tã dura, támq; terrea id efficere posſit. BRAS. Non est opus intelligere corticem illũ extrinsecum crassum, qui arborem ab imbribus & pluuiis defendit, sed interiorem corticẽ, qui tenellus est, ego ita prorsus intelligerem, nisi Dioscorides admoneret de illo crasso intelligẽdum esse. Nam dicit: Corticis crassioris vnciæ pondus potum in vino vel aqua frigi

frigida, trahit pituitas, & de aquositatibus mentionem non facit, at monet crassum corticem extimũ & terreum accipiendum esse. Fortè comprimendo educit, præsertim cùm tantam prębeat copiam, vnciam scilicet integrã. quòd verò necesse sit comprimendo educere, Gal. verba ostendunt in octauo de simplicium medicamẽtorum facultatibus lib. cùm ait, vlmi folia adstringentem habere, & abstergentem facultatem: de cortice verò dicit, corticem esse amplius subamarũ & adstrictorium. nullam verò mentionem facit Gal. quòd subducat, nedum pituitam. REN. Reliquum est ergo, vt ad alia accedamus. BRASSA. Composita adducemus, quæ hos humores educere valent, & primò hoc erit leue medicamentũ ad pituitã & ichores educenda:

R. Radicis ebulorum
Corticum vlmi
Rosarum Damascenarum
Myrobalanorum chebulorum
Singulorum ℥ j. ß

Miscean. & infundantur in sex vncias aquę saluiæ secundum artem, posteà exprimantur, & in expressione dissolue

Agarici Trochiscati ℥ j.

Si alicui potabilia medicamenta haud placerent, sed catapotia optaret, hic ex sequentibus

tibus catapotiis conuenientem quantitatem deglutiat, quæ pituitam & ichores leniter educent.

℞. Agarici ʒ. ij.
Radicum ebulorum ʒ j.
Chamæpytis
Daphnoidis
Cnici
Sagapeni
Corticis vlmi
Singulorum ʒ ß.

Misc. & cum syrupo rosaceo solutiuo fiat massa, è qua cum eodē syrupo conformentur pilulæ quādo opus erit, sumenda quantitas est ab vna drachma vsque ad duas, eiusce modi medicamenta, si in maiori sumantur copia mediocria efficiuntur. Tamen & quod sequitur medicamentum pituitam & aquas mediocriter educet:

℞. Cnici
Sagapeni
Corticis vlmi
Chamæpytis
Squamæ æris
Singulorum ℈ j ß.
Daphnoidis
Myrobalanorum chebulorum
Singulorum ℈ ij.
Agarici ʒ j.

Misc.

Miſceantur, & infundantur in ſex vncias aquæ hyſſopi per decem horas, poſteà exprimantur,& in expreſsione diſſolue
Syrupi roſati ſolutiui ℥ ij.
Miſceantur,& conuenienti hora propinetur. Nunc pilulæ ſequuntur,quæ pituitam & ichores mediocriter educent.
℞. Cyclaminis
Chamæpytis
Squamæ æris
Cnici
Daphnoidis
Singulorum ʒ j.
Agarici
Myrobalanorum chebulorum
Singulornm ʒ ij.
Turbith ℈ ß.
Miſceantur,& cum ſyrupo roſato ſolutiuo fiat globus : è quo pilulæ ex eodem ſyrupo conformentur,ſuméda quantitas eſt à ſcrupulis duobus vſque ad quatuor. RENA. Supereſt vt vehemens medicamẽtum enarres. BRAS. Hoc eſt vehemens, quod ſequitur ad eoſdem humores educendos:
℞. Cnici
Chamæpytis
Daphnoidis
Singulorum ʒ ij.
Corticis vlmi ʒ iiij.

Turbith
Agarici
Singulorum ʒ j.
Zingiberis
Aniſorum
Amomi
Cinnamomi
Maſtiches
Camphoræ
Gummi Arabici
Singulorum G̃ x.

Miſceantur, & infundantur in ſex vncias aquæ viuæ ſecundum artem, poſteà exprimantur, & in expreſsione diſſolue
Syrupi roſati ſolutiui ℥ iij.
Miſc. & conuenienti hora propinetur. Sequuntur catapotia pro his, qui potabilia negligunt medicamenta, quæ pituitam, & ichores vehementer educunt.

℞. Cnici
Chamæpytis
Daphnoidis
Singulorum ʒ ij.
Turbith
Agarici
Singulorum ʒ j.
Euphorbij ℈ ß.
Gargiberis
Gariophyllorum

Camp

Camphoræ
Cinnamomi
Amomi
Gummi Arabici
Mastiches
Singulorum ℥ x.
Radicum ebulorum ʒ j. ß.

Misceantur, & cum syrupo rosaceo solutiuo fiat globus, ex quo cum eodem syrupo rosaceo solutiuo reformentur pilulæ, quæ à semidrachma præbeantur, vsque ad drachmam vnam cum dimidia. RENAT. Arbitror eiuscemodi catapotia esse vehementissima. BRAS. Sunt prorsus, si integra quantitas sumatur.

De medicamentis tam simplicibus, quàm compositis, pituitam & sanguinem educentibus.

CAPVT XIII.

BRASSAVOLVS.

Paucissima erunt, aut ferè nulla, medicamenta illa quæ pituitam & sanguinem educere possunt. RENA. Et si pauca sint, nõnulla tamen adesse non dubito. BR. Cur dubitare non potes, si nullum sit medicamentũ, quod è venis sanguinem educere possit, quin venenũ sit? tamẽ capparorum

radices à Gal. iudicantur & crassos humores & sanguinolentos educere. RE. Hoc his verbis expressit, siue decoctum in aceto siue in oxymelite apertè crassos, lētósque humores euacuare, nec eos tātùm per vrinam, sed & ventrem, sæpe etiam sanguinolentos defert. BRAS. Hæc verba plane ostendunt pituitas ac sanguinem subducere. Dioscorides de pituita nihil meminit, sed inquit, semen eius duabus drachmis in vino haustis per dies quadraginta lienem obliterat, vrinas trahit, cruentáque sedimenta. REN. Fortè de sanguine, qui extra venas fit, verba facit. BRA. Imò de illo intelligere necessarium est, quia vt dictum est à venis medicamenta, quæ non sunt deleteria, sanguinem educere non possunt, nisi dicamus, cùm à Gal. iubeatur sumi ex aceto vel decoqui in aceto vel oxymelite, oxymeli verò, vt Hippocr. dicit, ramenta subducit, ob hanc causam sanguinem educit. RENATVS. At Dioscorides cum vino præbet, tamen cruenta educere nōn tenet. BRASS. Intelligamus igitur quòd sua vi cruorem, id est sanguinem extra venas contentum educat, quem tamen magis educet si in aceto vel oxymelite sit incoctum, quàm si ex vino bibatur. RENAT. Nónne & eruum sanguinem educit? BRA.

Ab aliquibus dicitur simpliciter sanguinem educere, à Dioscoride additur per vrinas, imò & Gal. inquit si copiosè sumatur sanguinem per vrinas euocare. Græci igitur id tantùm fieri per vrinas dicunt, quod alij simpliciter sanguinem educere tradunt, sed de pituita à nullo fit mentio, propterea ad huius rei propositum nihil facit, at marinam aquam pituitam & sanguinẽ subducere, testis est Plinius lib. 2. capite 4. cùm ait, fel testudinum pituitas sanguinémque vitiatum trahit: nõ refert autem an id efficiat per os sumptum, an ventre ipso inunctum, at vtroque modo (si id verum sit) idem posse efficere credẽdum est. RENA. Nihil potuisset clarius dici isto, tamen hic qui subducitur extra venas esse debet. BRAS. Nemo dubitat, sed medicamentum audito, quo pituita & sanguis leniter educentur.

℞. Myrobalanorum chebulorum ʒ ij.
Farinæ eruinæ ℥ iiij.

Misc. & melle despumato subigatur, & fiat placentula, quæ sub cineribus vel in clibano coquatur. hoc verò quod sequitur, erit mediocre educens:

℞. Myrobalanorum chebulorum ʒ ij.
Agarici ʒ j.
Farinæ orobi ℥ iiij.

Eodē modo ex despumato melle subigatur, eodémque modo coquatur, posteà integra placentula edatur, tertiò hoc erit vehementissimum,

℞. Turbith ʒ j.
Farinæ orobi ℥ iiij.

Misc.& ex despumato melle placētula cōficiatur, quæ eodem coquatur modo,& integra edatur. REN. Cur hcc ita redigis in placentulas? BR. Quia tāta copia facilius insumitur, in minori autem copia nō educeret. Scito autem & si eruum per vrinam sanguinem educat, tamen alicui rei cōiunctum quæ ventrem subducat,& ipsum per aluum educit. Imò & Dioscorides ipse notat, quòd etiā per aluū sanguinē educit, si frequenter edatur, vel bibatur eius farina. Ex cantharidibus idem effici potest, si his misceantur, quæ pituitam subducunt, vnde hoc erit imbecille medicamentum pituitam & sanguinem educens:

℞. Myrobalanorum chebulorum ʒ j.
Cantharidum præparatarum Ǵ ij.

Misc. cum aqua saluiæ quantum sufficit, & fiat potio, vel cum eadem aqua in catapotia reducantur, ac deglutiantur, hoc autem erit mediocre medicamentum:

℞. Agarici ℈ iiij.
Zingiberis Salis gemmæ

Sin

Singulorum ℥ x.
Cantharidarum præparatarum ℥ ij.
Misce.& cum aqua saluiæ fiat potus, vel cum eadem aqua pilulæ conformentur ac præbeantur, hoc autem, quod sequitur, est vehementissimum ad pituitam & sanguinem educenda medicamentum,

℞. Turbith ʒ j.
Pulpæ colocynthidis ℈ ß.
Cantháridarũ præparatarum ℥ duo
Zingiberis
Cinnamomi
Anisorum
Salis gemmæ
Camphoræ
Gummi arabici
Mastiches
Singulorum ℥ vj.

Misce.& cum iure pulli vel aliqua aqua vi ignis eliquata præbeatur, vel in catapotia ex eadem aqua reducatur,& semidrachma adhibeatur, vsq; ad integram drachmam. Cùm verò à nonnullis dicatur centaurij minoris decoctum sanguinem subducere, ex ipso cum his quæ pituitam educunt, leuia medicamenta, mediocria, & vehementia confici possunt. RENA. Optarem vt illa in ordinem disponeres. BRASSA. Hoc libẽter efficiã, en leue medicamentũ

ad pituitam & sanguinem educendnm:
℞. Decoctionis centaurij minoris ℥ iiij.
Myrobalanorum chebulorum ʒ j.ß.
Misceantur. medicamentum mediocre ad idem peragendum.
℞. Decoctionis centaurij minoris ℥ iiij.
Myrobalanorum chebulorum
Agarici
Singulorum ʒ j.
Zingiberis
Anisorum
Salis gemmæ
Singulorum G̃ vj.
Misceantur. medicamentum vehemens idem effcere valens.
℞. Centaurij minoris decocti ℥ vj.
Radicum capparorum ʒ ij.
Farinæ orobi ʒ iiij.
Turbith ʒ j.
Zingiberis
Gariophyllorum
Galangæ
Anisorum
Salis gemmæ
Camphoræ
Mastiches
Gummi Arabici
Singulorum G̃ vj.
Misceantur,& cõuenięti hora propinetur.

RENA. Possent & multa alia fieri medicamenta pituitam & sanguinem educentia, sed hæc satis esse arbitror, cùm rarissimè aut nunquàm contingat medicum sanguinem per medicamenti vim educere debere, nisi extra venas sit, & aliquo in loco conglobatus.

De medicamentis tam simplicibus quàm compositis, atram bilem & ichores educentibus.

CAPVT XIIII.

BRASSAVOLVS.

NVnc illa contemplanda veniunt medicamenta, quæ atram bilem cum ichoribus subducere valent. RENA. Legi de Macedonico apio, quòd hac vi insignitum sit, vt atram bilem subducat & ichores. BRAS. De hac re nullam mentionem facit Dioscorides, & ego frequenter vsus sum ad vrinas prouocandas, ac mēses, neque vnquam me fefellit, aquas quidē per vrinas educit, sed atram bilem subduci nunquàm vidi. RENAT. Quid est apud Dioscoridem? BRA. Est hipposelinon, Latinè equapiū vocatur ab equo, & ab Apio ob suam magnitudinem nomen sortitum

eſt,quia inter Apij genera nullũ eſt, quod maius euadat. RENA. De Alypo etiam legitur,quòd atram bilem & aquas ſubducat.BRASS.At hoc non legiſti apud Dioſcoridem,neq; apud Gal.Dioſcorides etenim dicit,repelluntur ſemine per inferna biles atræ,menſura qua epithymum cum aceto & ſale.RENA.In quanta verò copia præbetur epithymum? BRA. Ad quatuor obolos.Arbitror lapidem lazuli, lapidem Armenum, pyritem lapidem, & reliqua eiuſdem generis,quæ atram bilem ſubducunt,vnà & Ichores attrahere.Nihil amplius mihi occurrit ex his, quæ atram bilem & aquas educunt,quod ſimplex ſit medicamentum. REN.Cõpoſitam igitur proſequaris, quoniam & mihi illius generis nullum in mentem venit. BRAS.Audias primò medicamentum imbecille atram bilem & aquam ſubducens:

℞. Myrobalanorum Indorum ℥ j.
Senæ ℥ j.
Florum violarum
Roſarum
Boraginis
Bugloſsi
Cinnamomi
Aniſorum
Singulorum ʒ ij.

Rād

Radicum ebulorum
Rosarum damascenarum
Singulorum ʒ j.
Misc. & infundantur in aquam fumi terræ secũdum artẽ, posteà exprimãtur & zuccaro dulcoretur expressum, & cõuenienti hora bibatur: si verò Damascenæ rosæ haberi non possent, ipsarum loco radicis iridis drachma vna sumatur. At si cuipiam medicamenta displicuerint, quæ in potu sumuntur, eiuscemodi accipiat catapotia:
℞. Radicum ebulorum
Myrobalanorum Indorum
Singulorum ʒ j.
Senæ ʒ ß.
Zingiberis G̃ x.
Misce. & catapotia conficiantur ex succo ebulorum, possent hæc in puluerem redigi, & ex iure bibi. Nunc medicamentum audito, quod aquas & atram bilem mediocriter educit:
℞. Lapidis lazuli ℈ ij.
Myrobalanorum Indorum ʒ ij.
Senæ ℥ j.
Zingiberis
Anisorum
Camphoræ
Singulorum ℈ ß.
Florum boraginis

Buglofsi
Rofarum
Violarum
Singulorum ʒ ij.

Mifceantur, & infundantur in fex vncias aquæ fumi terræ per decem horas, posteà exprimantur & expreffum zucaro dulcoretur,& conuenienti hora præbeatur. Hæc erunt deinde catapotia, quæ atram bilem & aquas mediocriter educent, pro his, qui potabilia negligunt medicamenta,

℞. Lapidis lazuli ʒ j.
Ellebori nigri ʒ ß.
Radicum ebulorum
Iridis
Singulorum ʒ ij.

Mifc.& cum fucco lactucæ fyluestris fiat globus. quantitas fumenda eft à fcrupulis duobus vfque ad quatuor. Audito impræfentiarum medicamentum, quod atram bilem & ichores vehementer educet:

℞. Myrobalanorum Indorum ʒ ij.
Senæ ℥ j.
Radicum ebulorum
Iridis
Singulorum ʒ j.
Lactucæ fyluestris ʒ iiij.
Cinnamomi
Zingiberis

Ani

Aniſorum
Amomi
Florum boraginis
Buglosſi
Violarum
Roſarum
Singulorum ℥ x.

Miſc. & infundantur in vncias ſex aquæ fumi terræ ſecundum artem, poſteà exprimantur,& in expresſione diſſolue

Lapidis lazuli præparati ʒ j.

Miſceantur,& conuenienti hora ſumatur: ab his verò qui potabilia nequeunt ſumere medicamenta,hæ pilulæ ſumẽdæ ſunt:

℞. Lapidis lazuli præparati
Lapidis Armeni præparati
Singulorum ʒ j.
Ellebori nigri ʒ j.ß.
Radicum ebulorum
Iridis
Singulorum ℈ iiij.
Euphorbij ℈ j.

Miſceantur, & cum ſucco lactucæ ſylueſtris fiat globus, vel cum ſucco roſarum damaſcenarum, ſi ſylueſtri lactuca careamus. Nam & hic ſuccus aquas mirificè educit.Quantitas ſumenda eſt à ſcrupulis duobus vſque ad quatuor. RENA. Iam caput aliud aggrediendum eſt.

De medicamentis tam simplicibus, quàm compositis atram bilem & sanguinem educentibus.

CAPVT XV.

BRASSAVOLVS.

IMpræsentiarum illa quæ atram bilem & sanguinem educunt, contemplemur. RENA. Nullum mihi succurrit medicamentum, quod atram bilem & sanguinem subducere valeat. BRAS. Et mihi vnum tantùm occurrit, quod à Plinio scriptum est lib. 31. capite 6. cùm ait, Aqua marina bibitur quoque, quanuis non sine iniuria stomachi, ad purganda corpora, bilémque atram & sanguinem concretum reddendum alterutra parte. Nihil aliud simplex scriptum inueni medicamentum, quod hos humores vnà subduceret, propterea si inutilis sanguis & extra venas ac atra bilis vnà educenda sint, hoc leui medicamen to educi poterunt,

℞. Myrobalanorum Indorum ʒ j ß.
Periclymeni ʒ j.
Decocti centaurij minoris ℥ iiij.

Misc. & propinetur, vel ex eisdem simul cũ eodem decocto fiant pilulæ, erit verò mediocre medicamentum si ita conficiatur:

℞.

℞. Pulueris foliorum Tiliæ ʒ j.
Lapidis lazuli ʒ ß.
Farinæ eruinæ ℥ iiij.

Misc. & melle subigatur, placentulaq; fiat vel ex centaurij minoris decocto bibatur, aut pilulæ fiant ex puluere foliorũ Tiliæ, & lapide lazuli in prædicta quantitate, cum decocto centaurij minoris. At si eosdẽ humores vehementer euacuare placuerit, hoc quod sequitur, præbendum erit:

℞. Myrobalanorum Indorum ʒ ij.
Ellebori nigri ʒ j.
Senæ ℥ j.
Periclymeni ʒ iij.
Foliorum Tiliæ ʒ iiij.
Zingiberis
Gariophyllorum
Anisorum
Camphoræ
Amidis
Seselidis
Masticheѕ
Gummi Arabici
Singulorum ℈ j.
Florum boraginis
Buglossi
Violarum
Rosarum
Singulorum ʒ ij.

Misc

Misc.& infundantur in vncias septem decocti centaurij minoris & lactucæ syluestris per decem horas, posteà exprimantur,& in expresſione diſſolue

Lapidis lazuli præparati ʒ ß.

Misc.& conuenienti hora propinetur, pro his verò qui negligunt medicamenta, huius generis catapotia præparentur,

℞. Lapidis lazuli ʒ ij.
Ellebori nigri ʒ j.
Periclymeni ʒ j. ß.
Cantharidarum ʒ ij.
Foliorum thiliæ ʒ ß.
Centaurij minoris ℈ ij.
Radicum capparorum ℈ j.
Aniſorum
Zingiberis
Cinnamomi
Seſelidis
Amidis
Maſtiches
Gummi Arabici
Singulorum Ğ x.

Misc.& cum ſucco mercurialis fiat globus, è quo reformentur pilulæ ex eodem ſucco,quantitas verò ſumenda eſt à ſcrupulis duobus vſque ad quatuor, tamen ſi ex orobi farina placentam tibi parare lubuerit,hoc modo parato, nam erit etiam

vehemens medicamentum.
℞. Lapidis lazuli præparati ʒ j.
Foliorum Tiliæ ʒ ij.
Cantharidarum G̃ j.
Radicum capparorum ʒ j. ß.
Farinæ orobi ʒ iij.
Anisorum
Fœniculorum
Cinnamomi
Zingiberis
Mastiches
Singulorum G̃ vj.
Misc. & cum melle subigatur placentula, quæ in furno vel sub cineribus cocta tota integra vna vice sumatur. RENA. Cùm hæc ad hos humores (quod tamen rarò cõtingit) educendos sint satis, ad alia te conferas.

De medicamentis tam simplicibus quàm compositis, ichores & sanguinem educentibus.

CAPVT XVI.

BRASSAVOLVS.

ILla secundũ ordinem sese offerunt consideranda, quę aquositates & sanguinem educere valent, at nullum mihi in men-

tem venit ſimplex, quod hoc efficere poſſit. RENA. Neque mihi quicquam occurrit, iccirco de cõpoſitis tantùm agere opus erit. BRAS. Eſto. igitur hoc ſit leue ichores & ſanguinem educens medicamentũ.

℞. Radicum ebulorum
Iridis
Singulorum ʒ ij.
Foliorum Tiliæ ʒ iiij.
Orobi ℥ j.

Miſ. & bulliant in aqua ſecundum artem, poſteà exprimantur, & huius decocti ſex vnciæ zucaro dulcoratæ adhibeantur. Si verò cupiam in pilulas reducere placuerit, ita conficiat.

℞. Pulueris radicum ebulorum ʒ j.
Foliorum Tiliæ ʒ ß.
Farinæ orobi ℈ j.

Miſc. & cum ſylueſtris lactucæ ſucco, vel roſarum damaſcenarum tot fiant pilulæ, quot ægrotanti placuerit, omnéſque vna vice præbeantur, hoc verò quod ſequitur mediocre eſt ad aquoſitates, & ſanguinem mediocriter educendum.

℞. Radicum iridis
Ebulorum
Singulorum ʒ j.
Orobi ʒ j.
Periclymeni ʒ ß.

Foliorum Tiliæ ʒ iiij.
Centaurij minoris ʒ vj.

Misc.& bulliant in sufficienti quantitate aquæ secundum artem, posteà exprimantur, & expressum hoc zucaro dulcoretur, sexque vnciæ huius decocti conuenienti hora bibantur. si verò quispiā medicamētum in catapotia redactum desideret, illa ita conficiat,

℞. Radicum ebulorum ʒ j.
Foliorum Tiliæ
Periclymeni
Orobi
Singulorum ℈ ß.

Misc.& ex syluestris lactucæ succo pilulæ conficiantur, quæ omnes vna vice sumi debent. RENA. Eia medicamentum edissere, quod ichores & sanguinem subducat. BRASS. Audito. Nunc refero.

℞. Brassicæ marinæ ʒ ij.
Radicum Iridis
Ebulorum
Singulorum ʒ j.
Orobi
Periclymeni
Foliorum Tiliæ
Singulorum ℥ ß.
Centaurij minoris ʒ vj.
Cantharidarum Ǧ j.

Zingiberis
Cinnamomi
Camphoræ
Aniſorum
Maſtiches
Singulorum ℥ x.

Miſ.& bulliant in aqua ſecundum artem, poſteà exprimantur,& tantum ſucci in expreſsione diſſolue, quòd dulcoretur, poſteà ſex vnciæ bibantur. Si verò quiſpiam catapotia magis diligeret, ita conficienda ſunt:

℞. Radicum Iridis
Ebulorum
Singulorum ℈ ß.
Periclymeni
Foliorum Tiliæ
Singulorum ℥ xij.
Cantharidarum præparatarum ℥ ij.
Cinnamomi
Zingiberis
Aniſorum
Camphoræ
Maſtiches
Singulorum ℥ vj.

Miſc.& cum centaureæ minoris decocto pilulæ fiant, quæ omnes vna vice ſumantur, ab his tamen, quæ ſanguinem educunt ſemper abſtinendum iuberem, illáque accipien

cipienda maluerim,quæ sanguinem purificant, & à prauis humoribus liberant. De his verò hîc finem faciamus.

De medicamentis tam simplicibus, quàm cõpositis,bilem, pituitam,& atram bilem educentibus.

CAPVT XVII.

BRASSAVOLVS.

DE his hactenus pertractauimus medicamentis,quæ vnum solum ac simplicem humorem subducũt,& de his posteà quæ duos humores simul ac solos expurgant, nunc de his agendum venit,quæ tres humores & nõ plures educunt,ab hísque initium sumemus medicamentis,quæ bilem,pituitam,& atram bilem subducũt. RENA. Nonnulla extant simplicia, quæ tres istos humores vi sua educere valent. BRAS. Mirum videtur,quomodo simplex quoddam medicamentũ diuersos & oppositos humores educat. RENA. Si simplex medicamentum verè simplex esset, vnum solum humorẽ prorsus educeret. Verùm quia ex diuersis oppositis ac pugnantibus partibus compositum est,nõ mirum,si harum diuersarũ partium ratione diuersos

& oppoſitos educat humores. BRAS. Imò cùm iuxta Gale. per ſimilitudinem quandam ſubſtantialem eductio fiat, iccirco neceſſarium eſt, ratione diuerſarum partium diuerſas habeat ſubſtantiales ſimilitudines, quarum ratione hos diuerſos educat humores. RENA. Arbitrabar ſubſtantialem hanc ſimilitudinem, à totius compoſiti forma deſumi. BRASS. Quomodocunque accipiatur, & quicquid ſit, non eſt impræſentiarum diſſerendi locus, nam inſtitutum noſtrum non eſt de philoſophicis diſputare quæſtionibus, ſed de his tantùm agere medicamentis, quæ & humores educunt, & eos educere experientia oſtendit. RENAT. Legi de nigro elleboro quòd bilem, pituitam, & atrã bilem educat. BRAS. Et ego etiam legi, non tamen apud Dioſcoridem, nam ipſe inquit, purgat per inferna bilem, pituitámq; deuoratum ſyncerum. Arbitror verò Dioſcoridem atram bilem prætermiſiſſe, vti illud quod erat notiſsimum, nam & ſuo tempore de fatuis ac melancholicis prouerbium extabat, quòd in Anticyram erant mittendi, & quòd aliqui tribus indigebant Anticyris, nam in Anticyra maxima ellebori nigri copia oritur, & ipſemet inquit Melampodion vocari à Melampode paſtor

ſtore, qui primus veratro purgauerit, & furentes Prætidas ſanitati reſtituerit. Cùm verò furerent, melancholico humore agitabantur, ex bile tamen aduſta genito. Illa igitur Dioſcoridis verba oſtendunt, quòd & atram bilem educere cenſuerit, notat præthereà melancholicis mederi inſanientibus. RENA. Cùm elleborum adhibiturus es, quomodo præparas? nam audiui te dicentem, quòd frequenter adhibuiſti. BRASSAV. Imò primus fui, qui auſus ſum illud in vſum reuocare, qui iam obſoletus erat, at tu mihi explanato, qua re illud præparet Dioſcorides. RENA. Nulla, imò inquit bilem, & pituitam per inferna purgare deuoratum ſyncerum. BRASS. Proptereà & ego ſyncerũ adhibui & atrã bilem abſque vllo diſpendio mirificè eduxit. RENAT. In quanta præbuiſti copia? BRASS. Quandòque ad drachmã præbui in iure, frequenter verò duos exhibui ſcrupulos, in eo nihil aliud mali reperi, quàm quòd ventriculũ perturbauit, iccirco quãdoque in iure ita præbui, & nihil incommodi perſenſere ſumentes.

℞. Ellebori nigri ʒ ij.
Zingiberis
Cinnamomi
Aniſorum

Mastiches
Gummi arabici
Camphoræ
Singulorum ℥ x.

Misc.& fiat puluis,qui ex iure sumi potest, aut ex aliqua aqua vi ignis eliquata, potéstque in catapotia digeri, at præ omnibus humoribus atram bilem eductá semper conspicies. Tamen vnà bilis & pituita euacuantur,& ipsius decoctum non modicè educit. RENAT. Simplex decoctum,an cum aliis? BRASS. Et simplex & cū aliis, Dioscoridis verba nonnunquàm considerans, quibus ait,coquitur & cum lenticula,& iusculētis aliis,quæ purgationis gratia sumuntur, iussi decoqui in iure albo Gal.& aliquando in lenticula. REN. Quid egit,eduxitne vehementissimé? BRASS. Vehementissimè prorsus, sed pro ventriculi ore mentam addidi, saluiam, libanotim,& anisa, cum cinnamomo. RENAT. Quanta huius decocti copia sumenda est? BRAS. Decocti quatuor vnciæ insumptæ sunt, sed elleborus non minus quantitate vnius drachmæ cum dimidia fuit, & nonnunquàm perueni ad drachmas duas. RE. Quando in lenticula decoqui iussisti, id prouerbium verū esse potuit, quod vulgò Ferrariæ dicitur, lens, lenticula, si quis ederit

rit pateram excernit, situlam. BRAS. Ita profectò dici potuit, nam vehementissimè eduxit, & quod mirum est absque torminibus, quæ tamen nonnunquàm excitantur à Rhabarbaro ipso & à myrobalanis, quæ sunt tam sancta támq; benedicta pharmaca, nonnunquàm in placentulas redegi & esui præbui. RENAT. Quomodo in placentulas? BRASSA. Hoc modo:

℞. Ellebori nigri ℈ ij.
Cinnamomi
Zingiberis
Anisorum
Singulorum ℥ x.
Pastæ fermentatæ ʒ ij.

Misc. & despumato melle subigantur, in furnóque coquantur, debet integra sumi vna vice placētula. RENA. Multa tamen ferūtur de præparatione ante sumendum elleborum, & de hominis, qui sumpturus est præparatione, & de ipso præparando elleboro. nam & Dioscorides refert se ad Philonidem quendam medicum ab Enna Siciliæ vrbe, huic credit Dioscorides, qui de apparatibus illorum, qui sumpturi sunt elleborum, scripsit. BRASSAVO. Dioscorides de albo veratro sermonem habet, nos verò hîc de nigro verba facimus: album elleborum per vomitum potissimùm

educebat,erátq; periculosa ac violēta eductio: hanc ob causam homines præparabātur ad sumendū elleborum, & etiā elleborū ipsum aptabant, nigrū verò elleborum minimè præparabāt,neq; etiam homines qui sumpturi erant, præparabantur. Nigrū prætereà elleborum per vomitum nō educit, sed potius per secessum. REN. Mesue tres explicat, quos educit humores, bilem scilicet, pituitam, & atram bilem. BRAS. Idem faciunt & alij Arabes. Gale. verò neque quòd educat, neque quòd non educat mentionem facit. Adde verò Dioscoridem scriptum reliquisse, qui deuoratum syncerum bilem & pituitam per inferna detrahit, quod minimè scripsisset, nisi nouisset, videlicet præberi posse solum, & nos absque vllo incommodo præbuimus. RENA. Arbitrarer ego si aliquibus ventriculi os roborantibus mistum præberetur melius esse. BRASSA. Nemo de hoc ambigere debet,imò superius hoc notaui, me quandoque adhibuisse, ex aniso, cinnamomo, zingibere, mastiche, ac similibus. RENATVS. Notatur & à Dioscoride sparti semen & flores obolis quinque in aqua mulsa poti ellebori vice citra periculum purgare. BRASSA. Sed dubium est, de quo elleboro intelligat, num de albo,

albo, an de nigro. BRASSA. Imò potius de albo, tum quia cùm ſimpliciter elleborum dicebant antiqui, de albo ſtatim intelligebant, tum quia comparat ſparti ſemen, & flores ad elleborum, & dicit, quòd citra periculum purgant, ac ſi notet ſe de illo elleboro intelligere, qui cum periculo purgat, hic eſt albus elleborus. Sparti igitur ſemen & flores eoſdē humores educunt, qui ab albo elleboro ſubducuntur, ſed facilius & abſque periculo, verùm ab albo elleboro pituita & bilis euacuari dicitur. Iccirco & ſparti ſemen pituitam & bilem educet, tamen ſi ad nigrum elleborum comparationem fieri intelligamus, præter hos humores, educet etiam atram bilem. Verùm hæc omnia ineptè ſubducit. RENA. In qua ſumitur forma? BRASSA. In omni ferè forma & modo ſumendi, in decocto inquam, in infuſione, in puluere, in catapotiis, & in omni alio modo quo præberi poteſt. Scito autem in magna copia præberi oportere, ſi nonnihil ſubducere debeat, magna autem copia eſt, ſi in ſubſtnatia ſumatur ad ſemiunciā, in decocto verò, vel in infuſione ad vnciam, vel ad vnciam cum dimidia, & quatuor vel ſex vnciæ infuſionis, vel decoctionis ſumātur. RENATVS. Sumentibus faſtidio veniet.

BRAS.

BRASSA. Cur fastidio, cum & alia in maiori etiam sumantur copia? RENAT. Facítne mentionem Gal. quòd atram bilem subducat spartum? BRAS. Neque quòd educat, imò de illo hæc tantùm verba habet, sparti quo & vites alligant, cum fructus, tum virgarũ succus, non instrenuè trahentis est facultatis. RENAT. Quod mirum mihi videtur, est quorundam sententia de capillis Veneris, qui arbitrantur bilem, pituitam, & atram bilem subducere. BRASSA. Imò Galen. restringere ait, & Dioscorides inquit, quòd aluum cõtrahit, & stomachi fluxionibus medetur. RENA. Nõ ab re igitur de illis miror, qui hos tres humores ab eo euacuari fassi sint. BRAS. Mesue dicit bilem educere & pituitam, & humores crassos, si libra decoctionis ipsius bibatur, imò & ipse notat, quòd adstringit, & ob stypticitatem capillos retinet, & quòd ratione partium calidarũ hos educit humores. RENA. Quid censes tu? BRAS. Quod sum expertus, videlicet subducere. at quando præbui, semper præbui cũ passularum decocto & prunorum Ibericorum vel myrobalanorum, vel sebesten. RENA. Hæc fortè fuêre quæ aluum subduxerunt. Arabs quidã, quem Serapio refert, nomine Aben Mesuai, inquit choleram mundificare

ficare, quæ est in intestinis ac stomacho, à drachmis tribus vsque ad septem, at quicquid sit, non arbitramur capillos Veneris atram bilem subducere posse. RENA. Cur ergo à nonnullis ita scriptum est? BRAS. Non sunt fide digni viri, nam experientia ostendit, quòd tantùm à viis educit. REN. Polypodium præterea inter illa enumerant, quæ bilem, pituitam & atram bilem subducere valent. BRASSA. Dioscorides bilis & pituitæ tantùm mentionem facit. De atra bile verò nihil penitus dicit. Nam inquit purgãdi habet natura datur ad hoc cocta (scilicet radix) cum gallinaceo vel beta, vel malua, inspergitur arida in aquã mulsam, vt pituita bilisque detrahantur. Nihil verò de atra bile meminit. At ego frequenter polypodio vsus sum & semper atram bilem educere percepi, at Mesue de bile mentionem non facit, sed pituitam solùm & atram bilem educere monet. RENATVS. Tu ergo atram bilem à polypodio eductam vidisti? BRASSA. Nec semel, sed multis vicibus, cum humoribus crassis ac etiam tenuibus. RENAT. Quid dicit Gal? BRASSAVOL. Nullam mentionem facit, quòd educat, sed tantùm dicit quòd dulcem simul & austeram habet vincentem qualitatẽ, vt facultas sit admodum

dum quidem deſiccantis, citra morſum tamen. RENA. Miror cur Gale. ſaltem non animaduerterit, quòd ventrem ſubducat. BRASSA. Ne admireris, quia id Dioſcoridi relinquit, cõſueuit nimirum illa prætermittere Gale. quæ à Dioſcoride ſcripta ſunt. RENAT. Quomodo accipi debet? BRASSA. Quomodo ſumenti placuerit, nam poteſt in puluerem redigi, & in aqua mulſa bibi ad drachmas quatuor, vel ſex drachmæ in iure ebulliant, in quo beta decoquatur, vel piſcis vel malua, & ſex vnciæ bibãtur, quãdoq; in catapotia redigit, nõnunquã iuſsi hanc decoctionem parari.

℞. Polypodij ℥ ß.
Paſſularum ℥ j.
Sebeſten num. xv.
Prunorum Ibericorum num. x.

Miſ. & bulliant ſecundum artem, poſteà ex hoc decocto ſex vnciæ bibantur zucaro dulcoratæ, quandoque in infuſionem recipi iuſsi, & vſus ſum polypodio in infuſione vſque ad vnciam. RENA. Legi & pe plum ex illis eſſe, quæ bilem, pituitam & atram bilem educunt. BRASSA. Et ego idem legi, ſed neque à Dioſcoride, neque à Gal. ſcriptum eſt. Nam Dioſcorides ait, quòd ſemine ipſius poto acetabuli mẽſura in aquæ mulſæ hemina bilis, & pituita detrahi

trahitur, Galen. verò dicit, quòd purgat eo modo, quo Tithymali, cōstat verò Tithymalos bilem & pituitā purgare: iccirco & pepliū bilem & pituitā purgare oportebit. De atra bile verò ab his authoribus mētio non fit, sed & legitur pepli vim habere bilem educendi, pituitā, & atram bilem, cùm à Gal. idē de pepli dicatur, quod de peplio dictū est, videlicet lac habere, & eadē educere, quæ Tithymali educunt, & Dioscorides, qui dixerat peplium bilem & pituitā educere, de pepli ait, quòd cum peplo parem potentiā habet, experiri poteris, cùm peplim habebis, nūquid atram bilem subducat. RENA. Id penitus efficiam, sed interim senam cōtemplemur. BR. Et senam & coluteam simul cōtemplari poterimus, quia eisdem viribus sunt insignita. Arabes atram bilem educere inquiunt, atq; bilem adustam. Græci verò aliqui pituitam & bilem. REN. Quid censes tu? BRAS. Quod milies vidi ex omni humorū genere à sena educi, & à colutea, sed potissimùm atra bilis educitur, & humores adusti & plerūq; etiā aquositates. REN. Mirificū est medicamentū, quod in infusione potius suas agit partes, quàm alio modo, senæ proprium videtur, vt infundatur. BRAS. Imò est illi propriissimū, nam hic est modus illam parand

randi ad educendum, modus inquã quàm magis conueniens esse probatus est. REN. Legitur & thymum bilem, pituitam, & atram bilem subducere. BRASSA. A' Dioscoride, quòd pituitã tantùm educat mentio fit, nam dicit cum sale & aceto pituitam exinanit, ego verò oleum adiicio, vt acetarium conficiatur. RENA. Tamen vidi te pro atra bile quandoque præbentem. BRASSA. Quia & illam educit, licet à Dioscoride de pituita solùm mentio fiat, sed quisque oculata fide in ipsius eductione atram bilem deprehendere poterit, at singuli omnia videre non possumus, ideò non mirũ si Dioscorides non retulit, quòd atram bilem educere valeat, quia ad ipsius cognitionem omnia haud peruenêre. At Gal. de pituita etiam mentionem non facit, quia inquit, viscera potum expurgat. Neque aperit an à pituita, an à bile, an ab atra bile expurget, hunc verò ordinem in educendo seruat, vt pituitam probè purget, secundariò bilem, & tertiò atram bilem, quanquam nonnullis videatur secundariò atram bilem, & tertiò bilem, si vis adhuc superest medicamenti. RENA. In quãta copia præbetur? BRAS. In acetario præbetur ad semiunciam, in puluere ad duas drachmas vsq; ad quatuor, qui puluis

in iure bibatur, vel in catapotia cõformari poteſt, decoctũ ipſius ad ſex vncias bibatur, ſi vna vncia in aqua coctæ ſit, quandoque ita confici iuſsi:

℞. Thymi ℥ iiij.
Salis gemmæ
Cinnamomi
Aniſorum
Singulorum ℈ ß.

Miſceantur, & fiat puluis ſubtiliſsimus. Poſſet fieri & ex paſta placentula cum prędicto puluere, vel melle ſubigatur, & in furno coquatur, totáque placentula vna vice inſumatur, imò & epithymum idem officium habere videtur, ſcilicet tres hos humores educendi, quanuis primò atram bilem educere videatur, ſecundò bilem, tertiò pituitam. RENA. Quæ ſunt in pharmacopoliis, quæ tres iſtos humores deducere valeant? BRASS. Quid ais? rara ferè ſunt apud pharmacopôlas medicamenta, quæ hoc non efficiant. RENA. Illa ni pigeat referto. BRAS. Diacatholicon primum eſt. RENA. Nónne atram bilem educit? BRAS. Illam quidem educit, ſed ſimul & bilem ac pituitam, & confectio Braſſaulica eo modo confecta, vt impræſentiarum eſt, & confectio eleſcoph, & confectio hamech, & electuarium de benedi-

cta,& triphera persica,& triphera de epithymo. REN. Arbitrabar in pharmacopoliis haud fieri. BR. Imò ab aliquibus efficitur Ferrariæ,& seruatur, eosdem tres humores educūt tres hæ hieræ Diocolocynthidis, Nicolai & Iusti,ac etiā hiera logadij,idem efficiunt stomachicæ pilulæ, Indæ,& Arabicæ. RE. Audiueram Indas pilulas nigros humores educere,ac si indi sint. BR. Absurdum hoc est. nam omnes subducunt humores,& pilulæ, sine quibus idem præstare possūt,& pilulæ de fumo terræ. RE. Humores salsos tantùm educere putabam. BR. Imò omnes educunt tres illos enumeratos, quas sequētur pilulæ aggregatiuæ,& fœtidæ,& pilulæ lucis, cum illis de lapide lazuli. REN. Legeram has pilulas bilem atrā subducere. BRAS. Imò tres prædictos educunt humores, & deniq; pilulæ de nitro idem efficiunt. RENA. Arbitror totum ferè pharmacopolium tres hos humores subducere, hoc est, omnia quæ sunt in pharmacopoliis medicamēta. BR. Non quidem omnia, sed maxima pars. propterea hunc sermonem habuimus de medicamentis, quæ particulariter hunc & illum humorem educunt. RENAT. Iam tempus instare videtur, vt tu illa referas medicamenta, quibus ad tres istos educend

cendos humores vsus es. BRASSA. Hoc est leue medicamentum quo nonnũquàm vsi sumus ad bilem, pituitam, & atram bilem educenda.

℞. Myrobalanorum luteorum
Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum Indorum
Singulorum ℥ j.

Misceantur, & infundantur in serũ lactis, vel in ius pulli, vel in aliqua aqua vi ignis eliquata, secundum artem, posteà exprimantur, & in expresione dissolue.

Rhabarbari electi ℥ j.
Senæ puluerizatæ ℥ ij.

Misce. si quis verò medicamenta in potu abhorreret, lenia hæc deglutiat catapotia:

℞. Rhabarbari electi
Myrobalanorum luteorum
Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum Indorum
Singulorum ℥ j.
Polypodij
Aloës lotæ
Agarici
Singulorum ℈ ij.

Misce. & ex syrupo rosaceo solutiuo fiat globus, è quo quando opus erit pilulæ conficiantur, quarum quantitas sumenda est drachma vna vsque ad duas. Nunc me-

dicamentum sequitur bilem, pituitam,& atram bilem mediocriter educens.

℞. Senæ ℥ ß.
Polypodij ℥ ij.
Myrobalanorum Indorum
Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum luteorum
Singulorum ʒ j.
Florum boraginis
Buglossi
Rosarum
Violarum
Camphoræ
Singulorum ℥̃ x.
Zingiberis ℈ j.

Misc.& infundantur in serum lactis, vel in ius pulli, vel in aquam saluię secundum artem, posteà exprimantur, & in expressione dissolue

Rhabarbari electi
Agarici trochiscati
Singulorum ℈ ij.

Misc.& conuenienti hora præbeatur. RENA. Et si quispiam potiones abhorreret, quibus catapotiis illum mediocriter purgares? BRAS. His quæ sequuntur:

℞. Agarici
Rhabarbari electi
Singulorum ʒ j.

Aloës

Aloës lotæ ʒ j.ß.
Ellebori nigri ʒ ß.
Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum Indorum
Myrobalanorum luteorum
Singulorum ∈ ij.

Misc.& cum succo rosarum fiat globus, è quo reformentur pilulæ, quãdo opus erit, quarum quantitas sumenda sit à drachma vna, vsque ad duas. Audias modò & medicamentum, cuius vis est, bilem, pituitam, & atram bilem vehementer subducere.

℞. Turbith
Scammonij
Ellebori nigri
Singulorum ℈ j.
Rhabarbari electi
Myrobalanorum Indorum
Myrobalanorum luteorum
Myrobalanorum chebulorum
Singulorum ʒ j.
Agarici
Zingiberis
Anisorum
Cinnamomi
Camphoræ
Mastiches
Gummi Arabici
Seselidis

Singulorum ℥ x.

Misc.& infundantur in sex vncias infusionis senæ per decem horas, posteà exprimantur, & expressum hoc zucaro dulcoratum conuenienti hora præbeatur. sed & pilulæ quæ sequuntur eosdem humores vehementer educent.

℞. Lapidis lazuli ʒ ij.
Turbith
Scammonij præparati
Singulorum ʒ j.
Ellebori nigri ʒ ß.
Rhabarbari electi
Myrobalanorum Indorum
Myrobalanorum luteorum
Myrobalanorum chebulorum
Singulorum ℈ j.
Agarici
Cinnamomi
Zingiberis
Camphoræ
Anisorum
Seselidis
Amidis
Singulorum ℥ x.

Misc.& cum succo rosarum fiat globus, è quo deinde quando opus erit pilulæ conficiantur, quantitas sumenda est à scrupulis duobus vsque ad quatuor. nunc audito

medicamentum ex propriis horum humorum eductiuis simplicibus confectum:

℞. Seminis sparti
Ellebori nigri
Capillorum veneris
Singulorum ℥ j.
Polypodij ℥ ij.
Epithymi ℈ ij.

Misce. & bulliant in sero, vel in iure pulli secundum artem,& conuenienti hora prębeatur. Audito & pilulas ad eosdem euacuandos humores ex propriis simplicibus.

℞. Seminis peplij
Seminis peplidis
Singulorum ℥ j.
Seminum sparti
Ellebori nigri
Cap. Ven.
Senæ
Singulorum ℥ j.
Thymi
Epithymi
Singulorum ℥ ij.

Misceantur:& cum melle rosaceo collato fiat globus, qui seruetur ad vsus. quantitas sumenda est, à scrupulis duobus vsque ad quatuor. RENAT. Iam ad caput aliud procedat oratio.

De medicamentis tam ſimplicibus,quàm compoſitis, bilem, pituitam, & ichores educentibus.

CAPVT XVIII.

BRASSAVOLVS.

NVnc illa in medium afferenda ſunt, quæ bilem, pituitam, & aquoſitates per aluum educunt. REN. Ab hippophae herba duplicem ſuccũ elici monet Dioſcorides, & de primo ſucco, qui & ſyncerus inquit bilem,aquam & pituitas detrahere per inferna,de poſteriore autem ſucco ait, quòd quatuor obolis in aqua mulſa idem facit, imò & ad eundem aſſequendum effectum radicis farina vtitur, quippe dicit, ſuperficies cum radice arefacta tunditur, & cum melle miſto datur, farina eius ad eundem effectum hemina vna & dimidia. exprimunt & radicem,& folium quemadmodum thapſiæ,ſucci huius drachma purgationibus traditur. BR. Tota huius herbę purgationis hiſtoria tam belle à Dioſcoride ſcribitur,vt aliquid addere nõ ſit opus: nam refert quos humores educat, in quo pondere,& quæ partes hac vi preditæ ſint, hoc ſolum non præteribo in Illuſtriſ.Du-

cis nostri maritimis locis abundare, præsertim vbi loca sunt sabulosa, veruntamen & à Dioscoride notatum est, cici triginta grana potui exhibita, pituitam, bilem, & aquas educere. REN A. At quomodo potui præberi possunt eiuscemodi grana detractis putaminibus; nisi cuipiam liquori misceantur? BRAS. Cùm teruntur mollissima efficiuntur & liquidissima, si aliquid mulsæ addatur, vel iuris, vel seri, facillimè bibi poterunt. REN. Videtur magna quantitas si triginta præbeantur grana. BRA. Imò maxima, cùm satis sint quindecim grana, ferunt etiam de Cicino oleo quòd bilem, pituitámq; educat, neque de aquis mentio fit, tamen aquas educere planissimum est: nam à granis exprimitur oleum, vt in libello de oleis docuimus, quod ad semiunciam epotum humores necessariò attrahet, quos attrahũt & ipsa grana, possunt & grana illa eo modo condiri, quo coriandra condiuntur, & ad hunc finem edi. Folia idem efficere monet Gale. imbecillius tamen. RENA. De thymeleæ semine à Dioscoride scriptum est, quòd eo detrahuntur per aluum biles, aquæ, & pituitæ, si quis è viginti granis interiores nucleos bibat. REN. Quomodo bibentur? BR. In puluerē redditi, ac in aliquo liquo-

re dissoluti,imò quia linguam exurunt & palatum, propter id à Dioscoride dicitur, vrit hoc semen, ideò cum farina,polentáve deuorandũ, aut acino vuæ inclusum, aut in melle decoctum,nos quandoque in placentulam formari iussimus, tantámq; imposuimus copiam,quanta à Dioscoride relata est,fuítque placentula melle subacta,edito autem, & si de chamælea à Dioscoride dicatur, quòd pituitam & bilem per aluum exigat, aquas etiã exigere inspectanti planum est, & experientia probanti,in tanta præbetur copia vt Thymelea, & eisdem modis præbetur, at Galen. quòd educat mentionem non facit, Dioscorides vero de lathyri scribit, quòd bilem,pituitam, & aquas educat. RENAT. Gal. dicit nonnullos arbitratos esse, inter species Tithymali numerandam, quia succum habet Tithymali similem & eodem modo purgat. BRASS. Pituitam igitur & bilem tantùm expurgaret,quod Tithymali species faciunt. RENA. Vidi & Tithymalorum species aquas subducere. BRA. Quis hoc negabit? En de lathyri Gal.ait, quòd vehementer purgat,Dioscorides verò ita se terminat, granis huius septenis aut octonis in catapotia soluendæ aluo vtimur. hæc & mandi solent & deuorari

cum sicca ficu, vel palmulis, vt subinde hauriatur frigida, trahit aquam, bilem, pituitam. succus modo quo de Tithymalis excipitur, ad eosdem effectus sicut & folia, quæ cum Gallinaceo & oleribus decoquãtur. RENA. Omnes igitur huius herbæ partes erunt purgatoriæ? BRASSAVO. Omnes inquam præter radicem, quam Dioscorides albam esse dicit, & nullius vsus. REN. Fortè quia de illa nullum periculum fecit. BRASSA. Fieri potest, nam omnia in experientiam duci non possunt, & cùm partes habentur, quæ perfectiores sunt, illæ quæ imperfectiores sunt, relinquuntur. De ebulo etiam & si à Dioscoride scriptum sit, quòd bilem & pituitam educit, tamen & aquas educere nulli dubium est, imò experientia ostendit aquas potiùs educere, quàm alios humores, quãuis Dioscorides de radicibus priuatim dicat aquas trahere, iccirco addit radicis in vino decoctæ vsus hydropicos in victu exinanit, nos ad aquas præbemus & succum, & tenellos cauliculos in acetario ad educendas aquas, tamen experientia ostẽdit, & bilem etiã & pituitã exinaniri. Dioscorides de foliis ait, quòd oleris modo decocta bilẽ, & pituitam detrahunt, sed & aquas vnà detrahunt. RE. Ad quantam co

piam

Ebulus

piam? BRA. Cauliculi tenelli in acetario ad quinque bolos ſumuntur, oleris modo patera communis editur in minutali, de radicis ſucco quatuor prębentur drachmę, & aquas ſummopere educunt, ſimúlq; pituita ac bilis viſuntur. Verùm & hæc eadem de ſambuco intelligere oportet. Nã & ipſius aſparagi oleris modo cocti, bilẽ, pituitam, & aquas educunt, & etiam ſi in acetario edantur, ſuccúſque radicis idem efficit, tamen efficacius agunt ebulorum partes, quàm ſambuci, de ſambuci aut ebuli eductione nulla fit mentio apud Gal. tamen experientia oſtendit omnes prædictas partes educere. Id verò reliquit Gale. vt pleraque alia, tanquam à Dioſcoride explicatum, non enim Galen. ipſa abſque vtilitate repetere voluit, quæ probe à Dioſcoride ſcriptã ſunt, imò ſi quandoque de aliquibus mentionem faciat quæ à Dioſcoride ſcripta ſunt, illud ideò facit vt nonnihil addat vel corrigat, vel diminuat. REN. Et de empetro ſcripſit Dioſcorides, quòd bilem, pituitam, & aquas educat. BRAS. Arbitror de herba ipſa non de radice aut alia parte locutum eſſe, & dicere ſumi in iure aliquo aut hydromelite, & pituitam inutilem attrahere, bilem, & aquas. REN. Quomodo in his ſumitur liquoribus? BR.

Si ficca fit herba & in puluerem redacta, in iure fumi poteft, oxymelite, aut mulfa, fero. REN A. In quanta copia? B R. Ad duas drachmas, at fi herba recens fit, in iure ebullliri poteft, vel in oxymelite, vel in mulfa, vel in fero, & ad fex vncias decocti zucaro dulcorati bibi. Gal. dicit Empetrō ad folas purgationes videri effe cōmodum & mentionem facit, quòd bilem & pituitam educat, aquas verò præteriit. R E. Fortè fub bile aquas intellexit. B R A. Facilè fieri poteft, quia vt plurimùm aquæ biliofæ funt, & coccum cridion vel cnidion eofdē humores, videlicet bilem, pituitam & ichores educere fatentur authores. B R A. Idem facit, quod thymelea. R E N. Eft ergo thymælææ granum. B R A. Neque thymælææ vt Diofcorides monet, vbi de illis fermonem facit herbis, fed eft ex cnido herba ab illis diftincta, tamen eodem modo fumi debet, & in eodem pondere, vt de chamælea & de thymælea dictum eft. R E N A T. Semper varias audiui in hoc cnidio grano diuerfitates. B R A. Et femper audies, nifi ex cnico granum fumatur, quanquam & de cnico incerti videntur authores. R E N. Hanc ob caufam de iride loquamur, quā bilem, pituitam craffam, & aquas educere aiunt. B R A. Tamen Diofcorides mentionem

nem solùm facit de bile,& pituita, crassa, quos humores dicit denariis septem cum aqua mulsa detrahere potu, hæc verò de radice intelliguntur, quæ potissimum in vsu est,tamen & ad hydropes radicis succum præbui ad duas vncias,zucaro dulcoratum. RENAT. Miror cur Dioscorides aquas educere non retulerit, cùm & illas manifestissimè educat. BRAS. Omnia ab omnibus dici non possunt, sed aliqua etiã à probis viris prætermittantur. Verùm & irini spissamentum idem efficere censent. REN. Et necessarium est,si iris id efficiat, vt efficere nemini dubium esse debet. BR. Habet & cucumis sylvestris,hoc est vocatus anguinus, bilem, pituitam, & ichores educit. RENA. De bile & pituita nemo ambigit, imò si duo humores à Dioscoride exprimuntur, sed de aquositatibus ambiguum est,quas educere Dioscorides haud dixit. BRASSAV. Imò & Dioscorides de aquositatibus mentionem facit. RENA. Hoc apud Dioscoridem minimè legi. BR. Et ego te legisse ostendam, dic illa quæ hydropes purgant, nónne aquas educent? RENA. Secus fieri non potest. BRASSA. At cucumis hic & folio, & radice, & succo qui Elaterium vocatur, hydropes purgat, aquas igne educet. RENAT. Hoc probè

consequitur, si hydropes purget. BRASS. At hydropes purgare planè ostendit Dioscorides, cùm ait: Cortice verò acetabuli quadrantem ad bilem, & pituitam. Postea sequitur, Id què ad hydropes maximè huiusmodi purgatio sine iniuria stomachi exigitur. Elaterio hydropes prorsus purgari video, verùm in hydropibus nil nisi aqua purgatur. idem iudicium de elaterio, quod est ipsius succus, faciendum est. RENA. Alia prosequaris ad hoc propositum simplicia. BRASSA. Nulla alia quæ sciuerim extant. RENA. Sequitur ergo, vt composita quibus vsus es in medium afferas medicamenta. BRAS. Id de more faciam. medicamentum audito, quod bilem pituitam & aquas leniter educit:

℞. Myrobalanorum chebulorum.
Myrobalanorum luteorum
Singulorum ℨ j.
Radicum ebulorum ℨ j. ß.

Misc. & infundantur in serum caprinum, vel in ius pulli, vel in aquam mulsam per decem horas, posteà exprimantur, & quod expressum erit zucaro dulcoretur, ac bibatur, ad eosdem etiam educendos humores pilulæ quæ sequuntur leuiores sunt.

℞. Myrobalanorum luteorum
Myrobalanorum chebulorum

Sing

Singulorum ℥ ß.
Radicum ebulorum
Iridis
Singulorum ℈ ß.

Misc.& cum syrupo rosaceo solutiuo tot fiant pilulæ, quot sumenti placuerit, vel prædicta in puluerem redigantur, & ex iure vel alio liquore bibatur. Post hæc medicamentum audito quòd bilem pituitam & aquas educet.

℞. Rhabarbari electi
Agarici
Singulorum ℥ j.
Myrobalanorum luteorum
Myrobalanorum chebulorum
Singulorum ℥ ß.
Radicum ebulorum ℈ ij.

Misc.& infundantur in sex vncias aquæ mulsæ secundum artem, posteà exprimantur,& in expresſione dissolue zucari quãtum sufficit, vt dulcorentur pilulæ ad eosdem humores mediocriter educendos.

℞. Rhabarbari electi
Agarici
Singulorum ℥ ij.
Myrobalanorum luteorum
Chebulorum
Singulorum ℥ j.
Radicum Iridis

Ebul

Ebulorum
Singulorum ℈ ij.
Misc. & cum succo granorum cici fiat globus, è quo cùm opus erit pilulæ reformentur ex eodem succo. quantitas sumenda est, à scrupulis quatuor vsque ad sex. medicamentum vehemens ad bilem, pituitam & aquas educenda.

℞. Scammonij
Turbith
Singulorum ʒ j.
Radicum iridis
Ebulorum
Soldanellæ
Singulorum ʒ j.
Cinnamomi
Zingiberis
Anisorum
Seselidis
Camphoræ
Dauci
Masticheſ
Gummi Arabici
Singulorum G̃ x.

Misc. & infundantur in sex vncias aquæ capillorum Veneris secundum artẽ. posteà exprimantur, & in expreſsione diſſolue
Rhabarbari electi
Agarici

Singulorum ℥ ß.
Succi cici ℈ ij.
Misc.& conuenienti hora præbeatur, pilulæ ad eosdem humores vehementer educendos.

℞. Scammonij preparati
Turbith
Singulornm ℥ ij.
Elaterij ℥ j.
Pulpæ colocynthidis ℥ ß.
Rhabarbari electi
Agarici
Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum luteorum
Singulorum ℈ ij.
Radicum ebulorum
Iridis
Brassicæ marinæ
Singulorum ℥ j. ß
Cinnamomi
Anisorum
Zingiberis
Seselidis
Amidis
Dauci
Camphoræ
Gummi Arabici
Masticheѕ
Singulorum G̃ xv.

Misc.

Misc.& cum succo radicum iridis fiat globus,è quo cùm opus est,pilulę conformentur,quarum sumenda quantitas est à scrupulis duobus vsque ad quatuor. Audito & medicamentum ex his simplicibus confectum, quæ propriè ac peculiariter humores educunt:

℞. Cici ʒ x.
Seminum Thymelææ ʒ vj.
Radicum ebulorum
Sambuci.
Seminum chamæleæ
Empetri
Singulorum ʒ iij.
Cocci cnidij
Radicum Iridis
Singulorum ʒ iiij.
Corticum radicis cucumeris anguini ʒ j. ß.
Hippophaes
Lathyris si haberi possit ʒ j.
Cinnamomi
Anisorum
Amidis
Dauci
Zingiberis
Gariophyllorum
Salis gemmæ
Camphoræ
Gummi Arabici

Mastiches ʒ iii.

Singulorum ℥ xx.

Misc. & cum syrupo de corticibus citri fiat electuarium secundum artem: è quo duæ drachmę sumantur ex mulsa vel oxymelite vsque ad quatuor. REN. Si hippophaes & lathyris nõ haberentur, quid tunc agendum esset? RENA. Prætermitterentur. ex horum pretereà simplicium pulueribus, & ex eodem syrupo pilulæ confici possunt, de hísque ista sint satis. RENAT. Ad alia igitur progrediamur.

De medicamentis tam simplicibus, quàm compositis, bilem, pituitã & sanguinem educentibus.

CAPVT XIX.

BRASSAVOLVS.

Arissima inueniuntur medicamẽta, quæ bilem, pituitam, & sanguinem educere valeant. RENA. Ego vnum noui. BRASS. Et ego vnum. RENAT. Refer tuum. BRAS. Est colocynthis. RENA. Et hoc illud est, de quo intelligebam. BRAS. Dioscorides notat pulpam fructus ipsius bilem educere, pituitam, strigmẽta & sanguinem. RENA. Sanguinem ideo educit, quia

quia ſtrigmenta educit. BRAS. Hanc ob rem à Dioſcoride ſcriptũ eſt, primò, quòd trahit bilem, pituitam, ſtrigmẽta, interim ſanguinem, ac ſi dixerit, ideò ſanguinem attrahere, quia ſtrigmenta attrahit, nã ſtrigmenta ſunt inteſtinorũ ſcobes, & ramenta, inteſtinis verò abraſis, venulæ diſrumpuntur, & ſtatim ſanguis emanat. RENA. Igitur nec propriè ſanguinem attrahet. BRASS. Non directè, & vt ſanguis eſt. RENA. At quomodo præbetur, & in quãta copia? BRASS. Medullæ fructus quatuor obolos præbet Dioſcorides in aqua mulſa cũ nitro & myrrha & decocto melle deuorata. RENA. Cur mel addit, ſi in mulſa aqua præbet? BRAS. Eſt amariſsima colocynthis, vt mulſa amaritudinem remittere non poſsit, iccirco mel addidit, vt amaritudo quantum fieri poteſt remitteretur. REN. Præbuiſtine quandoque ſolã colocynthidẽ? BRAS. Nunquàm præbui ſolam, ſed vidi quendã qui illam bibit ſolam in aqua infuſa. RENA. Quid in hoc egit? BRAS. Illum penè exanimauit: nam præter bilem & pituitam ramenta eduxit vehemẽtiſsimè, & cũ magnis torminibus, ac ſanguinem eduxit. RENA. Nunquàm igitur ſolam præbuiſti? BRAS. Nunquàm, imò illa quæ miſcui, vim potius habebant

eius eductionem sistendi, quàm incitandi. RENA. Nec mirum: nõ enim calchari indiget colocynthis, at cum quibus præbuisti? BRAS. Cum his, quæ sequuntur:
℞. Mastiches ℈ j.
Tragacanthi ℈ ij.
Gallæ moschatæ ℈ ß.
Anisorum
Fœniculorum
Zingiberis
Camphoræ
Singulorum ℥ vj.
Pulpæ colocynthidis ℈ j.
Misc. & fiat puluis subtilissimus, qui in iure bibatur, vel in aqua mulsa, quãdoq; hæc ebulliri feci in aqua cum despumati mellis vncia, idque decoctum præbui. Quãdoque in pilulas redigi iussi, at quocunque modo exhibita vehementer educit. Arabes trochiscos confecère, quos alandaal vocãt, qui ex pura conficiuntur colocynthide his additis, quæ illius vim cõtingunt, & nocumenta, quæ inferre possunt, emendant, ac remouent, ipsa verò actionem illius minimè augent. RENA. Fortè quando præbuisti plura nõnunquàm, & aliàs pauciora addidisti. BRAS. Imò ita esse ne dubitato, at raro præbui, & non nisi coactus fuerim, vt in Gallica scabie contingit, quando à iun-

cturis euacuandum est, colocynthis nimirum à iuncturis mirificè euacuat. RENA. Súntne aliæ in vsu partes præter fructus pulpam? BRAS. Dioscorides vtitur ipsius pilis, & vult pilas ipsas aridas bilem, pituitam, strigmenta, atque sanguinem educere. RENAT. At pilæ sunt ipse fructus. BRASSA. De ipsis dicit decoctum in aqua mulsa vel passo, refrigeratū sub diuo, crassitudines & ramēta detrahit. RENA. Hoc igitur solum simplex medicamentum bilem, pituitam & sanguinē educere aptum est? BRASSA. Hoc solùm, imò nec directè sanguinem educeret, nisi copiose præberetur, sed ideò sanguinem educit, quia ramenta facit, hoc est, vi sua acri intestina erodit, tamē mihi succurrit & scāmonium bilem, pituitam & sanguinem educere aptum esse. Nam cum bilem eduxit, pituitam educit, si medicamenti vis adhuc superfit atram bilem educit, & denique sanguinem. RENA. At omnia cathartica medicamenta hoc efficere possunt, imò & à Rhabarbaro, & ab aloë hoc fieri quandoque percepi, sed ante sanguinem semper atra bilis educitur. BRASSA. Ob hæc notare debes, & si de colocynthide scriptum, quòd si post pituitā sanguinē educat, hunc tamen non nisi post atram bilem educit,

hoc solùm remoto, quòd antequàm atram bilem educat, ramenta fecerit, quia ad ramenta, id est, intestinorum abrasionem sanguis statim consequitur. RENA. Nunc composita afferto, quibus vti possimus. BRASSA. Hoc est leue medicamentum bilem, pituitam, & sanguinem educens,

℞. Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum luteorum
Singulorum ℈ ij.
Foliorum Tiliæ
Orobi
Singulorum ℈ j.
Decocti centaurij minoris ℥ iiij.

Misc. & conuenienti hora propinetur. Audito & pilulas quæ eosdem humores leuiter educunt:

℞ Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum luteorum
Singulorum ℈ j. ß.
Orobi
Foliorum Tiliæ
Singulorum ℈ ij.

Misc. & cum succo centaurij minoris fiant pilulæ, quæ omnes vna vice præbeantur. Sequitur & mediocre medicamentum ad bilem, pituitam, & sanguinē educenda.

℞ Foliorum Tiliæ
Mercurialis

Radicum capparorum
Centaurij minoris
Periclymeni
Singulorum m. j.
Misceant. & bulliant in suffic. quantitate aquæ, secundum artem, posteà seorsum
℞. Rhabarbari electi ʒ. j.
Myrobalanorum luteorum
Myrobalanorum chebulorum
Agarici
Singulorum ℈ ij.
Hæc misceto & crasso modo contundi iubeto, & infundantur in sex vncias decoctionis prædictæ secundum artem, posteà exprimantur, hócque expressum zucaro dulcoretur, ac cōuenienti hora bibatur. & si quis esset, qui potiones negligeret, huic ea, quæ sequuntur præbeantur catapotia.
℞. Agarici
Rhabarbari electi
Singulorum ʒ j.
Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum luteorum
Singulorum ʒ j. ß.
Pulpæ colocynthidis ℈ ij.
Centaurij minoris
Periclymeni
Foliorum Tiliæ
Singulorum ℈ j.

Misc. & cum succo orobi conformetur globus, ex quo deinde cum opus erit pilulæ conficiantur, ex eodem orobi succo quantitas sumenda est à drachma vna vsque ad duas. At quod sequitur vehementissimum est medicamentum ad bilem, pituitam & sanguinem educenda:

℞. Turbith
Scammonij
Singulorum ʒ ij.
Pulpæ colocynthidis ʒ iiij.
Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum luteorum
Singulorum ʒ iij.
Rhabarbari electi Agarici
Aloës lotæ
Singulorum ʒ j.
Cantharidarum præparatarum ℈ ß.
Cinnamomi
Mastiches
Gummi arabici
Colophoniæ
Zingiberis
Camphoræ
Anisorum
Fœniculorum
Gariophyllorum
Salis gemmæ
Singulorum ℥ x.

Misc.& cum oxymelite composito ac zucaro fiat electuarium secundum artem, cuius quantitas sumenda est à drachmis tribus vsque ad sex. Ita verò adhibeatur:

℞ Foliorum Tiliæ
Centaurij minoris
Periclymeni Orobi
Radicum capparorum
Mercurialis
Singulorum m. j.

Misc.& bulliant in aqua secundum artem, posteà prædictum medicamentum ex quatuor huius decocti vnciis præbeatur. Sequuntur pilulæ vehementiores ad bilem, pituitam, & sanguinem educenda.

℞. Pulpæ colocynthidis ʒ iiij.
Turbith
Scammonij
Singulorum ʒ iij.
Agarici
Rhabarbari electi
Aloës lotæ
Singulorum ʒ ij.
Myrobalanorum luteorum
Myrobalanorum chebulorum
Singulorum ʒ j.
Seminum vrticæ
Periclymemi
Centaurij minoris

Mercu

Mercurialis
Foliorum Tiliæ
Corticum radicum capparorum
Singulorum ℈ ij.
Cantharidarum præparatarum ℈ ß.
Cinnamomi
Zingiberis
Mastiches Dauci
Gummi Arabici
Tragacanthi
Camphoræ
Anisorum
Amidis
Salis gemmæ
Singulorum ʒ vj.

Misc.& cum succo orobi fiat globus,è quo quando opus erit cum eodem succo pilulæ cōficiantur. Quantitas sumenda est à duobus scrupulis vsque ad quatuor. RENA. Iam caput aliud aggrediaris.

De medicamentis tam simplicibus, quàm compositis,bilem flauam, atram bilem, & ichores educentibus.

CAPVT XX.

BRASSAVOLVS.

INter illa simplicia, quæ bilem,atram bilem,& ichores vnà educunt, quæ paucissim

sima sunt, nonnulli serum enumerant. RENA. A venis serum nihil attrahere arbitror. BRA. Nihil penitus, sed illa tantùm subducit, quæ in intestinis inuenerit, & si copiosè sumatur. RE. Hoc à nullo authore fide digno referri arbitror. BRAS. Est quidam ex recentioribus, nam à Dioscoride tantùm dicitur, quòd magis purgat, quàm lac, darique iubet, quando absque acrimonia fieri deiectiones libeat, & fortè quia sequitur tanquam melancholicis, aliqui atram bilem subducere arbitrati sunt. RE. Non mihi displicet eiuscemodi coniectura, tamen Mesue de bile & atra bile planè dicit, quòd bilem & atram bilem subducit, aliqui Serapionem referunt, vtpote qui aquas subducere scriptum reliquerit, cum neque somniauerit quidem, sed de aqua tantùm verba facit, quæ descendit ad oculũ, & mouet medicamẽta, quæ ob hãc causam oculis adhibẽtur, esse lactis aquositati, hoc est sero miscẽda. RE. Alia refer simplicia idem facientia medicamenta. BRA. Aliqui putãt elleborũ nigrũ eosdem humores educere. RE. At superiùs dictum est pituitam euacuare cũ atra bile ac bilẽ. Idem iudicium est de albo elleboro, cùm verò nulla alia adsint simplicia, quæ hoc efficere possint, ad composita deueniendũ

est

est. REN. Composita igitur edissere, quibus vsus es ad bilem, atrã bilem & aquas educenda. BRAS. Hoc est leue medicamẽtum ad hoc facilè efficiendum.

℞. Myrobalanorum luteorum
Myrobalanorum Indorum
Singulorum ℥ j. ß.
Brassicæ marinæ ℥ ß.

Misc. & infundantur in quatuor vncias infusionis senæ per decem horas, postea exprimantur, & hoc expressum zucaro dulcoretur, ac conuenienti horà bibatur. Si verò quispiam potabilia renueret medicamenta, voret has pilulas ad eosdem humores leuiter educendos.

℞. Myrobalanorum luteorum
Myrobalanorum Indorum
Singulorum ℈ j.
Radicum Iridis ℈ ij.

Misc. & cum succo lactucæ syluestris fiant Pilulæ, quæ omnes vna vice sumantur. mediocre nunc sequitur medicamentum ad bilem, atram bilem, & ichores educenda.

℞. Rhabarbari electi
Epithymi
Singulorum ʒ j.
Myrobalanorum Indorum
Myrobalanorum luteorum
Singulorum ℈ ij.

Rad

Radicum iridis ℥ ß.

Misc.& infundantur in quatuor vncias infusionis senæ secundum artem, posteà exprimantur,& hoc expressum zucaro dulcoretur ac bibatur. Pilulæ ad eosdem humores mediocriter educendos,

℞. Rhabarbari electi ℥ j.
Radicis iridis ℥ ß.
Ellebori nigri ℈ ß.
Zingiberis
Cinnamomi
Anisorum
Singulorum ʒ ij.

Misc.& cum syrupo rosato solutiuo pilulæ conficiantur, quæ simul vna vice sumi debent. Audito & medicamentum, quod bilem, atram bilem, & aquas vehementer educet.

℞. Scammonij
Ellebori nigri
Singulorum ℥ ß.
Rhabarbari electi
Epithymi
Myrobalanorum Indorum
Myrobalanorum luteorum
Singulorum ℥ j.
Brassicæ marinæ
Radicum iridis
Ebulorum

Sin g

Singulorum ʒ ß.
Cinnamomi
Dauci
Zingiberis
Maſtiches
Aniſorum
Colophoniæ
Gummi Arabici
Singulorum G̃ x.

Miſce.& cum zucaro fiat electuarium, cuius ſumenda quantitas eſt à drachmis tribus vſque ad ſex. Et ſi quis potiones abhorreret, ſequentia ſumat catapotia, quæ ad hoc propoſitum vehementiora ſunt:

℞. Scammonij
Ellebori nigri
Singulorum ʒ iiij.
Epithymi
Polypodij
Rhabarbari electi
Singulorum ℈ j.
Radicum ebulorum
Iridis
Braſsicæ marinæ
Singulorum ʒ j.ß.
Cinnamomi
Gariophyllorum
Dauci
Aniſorum

Maſtic

Mastiches
Thuris
Camphoræ
Singulorum ℈ x.

Misc.& cũ syrupo rosato solutiuo fiat glo bus,è quo pilulæ cõficiantur,quarũ sumenda quantitas est à scrupulis duobus vsque ad quatuor. REN. Alia nunc prosequaris.

De medicamentis tam simplicibus, quàm compositis, bilem flauam, & atram bilem, & sanguinem educentibus.

CAPVT XXI.

BRASSAVOLVS.

NVllum simplex noui medicamẽtum, quod bilem, atram bilem & sanguinem simul educeret. REN. Neq; ego, nisi vehementia sumamus medicamẽta,quando in maxima copia sunt adhibita. BRA. Tunc omnes subducunt humores, & non illos tantùm, de quibus mentio facta est. REN. Quid igitur à nobis agendum? BR. Composita sunt referenda medicamenta, quæ hoc efficere valent. REN. Iam aures erexi,& illa audire sum paratus. BR. Hoc est leue medicamentum bilem, atram bilem,& sanguinem educens.

℞. Myrobalanorum luteorum
Myrobalanorum Indorum
Singulorum ℥ j.
Misc.& fiat puluis subtilissimus, posteà
℞. Seminum yrticæ
Mercurialis
Foliorum Tiliæ
Periclymeni
Radicum capparorum
Orobi
Singulorum ℥ ij.
Misc.& fiat decoctio in sufficienti quantitate aquæ secundum artem, posteà recipe huius decocti vncias quinque, pulueris prædicti descripta quantitas, simul misceantur,& conuenienti hora bibatur. si myrobalani in duplo ponderis prædicti sumerentur, possent omnia vnà ebulliri,& decocti sex vncias bibi, zucaro dulcorati. Sequuntur pilulæ quæ eosdem humores leuiter educunt, si quispiam ea quæ in potu sumuntur, renuat medicamenta.
℞. Myrobalanorum Indorum
Myrobalanorum luteorum
Singulorum ℥ ß.
Periclymeni
Foliorum Tiliæ
Singulorum ℈ ß.
Misc.& cum succo orobi fiant pilulæ, quæ omn

omnes vna vice ſumantur. Audito & medicamentum bilem, atram bilem, & ſanguinem mediocriter educens:

℞. Rhabarbari electi
Epithymi
Polypodij
Singulorum ʒ j.
Periclymeni
Foliorum Tiliæ
Radicum capparorum
Orobi
Singulorum ℈ j.

Miſc. & infundantur in quatuor vncias infuſionis ſenæ ſecundum artem, poſteà exprimantur, & expreſſum zucaro dulcoretur, ac conuenienti hora bibatur. Pilulæ ſequuntur, quæ idem mediocriter efficere poſſunt.

℞. Rhabarbari electi
Ellebori nigri ℈ ß.
Periclymeni
Foliorum Tiliæ
Singulorum G̃ vj.

Miſc. & cum ſucco orobi fiant pilulæ, quæ omnes vna vice ſumantur. Medicamentum ſequitur bilem, atram bilem, & ſanguinem vehementer educens:

℞. Scammonij ʒ vj.
Ellebori nigri ʒ iiij.

Myrobalanorum Indorum
Myrobalanorum luteorum
Singulorum ʒ iij.
Rhabarbari electi
Polypodij
Epithymi
Singulorum ʒ j.
Periclymeni
Orobi
Radicum capparorum
Foliorum Tiliæ
Mercurialis
Maluæ
Singulorum ℈ j.
Cantharidarum præparatarum ℈ ß.
Cinnamomi
Zingiberis
Gariophyllorum
Aniſorum
Dauci
Amidis
Seſelidis
Camphoræ
Maſtiches
Tragacanthi
Gummi Arabici
Singulorum G x.
Miſceantur,& cum zucaro fiat electuariũ, cuius quantitas ſumenda eſt à drachmis quat

quatuor vsque ad sex. Pro his verò, qui potiones bibere non possunt, hæ pilulæ paratæ seruentur.

℞. Scammonij præparati
Ellebori nigri
Singulorum ℥ vj.
Rhabarbari electi
Epithymi
Polypodij
Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum Indorum
Singulorum ℥ j.
Radicum capparorum
Foliorum Tiliæ
Periclymeni
Centaurij minoris
Cantharidarum præparatarum
Singulorum ℈ j.
Cinnamomi
Zingiberis
Dauci
Anisorum
Camphoræ
Mastiches
Gummi Arabici
Singulorum ℨ xij.

Misceatur, & cum succo orobi ac despumato melle fiat globus, è quo cum eodē succo, quando opus erit, pilulæ conficiantur,

quarum quantitas sumenda sit à scrupulis duobus vsque ad quatuor. R E N. Iam caput aliud aggrediare.

De medicamentis tam simplicibus, quàm compositis, quæ bilem, ichores & sanguinem educunt.

CAPVT XXII.

BRASSAVOLVS.

Mihi profectò simplex aliquod medicamentum non succurrit, quod bilem, ichorem, & sanguinem solum educere posit. R E N. Neq; mihi propterea composita quibus vsus es, ad hæc euacuanda adducere nihil impediet, nam illa pro his euacuandis erunt satis, quæ fortè rarò euacuanda contingunt. B R. De bile & ichoribus non rarò contingit, & non pauca sunt quæ hos duos humores subducere valent, sed sanguine ipso addito, nullum est simplex medicamentum, quod hæc tria sola educere valeat. Imò rarissime hæc tria simul educere contingit. Nam tunc tantùm euacuāda veniūt, cùm inutilis sanguis venas exiuerit. Medicamētū igitur audito bilem, aquositates, & sanguinem educens:

℞. Myrobalanorum luteorum

Rha

Rhabarbari electi
Singulorum ℈ ij.
Radicum ebulorum
Brassicæ marinæ
Singulorum ℥ j.
Misceantur, & contundantur vt infundi possint, posteà
℞. Foliorum Tiliæ
Periclymeni
Orobi
Mercurialis
Radicum capparorum
Singulorum ℥ ij.
Hæc misceantur, & in aqua bulliant secundum artem, posteà recipiantur sex vnciæ huius decoctionis, & prædictum puluerem in illas infunde secundum artem, posteà exprime, & hoc expressum zucaro dulcoretur, & conuenienti hora bibatur, hæ verò sunt pilulæ, quæ eosdem humores leuiter educunt.
℞. Myrobalanorum luteorum
Rhabarbari electi
Singulorum ℥ ß.
Radicum ebulorum ℈ j.
Periclymeni ℈ ß.
Misc. & ex succo orobi pilulæ conficiatur, ad quantitatem quæ ægrotanti placuerit, omnésque vna vice præbeantur. Audito

post hæc medicamentum, quod bilē, aquositates, & sanguinem mediocriter educet.
℞. Rhabarbari electi
Myrobalanorum luteorū
Singulorum ʒ j.
Misc. & infundantur in sex vncias sequentis decoctionis.
℞. Orobi Radicum capparorum
Centaurij minoris
Foliorum Tiliæ
Periclymeni
Singulorum M. ß.
Misc. & ebulliant, post ebullitionem & infusionem exprimantur, & expressum zucaro dulcoretur. Pilulæ sequūtur, quæ eosdē humores mediocriter euacuare possunt.
℞. Rhabarbari electi ʒ j.
Radicum ebulorum ℈ j.
Centaurij minoris ℈ ß.
Periclymeni Ǥ vj.
Misc. & cum succo lactucæ syluestris fiant pilulæ, quæ omnes vna vice sumātur. Nūc vehemens sequitur medicamentum, ad bilem, ichores, & sanguinem educendā.
℞. Scammonij præparati
Radicum ebulorum
Singulorum ʒ vj.
Rhabarbari electi
Radicum iridis
Sing

Singulorum ℥ iij.
Myrobalanorum luteorum
Braſsicæ marinæ
Singulorum ℥ ij.
Foliorum Tiliæ
Periclymeni
Orobi
Maluæ
Centaurij minoris
Mercurialis
Singulorum ℈ j. ß.
Cantharidarum præparatarum ℈ ß.
Cinnamomi
Zingiberis
Dauci
Seſelidis
Amidis
Camphoræ
Gummi Arabici
Maſtiches
Singulorum Gr. xv.

Miſc.& cum zucaro fiat electuarium ſecundum artem,è quo à drachmis quatuor vſque ad ſex accipiatur.Pro his verò qui potiones negligunt,ſed potius pilulas deglutire optant,hæ pilulæ adhibeantur,quę eoſdem humores vehemẽtiſsimè educũt:
℞. Scammonij præparati
Radicis ebulorum

Singulorum ʒ iij.
Rhabarbari electi
Myrobalanorum luteorum
Singulorum ʒ ij.
Radicum iridis
Brasicæ marinæ
Singulorum ʒ j.
Mercurialis
Periclymeni
Foliorum Tiliæ
Centaurij minoris
Maluæ
Singulorum ℈ ß.
Cantharidarum præparatarum G xij.
Cinnamomi
Dauci
Zingiberis
Aniforum
Camphoræ
Salis gemmæ
Gummi Arabici
Colophoniæ
Masiches
Singulorum G xv.

Misce. & cum orobi fucco ac despumato melle fiat globus, è quo quando opus erit pilulæ conficiantur, cum syrupo rosaceo solutiuo. Quantitas verò sumenda est, à duobus scrupulis vsque ad quatuor. REN.

Reliq

Reliquas humorum complicationes contemplemur.

De medicamentis tam simplicibus, quàm compositis, pituitam, atram bilem, & ichores educentibus.

CAPVT XXIII.

BRASSAVOLVS.

Illa impræsentiarum enumeranda accedunt, quæ pituitam, atram bilem & aquositates subducunt. REN. De irino oleo me legisse memini, quod pituitam, aquas, purulēta & atra per clysterem immissum educit. BRAS. Et ego idem legi, at arbitror per os sumptum illud efficacius effectūrū esse. Est ex diuersis simplicibus compositum, vt in nostro de oleis libello docuimus, per os autem sumi Dioscorides testatur, cùm ait trahere aluum volētibus cyathi pondere bibendum, à Dioscoride verò non explicatur, quòd pituitā, atram bilem, & ichores educat. REN. Si irinum vnguentum id non præstabit, fortè à Mesue alsebrā præstabit, nā de eo dicit, quòd pituitam vehementer educit, & aquas citrinas, & humores melācholicos. BR. Dioscorides dicit purgare per aluum, at quos

humor

humores purget, haud exprimit. REN A T. Quid est apud Dioscoridem Alsebrã? B R. Est pityusa. R E N. Nunc memoriæ subiit, & nulli dubium est apud Serapionem & Auicennam, at Mesue quid sit haud probè exprimit. Tamen est apud ipsum vel paralios tertium Tithymali genus, vel cyparissias quintum, vel sit pityusa, cũ & ipsa purget, vt Tithymali genera, pituitam & bilẽ educet. tamẽ non erit ab re experiri, cùm occasio præstabitur, quósnã humores subducat. R E N. Fiet & proculdubio, sed in quanta præbetur copia? B R A S. Mesue inquit radicis corticẽ posse præberi à drachmis duabus vsque ad septem, & lac à chirath vno vsque ad septem. R E N. At Dioscorides in maiori copia pityusam prębet B R A S. Dioscorides radicem præbet in aqua denariis duobus, & seminis præbet vnũ denariũ, & lactis farina in catapotium misti, & folio, præbet tres denarios. R E N. Est aliqua in pondere differentia, nósciſne alia simplicia, quæ prædictos humores vnà subducere posſint? B R A S. Nulla alia. R E N A. Ad composita igitur te conferto. B R A. Hoc est medicamentum, pituitam, atram bilem, & aquas leuiter educens.

℞. Myrobalanorum chebulórum
Myrobalanorum Indorum

Sing

Singulorum ℥ j. ß.
Radicum ebulorum ℥ ij.

Misc.& infundantur in quatuor vncias infusionis senæ secundum artem, posteà exprimantur, expressúmque zucaro dulcoretur,& conuenienti hora adhibeatur. Pilulæ ad eosdem humores leniter ac blandè educendos.

℞. Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum Indorum
Singulorum ℈ j. ß.
Radicum ebulorum ℈ j.

Misc.& cum succo lactucæ syluestris fiant pilulæ, quæ omnes vna vice sumantur. Medicamentum sequitur pituitam, atram bilem,& ichores mediocriter educens:

℞. Agarici
Myrobalanorum chebulorum
Singulorum ℨ j.
Myrobalanorum Indorum ℨ ß.
Polypodij
Epithymi
Singulorum ℈ j.
Radicum ebulorum
Brassicæ marinæ
Singulorum ℨ j. ß.

Misce.& infundantur in sex vncias aquæ hyssopi secundum artem, posteà exprimatur,& hoc expressum zucaro dulcoretur,

ac conuenienti hora præbeatur. Pilulæ quę idem mediocriter præstare possunt.

℞. Agarici ℥ j.
Ellebori nigri
Radicum ebulorum
Singulorum ℈ j.

Misc. & cum succo lactucæ syluestris fiant pilulæ, quæ omnes vna vice sumantur. Audito nunc medicamentum, quod pituitam atram bilem, & aquas vehementer educit:

℞. Turbith ℥ iiij.
Agarici ℥ iij.
Ellebori nigri ℥ iij. ß.
Myrobalanorum Indorum
Myrobalanorum chebulorum
Singulorum ℥ v.
Radicum iridis
Ebulorum
Brassicæ marinæ
Singulorum ℥ j.
Zingiberis
Cinnamomi
Salis gemmæ
Camphoræ
Gummi arabici
Mastiches
Tragacanthi
Aniforum
Dauci

Misc.& cum zucaro fiat electuarium secundum artem, cuius sumenda quantitas est à drachmis quatuor vsque ad sex. Pilulæ nunc sequuntur, quæ eosdem humores vehementer educere valent.

℞. Turbith ʒ vj.
Pulpæ colocynthidis ʒ ij.
Ellebori nigri ʒ iiij.
Agarici
Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum Indorum
Singulorum ʒ j. Iridis
Radicum ebulorum
Brassicæ marinæ
Singulorum ʒ j. ß.
Cinnamomi
Zingiberis
Anisorum
Camphoræ
Dauci
Gummi Arabici
Mastiches
Tragacanthi
Singulorum ℈ ß.

Misc. & cum succo lactucæ syluestris & melle rosato colato fiat globus, è quo deinde, quãdo opus erit, pilulę cõficiãtur, quarũ quantitas sumenda est à scrupulis duobus vsq; ad quatuor. *X* *E*. De his iam satis.

De medicamentis tam simplicibus, quàm compositis, pituitam, atram bilem & sanguinem educentibus.

CAPVT XXIIII.

BRASSAVOLVS.

NVllum simplex medicamentum noui, neque legi, quod pituitam, atram bilem, & sanguinem sola educat. REN A. Neq; ego aliquod noui, iccirco de solis cōpositis agere oportebit. BRASS. Erudito igitur medicamentum leue, quod pituitā, atram bilem, & sanguinem subducit.

℞. Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum Indorum
Singulorum ʒ j.ß.
Foliorum Tiliæ
Periclymeni
Singulorum ʒ ij.

Misc. & infundātur in quatuor vncias decocti cētaurij minoris secundū artē, postea exprimantur, & hoc expressum zucaro dulcoretur, & si cupiā potiones displicerent, hic poterit eiuscemodi accipere catapotia, quæ eosdē humores leniter educent:

℞. Myrobalanorum Indorum
Myrobalanorum chebulorum

Sing

Singulorum ℈ ij.
Foliorum Tiliæ ℈ j.
Misc. & cum succo orobi fiant pilulæ, quæ omnes vna vice sumantur. Medicamētum sequitur, quod pituitam, atram bilem, & sanguinem mediocriter educet.
℞. Agarici ʒ j.
Ellebori nigri ℈ j.
Orobi
Periclymeni
Foliorum Tiliæ
Radicum capparorum
Singulorum ℈ ij.
Misc. & infundantur in sex vncias decocti centaurij minoris secundum artem, posteà zucaro dulcoretur & conuenienti hora præbeatur, pilulæ quæ eosdem humores mediocriter euacuant.
℞. Agarici ℈ ij.
Ellebori nigri ℈ j.
Foliorum Tiliæ
Periclymeni
Singulorum ℈ ß.
Misc. & cum succo orobi fiant pilulæ, quæ omnes vna vice sumantur. Denique vehemens audito medicamentum quo pituita, atra bilis, & sanguis educuntur.
℞. Turbith ʒ iij.
Agarici ʒ j.

Myrobalanorum chebulorum ℥ ij.
Ellebori nigri ℥ ij. ß.
Polypodij
Epithymi
Singulorum ℥ j. ß.
Cantharidarum præparatarum ℈ ß.
Foliorum Tiliæ
Periclymeni
Radicum capparorum
Orobi
Mercurialis
Maluæ
Singulorum ℥ ß.
Cinnamomi
Zingiberis
Salis gemmæ
Anisorum
Fœniculorum
Gummi arabici
Mastiches
Singulorum G x.

Misc.& cum melle rosaceo fiat electuariũ, cuius sumenda quantitas est à drachmis quatuor vsque ad sex, hæ verò sunt vehementes pilulæ ad eosdem humores vehementer educendos:

℞. Turbith ℥ iij.
Agarici ℥ ij.
Myrobalanorum chebulorum ℥ j.

Lapid

Lapidis lazuli
Ellebori nigri
Singulorum ℥ j. ß.
Cantharidarum præparatarum ℈ ß.
Foliorum Tiliæ
Radicum capparorum
Mercurialis
Periclymeni
Malue
Singulorum ℥ ß.
Anisorum
Cinnamomi
Gummi arabici
Salis gemmæ
Camphoræ
Zingiberis
Mastiches
Tragacanthi
Amidis
Seselidis
Dauci
Singulorum ℈ x.
Misc.& cum succo orobi fiat globus,è quo pilulæ,quando opus erit cōficiantur, quarum sumenda quātitas est à scrupulis duobus vsque ad quatuor. R E N A. Nunc caput aliud aggrediaris.

De medicamentis tam simplicibus, quàm compositis, pituitam, ichores & sanguinem educentibus.

CAPVT XXV.

BRASSAVOLVS.

NOn possum & in hoc loco, vel vnum referre medicamentum, quod pituitam, ichores, & sanguinẽ vna ac sola educat. RENA. Neque ego vllum scio, proptereà ad cõposita accedendũ est, quæ hoc pręstare valent. BRAS. Hoc est compositũ medicamentum quod pituitam, ichores & sanguinem leuiter educere potest.

℞. Myrobalanorum chebulorum ℥ ij.
Radicum ebulorum ℥ j. ß.
Misc. & præparentur ad infusionem, posteà
℞. Periclymeni
Foliorum Tiliæ
Centaurij minoris
Orobi
Radicum capparorum
Singulorum M. j.
Misc. & fiat decoctum in suffic. quantitate aquæ secũdum artem, posteà in sex vncias huius decocti chebuli & ebuli infundãtur secundum artem, posteà exprimantur, &

exp

expressum zucaro dulcoretur, ac hora conuenienti bibatur, pro his verò qui potiones negligunt, hæ pilulæ conficiantur ad humores leuiter educendos.

℞. Myrobalanorum chebulorum ℥ j.
Radicum ebulorum ℥ ß.
Periclymeni Ǧ vj.

Misc. & cum succo orobi fiant pilulæ, quæ omnes vna vice sumantur. Nunc verò medicamentum audito, quod pituitam, ichores, & sanguinem mediocriter educit.

℞. Agarici
Myrobalanorum chebulorum
Singulorum ℥ iij.
Radicum ebulorum
Brasicæ marinæ
Singulorum ℥ j.
Orobi
Periclymeni
Radicum capparorum
Foliorum Tiliæ
Mercurialis
Singulorum ℥ iij.

Misc. & cum melle rosaceo fiat electuarium cuius sumenda quātitas est à drachmis sex vsque ad octo. At hæ sunt pilulæ, quæ eosdem humores mediocriter educent.

℞. Agarici ℈ ij.
Myrobalanorum chebulorum

Radicum ebulorum
Singulorum ℈ ß.
Brassicæ marinæ ℈ j.
Periclymeni
Foliorum Tiliæ
Singulorum G̃ x.

Misc. & cum succo orobi fiant pilulæ, quæ omnes vna vice sumantur. Medicamentũ sequitur pituitam, ichores, & sanguinem vehementer educens.

℞. Turbith ʒ vj.
Pulpæ colocynthidis ʒ iij.
Agarici ʒ iiij.
Myrobalanorum chebulorum ʒ ij.
Radicum ebulorum
Iridis
Brassicæ marinæ
Lactucæ syluestris
Singulorum ʒ iij. ß.
Periclymeni
Radicum capparorum
Foliorum Tiliæ
Orobi
Mercurialis
Singulorum ʒ j.
Cantharidarum præparatarum ℈ ß.
Cinnamomi
Zingiberis
Gariophyllorum

Cam

Camphoræ
Gummi arabici
Aniſorum
Amidis
Seſelidis
Maſtiches
Tragacanthi
Dauci
Singulorum ℥ x.

Miſce. & cũ ſyrupo de corticibus citri fiat electuarium. Cuius quãtitas ſumenda eſt, à drachmis quatuor vſque ad ſex. Pilulæ ſequuntur, eoſdem humores vehementer educentes:

℞. Turbith
Pulpæ colocynthidis
Singulorum ʒ ij.
Agarici
Myrobalanorum chebulorum
Singulorum ʒ ij.
Radicum ebulorum
Iridis
Braſsicæ marinæ
Singulorum ʒ ij. ß.
Radicum capparorum
Foliorum Tiliæ
Periclymeni
Mercurialis
Singulorum ʒ iiij.

Cinnamomi
Zingiberis
Salis gemmæ
Camphoræ
Aniſorum
Dauci
Gummi Arabici
Maſtiches
Tragacanthi
Seſelidis
Singulorum ℥ I.

Miſc. & cum ſucco orobi fiat globus, è quo cùm opus eſt, pilulæ conficiantur, quarum ſumenda quantitas eſt à ſcrupulis duobus vſque ad quatuor. RENA. Iam huius contẽplationis fini appropinquamus. BRAS. Nondum illum attigimus. RENA. Tandem attingemus.

De medicamentis tam ſimplicibus, quàm cõpoſitis, atram bilem, ichores & ſanguinem educentibus.

CAPVT XXVI.

BRASSAVOLVS.

ET hæc nimirum cõplicatio talis eſt, vt nullũ ſimplex medicamentũ reperiri ſciuerim, quod tres iſtos humores ſimul, abſq

absque compositionis vsu educat. RENA. De cōpositis igitur agendum erit. BRAS. Ita efficiemus: hoc est medicamētum leue ad atrā bilē, ichores & sanguinē educenda.

℞. Myrobalanorum Indorum ℨ ij.
Radicum ebulorum
Brassicæ marinæ
Singulorum ℨ j ß.
Periclymeni
Foliorum Tiliæ
Singulorum ℨ j.

Misc. & infundantur in quatuor vncias infusionis senæ per decē horas, posteà exprimātur, & expressum zucaro dulcoretur, ac conuenienti hora bibatur. hæ verò sunt pilulæ ad eosdē humores leuiter educendos.

℞. Myrobalanorum Indorum ℨ j.
Radicum ebulorum ℨ ß.

Misc. & cū succo orobi fiant pilulæ, quæ omnes vna vice adhibeantur. Nunc audias medicamentum atram bilem, ichores, & sanguinem mediocriter educens.

℞. Myrobalanorum Indorum
Radicum ebulorum
Rosarum Damascenarum
Brassicæ marinæ
Singulorum ℨ j.
Centaurij minoris
Periclymeni Foliorum Tiliæ

Orobi
Singulorum ℈ j.
Misceantur & infundantur in quatuor vncias infusionis senæ per decem horas, posteà exprimatur, & in expressione dissolue
Lapidis lazuli præparati ℈ j.
Nunc sequuntur pilulæ, quæ eosdem humores mediocriter subducunt.
℞. Lapidis lazuli ℈ ij.
Myrobalanorum Indorum ʒ iij.
Radicum ebulorum
Rosarum damascenarum
Brassicæ marinæ
Singulorum ʒ j.
Centaurij minoris
Periclymeni
Foliorum Tiliæ
Singulorum ʒ ß.
Misceantur & cum succo orobi fiat globus, cuius quantitas sumenda est, à drachma vna vsque ad duas. Audito & tertio medicamentum, quod atram bilem, ichores & sanguinem vehementer educit.
℞. Ellebori nigri ʒ iiij.
Lapidis lazuli ʒ ij.
Myrobalanorum Indorum ʒ vj.
Radicum ebulorum
Iridis
Brassicæ marinæ

Lactucæ syluestris
Singulorum ℥ v.
Periclymeni
Foliorum Tiliæ
Radicum capparorum
Centaurij minoris
Orobi
Mercurialis
Singulorum ℥ j.
Cantharidarum præparatarum ℈ ß.
Zingiberis
Cinnamomi
Anisorum
Amidis
Seselidis
Salis gemmæ
Gummi Arabici
Masticħes
Singulorum Ğ xv.

Misc.& cum melle rosato colato fiat electuarium, cuius quantitas sumenda est à drachmis quatuor vsque ad sex, & si quispiã esset, qui potiones sumere nonvaleret, hic catapotia sequentia insumere poterit:

℞. Lapidis lazuli
Armeni
Singulorum ʒ ij.
Ellebori nigri ʒ iij.
Myrobalanorum Indorum ʒ iiij.

Radic

Radicum ebulorum
Rosarum damascenarum
Radicum iridis
Brassicæ marinæ
Singulorum ℥ ij. ß.
Cantharidarum præparatarum ℈ ß.
Radicum capparorum
Foliorum Tiliæ
Periclymemi
Centaurii minoris.
Mercurialis
Singulorum ℥ j.
Zingiberis
Cinnamomi
Anisorum
Seselidis
Dauci
Gummi arabici
Tragacanthi
Mastiches
Salis gemmæ
Camphoræ
Singulorum G x.
Succi orobi quantum sufficit.

Misceantur, & fiat globus, cuius sumenda quantitas est à scrupulis duobus vsque ad quatuor. RENATVS. Reliqua prosequamur.

De

De medicamentis tam simplicibus, quàm compositis, bilem, pituitam, atram bilem & ichores educentibus.

CAPVT XXVII.

BRASSAVOLVS.

Illa humorum cōplicatio iam finita est, qua tres simul euacuandi iungebantur. RENA. Nunc igitur medicamēta illa contemplemur, quæ quatuor humores simul iunctos educunt. BRASSA. Si huius coniunctionis medicamenta contemplari velimus, primò illa consideranda veniunt, quæ bilem, pituitam, atram bilem & ichores educunt. RENA. Nullum mihi succurrit medicamentum, quod hos quatuor humores vnà subducat. BRASSA. Neq; ego apud authorem quempiam, de aliquo simplici medicamento id scriptū inueni, quod bilem, pituitam, atram bilem, & ichores educat. Verūtamen nō dubito, imò expertus sum, omnia medicamēta quæ vna præter sanguinē tres educunt humores, ichores etiā educere. RE. Ergo omnia superius enarrata quæ bilem pituitā, & atrā bilem subducere diximus, aquositates etiā educere nihil impediet. BRAS. De hoc nō solùm

lùm nõ dubito, sed est mihi maximè explo ratũ. REN. Elleborũ igitur nigrũ, & spartum in hoc erunt genere? BRAS. Et polypodiũ etiam & pepliũ, ac pepli. REN. Si rectè memini, sena, colutea, & capillus Veneris in eodem erant numero. BRAS. Erant prorsus, & thymũ ac epithymũ illa comitabũtur. REN. De cõpositis igitur agendum est, quæ hos humores educere valẽt. BRAS. Omnia ferè, quæ in pharmacopoliis seruãtur composita medicamẽta, hoc efficere videtur. RE. Imò hæc fuit causa, cur in hunc sermonẽ descenderimus, nã cum apud Mãtuanorũ Ducem ageres, cõposita medicamenta considerás, quæ passim in pharmacopoliis habẽtur, nullũ reperi quod vnũ solum subduceret humorẽ, quẽ ab illis educendũ fatentur authores, vnde illis prætermissis, quę in pharmacopoliis seruãtur medicamẽtis, vt illa referres optarem, quę ad hos humores omnes educendos aliquãdo vsus es. BR. Id libẽter efficiã, & eũdẽ modũ seruabo, quem superiùs cœpi. Primò igitur medicamentũ audito, quod bilẽ, pituitã, atrã bilẽ & ichores leuiter educit, hócq; dici poterit catholicũ, id est, vniuersale medicamẽtum, quod scilicet oẽs educit humores: nã sãguis per medicamẽtũ educi nõ debet, nisi sit extra venas & inutilis. erit vero tamẽ

le medicamētū, quod ilicò fiet, neq; seruatur cōpositū, nullāq; indiget fermētatiōe.

℞. Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum luteorum
Myrobalanorum Indorum
Singulorum ℈ j. ß.
Radicum ebulorum ℈ j.
Infus. senæ ℥. iiij.

Misce. sequitur medicamentum ad idem, quod paratum seruari debet

℞ Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum luteorum
Myrobalanorum Indorum
Singulorum ℥ ß.
Agarici Rhabarbari
Epithymi
Singulorum ʒ ij.
Radicum ebulorum Brassicæ marinæ
Singulorum ʒ j.

Misc. & cū zucaro quātum sufficit fiat electuarium secundū artem, cuius quātitas sumēda est à drachmis quinque vsq; ad octo. sequuntur pilulæ leues quæ ilicò fieri pos. sunt ad eosdem humores educendos.

℞. Myrobalanorum luteorum
Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum Indorum
Singulorum ℈ j.
Radicum ebulorum ℈ j. ß.

Misc.

Misc.& cum syrupo rosaceo solutiuo fiant catapotia quæ omnia vna vice sumantur. Audito & pilulas ad eosdem humores educendos, quæ fermentatione indigent:

℞. Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum luteorum
Myrobalanorum Indorum
Singulorum ℨ iij.
Radicum ebulorum
Brasicæ marinæ
Singulorum ℨ ij.

Misce.& tum syrupo rosaceo solutiuo fiat globus, cuius quantitas sumenda est à drachma vna vsque ad duas. Audito & medicamentum, quod ilicò confectum, bilem, pituitam, atram bilem & ichores mediocriter educere valet.

℞. Rhabarbari electi ℈ j. ß.
Agarici ℈ j.
Ellebori nigri Ġ viij.
Radicum ebulorũ ℈ ß.
Infus. senæ ℥ iiij.

Misc.& conuenienti hora præbeatur. Ad eosdem humores mediocriter educendos, medicamẽtũ quod fermentatione indiget.

℞. Rhabarbari electi Agarici
Singulorum ℨ vj.
Myrobalanorum Indorum
Myrobalanorum luteorum

Myrobalanorum chebulorum
Singulorum ℥ iij.
Lapidis lazuli ℥ j.
Radicum ebulorum
Brassicæ marinæ
Singulorum ℥ ij.

Misc.& cum melle rosato colato fiat electuarium, cuius sumenda quantitas est à drachmis sex vsq; ad octo. Nunc refero pilulas,quæ eosdẽ humores mediocriter educunt,& nulla egent fermentatione:

℞. Rhabarbari electi
Agarici
Singulorum ℈ j.
Lapidis lazuli ℈
Radicum ebulorum
Singulorum ℈ ß.

Misc.& cum syrupo rosaceo solutiuo fiant pilulæ,quæ omnes vna vice sumantur. Sequuntur nunc pilulæ, quæ idem efficere possunt,sed fermentatione indigent:

℞. Rhabarbari electi
Agarici
Lapidis lazuli
Singulorum ℥ ij.
Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum luteorum
Myrobalanorum Indorum
Singulorum ℥ iiij.

R Rad

Radicum ebulorum
Brassicæ marinæ
Singulorum ʒ iij.
Misc.& cum succo lactucæ syluestris & syrupo rosaceo solutiuo fiat globus, è quo pilulæ fiant quando opus erit, quantitas sumenda est à drachma vna vsque ad duas.
Audito post hæc vehemens medicamẽtum bilem, pituitam, atram bilem & ichores educens, quod illicò fit, & fermentationẽ non indiget.

℞. Lapidis lazuli
Turbith
Scammonij præparati
Singulorum ℈ j.
Zingiberis
Cinnamomi
Anisorum
Salis gemmæ
Camphoræ
Singulorum G vj.
Infus. senæ ʒ iij.

Misc.& conuenienti hora propinetur. vehemens aliud medicamẽtũ ad eosdẽ humores educẽdos, quod fermẽtationẽ indiget.

℞. Pulpæ cotoneorum pinsorum ℔ j.
Lapidis lazuli Ellebori nigri
Singulorum ʒ iij.
Myrobalanorum luteorum

Myrob

Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum Indorum
Singulorum ℥ vj.
Scammonij
Turbith
Singulorum ℥ vij.
Rhabarbari
Agarici
Singulorum ℥ ij.
Brassicæ marinæ
Radicum ebulorum
Iridis
Lactucæ sylueſtris
Singulorum ℥ iij.
Zingiberis
Gariophyllorum
Cinnamomi
Aniſorum
Gummi arabici
Maſtiches
Colophoniæ
Tragacanthi
Amidis
Dauci
Salis gemmæ
Singulorum ℥ xv.

Cotoneorũ caro pinſa bulliat,cũ ſyr.roſ.ſolutiuo,poſteà omnia adde ſecundũ artẽ,& cũ eodẽ ſyr.fiat electuariũ,cuius ſumenda

quantitas est à drachmis quatuor vsq; ad octo. Audito & catapotia, quæ ad eosdem humores vehementer educendos ilicò fieri possunt absque fermentatione:

℞. Turbith
Scammonij præparati
Lapidis lazuli
Singulorum ℈ j.
Radicum ebulorum ℈ j.ß.
Zingiberis
Anisorum
Salis gemmæ
Mastiches
Singulorum ℈ vj.

Misc. & cum syru. ros. sol. fiant pilulæ, quæ omnes vna vice sumantur. Sequuntur pilulæ, quæ fermentatione indigent ad eosdem humores vehementer educendos:

℞. Turbith
Scammonij
Lapidis lazuli
Singulorum ʒ iiij.
Rhabarbari
Agarici
Aloës
Polypodij
Singulorum ℥ vj.
Radicum ebulorum
Iridis

Brass

Brassicæ marinæ
Lactucæ syluestris
Singulorum ʒ iij.
Cinnamomi
Zingiberis
Masticæs
Dauci
Anisorum
Camphoræ
Gummi Arabici
Salis gemmæ
Singulorum Gr̃. x.
Misc.& cũ syr.rof.sol.fiat globus.cuius sumenda quantitas est à ℈ ij.vsq; ad iiij.R E. Necessariũ est eum,qui artẽ medicã exercere voluerit,hæc omnia noscere medicamẽta.B R.Et reliqua etiã de quibus superiùs mentio facta est, & illa vnà de quibus post hæc agemus.R E. Tẽpus idoneũ videtur ad ea,quæ supersunt,te accingere.

De medicamentis tam simplicibus, quàm compositis,bilem, pituitã, atram bilem, & sanguinem educentibus.

CAPVT XXVIII.

BRASSAVOLVS.

MEdicamenta illa contẽplanda sunt, quæ hanc quatuor humorũ cõplica-

tionem educere possunt, videlicet bilis, pituitæ, atræ bilis, sanguinis. nullum verò mihi succurrit simplex medicamētum, quod hoc efficere possit, nec aliquem legi authorem, qui vnū referat. REN. Neq; ego apud aliquem simplex medicamentū legi, quod hæc quatuor vnà educeret. Quamobrem vt cōposita edisseras, expecto. BRA. Hoc sit medicamētū leue cōpositū, ad bilē, pituitā, atram bilem, & sanguinem educenda.

℞. Myrobalanorum luteorum
Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum Indorum
Singulorum ℥ j.

Misc. & ad infusionē parētur, hoc est eo modo terantur, vt infusioni conuenit; posteà

℞. Foliorum Tiliæ
Periclymeni
Orobi
Radicum capparorum
Mercurialis
Singulorum M. j.

Misc. & bulliant in suffic. quātitate aquę secundum artem, posteà in sex vncias huius decocti myrobalani infundantur per decem horas; deinde exprimantur, & hoc expressum zucaro dulcoretur ac bibatur. Sequuntur pilulæ, quę eosdem humores leuiter educere possunt.

℞.

℞. Myrobalanorum luteorum
Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum Indorum
Singulorum ℈ j.
Periclymeni
Foliorum Tiliæ
Singulorum Ġ xv.

Misc. & cum succo orobi fiant pilulæ, quæ omnes vna vice sumantur, at nunc medica mētū referā quod bilē, pituitā, atrā bilem & sanguinē mediocriter educere valebit:

℞. Rhabarbari electi ʒ vj.
Agarici ʒ iiij.
Polypodij
Epithymi
Singulorum ʒ ij.
Periclymeni
Orobi
Radicum capparorum
Foliorum Tiliæ
Singulorum ℈ j.

Misceantur, & cum zucaro fiat electuariū, cuius quantitas sumenda est à drachmis quatuor vsque ad sex. si quis verò potiones renueret & eclegmata, hic catapotia quæ sequuntur deglutire poterit, quæ eosdem humores mediocriter educent:

℞. Rhabarbari electi ʒ j. ß.
Agarici ℈ j.

Epithymi
Periclymeni
Singulorum ℈ ß.
Misc. & cum syrupo rosaceo sol. fiant pilulæ, quæ omnes vna vice sumantur. Nunc vehemens audito medicamentū, bilem, pituitā, atram bilem, & sanguinem educēs:
℞. Lapidis lazuli
Scammonij
Turbith
Singulorum ℥ iiij.
Rhabarbari electi
Agarici
Myrobalanorum Indorum
Singulorum ʒ vj.
Pulpæ colocynthidis ʒ ij.
Periclymeni
Orobi
Radicum capparorum
Foliorum Tiliæ
Singulornm ʒ j.
Cantharidarum præparatarum ℈ ß.
Zingiberis
Cinnamomi
Anisorum
Calami aromatici
Gummi Arabici
Salis gemmæ
Thuris

Mastiches
Dauci
Singulorum ℥ x.
Mis. & cum syrupo ros. sol. fiat electuariũ. cuius sumẽda quantitas est à drachmis tribus vsq; ad sex. At hæ sunt pilulæ, quę hos humores vehementer educere valent.
℞. Scammonij
Turbith
Lapidis lazuli
Singulorum ʒ iij.
Rhabarbari electi
Agarici
Polypodij
Singulorum ʒ ij.
Pulpæ colocynthidis ʒ
Periclymeni
Radicum capparorum
Foliorum Tiliæ
Singulorum ℈ ß.
Cantharidarum præparatarum ℈ ß.
Zingiberis
Cinnamomi
Anisorum
Calami aromatici
Gummi Arabici
Salis gemmæ
Thuris
Mastiches

Dauci

Singulorum ℥ x.

Misce.& cum succo orobi, ac syrupo rosaceo solut. fiat globus. cuius quantitas sumenda est à scrupulis duobus usq; ad quatuor. RE. Persentio iam nos fini nostro esse propinquos. BRA. Quatuor adhuc supersunt capita. REN. Illa citò expediamus.

De medicamentis tam simplicibus, quàm compositis, bilem, pituitam, ichores & sanguinem educentibus.

CAPUT XXIX.

BRASSAVOLUS.

INter simplicia medicaměta, si aliquod numerandũ sit quod bilẽ, pituitã, ichores & sanguinẽ subducat, erit colocynthis. RE. Tamen Dioscorides dicit, quòd bilem, pituitã, strigměta, & sanguinem educit; de ichoribus verò mentionẽ nõ facit. BRAS. At quæ apta sunt bilem, pituitã, ac sanguinem educere, eadẽ sunt apta horũ humorũ ichores euacuare. REN. His igitur prætermissis de compositis verba faciamus. BR. Leue audito medicamentum bilem, pituitam, ichores & sanguinem educens:

℞. Myrobalanorum chebulorum

Myrobalanorum luteorum
Singulorum ʒ ij.
Periclymeni
Radicum ebulorum
Foliorum Tiliæ
Singulorum ʒ j.

Misce.& infundantur in aquā capillorum Veneris secundū artem:posteà exprimantur,& expressum zucaro dulcoretur ac cōuenienti horā præbeatur. His verò quibus huius generis potiones haud placent, pilulas exhibeto, quæ eosdem humores leuiter educent:

℞. Myrobalanorum luteorum
Myrobalanorum chebulorum
Singulorum ℈ j.ß.
Radicum ebulorum
Foliorum Tiliæ
Singulorum ℈ ß.

Misc.& cum syr.ros.sol.fiāt pilulæ, quæ omnes vna vice sumantur, post hæc medicamētum sequitur bilem, pituitam, ichores & sanguinem mediocriter educens:

℞. Rhabarbari electi
Agarici
Singulorum ʒ iiij.
Myrobalanorum luteorum
Myrobalanorum chebulorum
Singulorum ʒ ij.

Peric

Periclymeni
Orobi
Foliorum Tiliæ
Singulorum ℥ j.
Radicum ebulorum
Brassicæ marinæ
Singulorum ℥ j. ß.

Misc.& cum syru.ros.sol.fiat electuarium, cuius quantitas sumenda est à drachmis quatuor vsque ad sex. Pilulæ sequũtur eosdem humores mediocriter educentes:

℞. Rhabarbari electi
Agarici
Singulorum ℥ ß.
Radicum ebulorum
Brassicæ marinæ
Singulorum ʒ ij.
Periclymeni
Foliorum Tiliæ
Radicum capparorum
Singulorum ʒ j.
Cantharidarum præparatarum G̃ iiij.

Misc.& cum succo orobi & syrupo rosac. sol.fiat globus, cuius sumenda quantitas est à drachma vna vsque ad duas. Nũc medicamentum audito, bilem, pituitã, aquositates & sanguinem vehementer educẽs:

℞. Scammonij
Turbith ʒ ij.

Sing

Singulorum ℥ iij.
Rhabarbari
Agarici
Singulorum ℥ iiij.
Cantharidarum præparatarum ℈ ß.
Periclymeni
Radicum capparorum
Orobi
Foliorum Tiliæ
Singulorum ℥ ij.
Radicum ebulorum
Iridis
Braßicæ marinæ
Singulorum ℥ j.
Salis gemmæ
Cinnamomi
Dauci
Zingiberis
Anisorum
Calami aromatici
Gummi arabici
Tragacanthi
Masticheś
Singulorum ℨ xv.

Misc. & cum syr. rosf. sol. fiat electuarium. Cuius quantitas sumenda est à drachmis quatuor vsq; ad sex. Audito & pilulas, quę eosdē hūores vehemēter educere possunt.

℞. Agarici

Rhabarbari electi
Singulorum ℥ vj.
Turbith
Scammonij
Singulorum ℥ iiij.
Radicum ebulorum
Iridis
Brassicæ marinæ
Singulorum ℥ iij.
Periclymeni
Foliorum Tiliæ
Orobi
Radicum capparorum
Singulorum ℈ j.
Cantharidarum præparatarum ℈ ß.
Salis gemmæ
Cinnamomi
Dauci
Zingiberis
Anisorum
Calami aromatici
Gummi Arabici
Tragacanthi
Masticbes
Singulorum Ǧ xv.

Misce.& cum syr.rosaceo sol.fiat globus, è quo pilulæ,quando opus erit conficiantur,quarum sumenda quantitas est à scrupulis duobus vsq; ad quatuor. R E. De alia

comp

complicatione iam agendum est. BRAS. Video horã tibi videri annum. REN. Annus profectò mihi videtur, quia omnia perdidicisse iam cupio.

De medicamentis tam simplicibus, quàm compositis, bilem flauam, atram bilem, ichores & sanguinem educentibus.

CAPVT XXX.

BRASSAVOLVS.

Simplex medicamentum nondum noui, quod enumeratos humores vnà subducere posset. RENA. De compositis igitur agamus. BRAS. Agamus & per ordinem. hic verò sit ordo, vt leue medicamentum primò adducamus, quod bilem, atram bilem, ichores & sanguinem educat.

℞. Myrobalanorum Indorum
Myrobalanorum luteorum
Singulorum ʒ ij.
Radicum ebulorum
Periclymeni
Foliorum Tiliæ
Singulorum ʒ j.

Misc. & infundantur in sex vncias aquæ capillorũ Veneris secundũ artẽ, postea exprimatur, & expressum zucaro dulcoretur ac

conuenienti hora præbeatur. Si quis verò potiones refugeret, hæ sunt pilulę eosdem humores leuiter educentes:

℞. Myrobalanorum Indorum ℈ j. ß.
Myrobalanorum luteorum ℈ ß.
Radicum ebulorum
Periclymeni
Foliorum Tiliæ
Singulorum ℈ ß.

Misc. & cum syru. rosaceo sol. fiant pilulæ, quæ omnes vna vice sumantur. nūc medicamentum audito, quod bilem, atram bilem, ichores & sanguinem educet.

℞. Rhabarbari electi
Polypodij
Singulorum ʒ iiij.
Ellebori nigri ʒ j.
Myrobalanorum luteorum
Myrobalanorum Indorum
Singulorum ʒ iij.
Radicum ebulorum
Brassicæ marinæ
Singulorum ʒ j.
Periclymeni
Radicum capparorum
Foliorum Tiliæ
Orobi
Singulorum ℈ ij.

Misce. & cum syr. ros. sol. fiat electuarium, cui

cuius sumenda quantitas est à drachmis quinq; vsq; ad octo. Pilulæ sequuntur quæ eosdem humores mediocriter educunt:

℞. Rhabarbari electi
Lapidis laz uli
Singulorum ℈ j.
Foliorum Tiliæ
Radicum ebulorum
Singulorum ℈ ß.
Periclymeni ℥ viij.

Misc.& cum syrupo rosaceo sol. pilulæ fiat, quæ omnes vna vice sumantur. deniq; medicamentũ hoc bilem, atram bilem, ichores,& sanguinem vehementer educet.

℞. Lapidis lazuli
Scammonij
Singulorum ʒ vj.
Rhabarbari electi
Polypodij
Epithymi
Singulorum ʒ iij.
Radicum ebulorum
Iridis
Lactucæ sylvestris
Brasſicæ marinæ
Singulorum ʒ j.
Periclymeni
Foliorum Tiliæ
Centaurij minoris

Singulorum ℈ iiij.
Cinnamomi
Calami Aromatici
Zingiberis
Singulorum ℥ x.
Camphoræ
Gummi arabici
Salis gemmæ
Masticheſ
Aniſorum
Dauci
Singulorum ℥ viij.
Cantharidarum præparatarum ℈ ß.
Miſc.& cũ ſyr.roſ.ſolutiuo fiat electuariũ. Cuius quantitas ſumenda eſt à drachmis tribus vſque ad ſex. Pilulæ ſequuntur quæ eoſdem humores vehementer ſubducere poſſunt:
℞. Scammonij
Lapidis lazuli
Ellebori nigri
Singulorum ʒ iiij.
Rhabarbari
Polypodij
Epithymi
Singulorum ʒ iij.
Cantharidarum præparatarum ℈ ß.
Foliorum Tiliæ
Periclymeni

Centaurij minoris
Singulorum ʒ j. ℈ j.
Radicum ebulorum
Iridis
Brasicæ marinæ
Singulorum ʒ j.
Calami Aromatici
Zingiberis
Cinnamomi
Camphoræ
Gummi arabici
Salis gemmæ
Nucis moscatæ
Mastiches
Anisorum
Dauci
Singulorum ℥ ɪ.

Misc.& cum syrupo rosaceo solutiuo fiat globus, cuius sumenda quãtitas est à scrupulis duobus vsque ad quatuor. RENAT. Duo tantum relinquuntur consideranda harum complicationum capita.

De medicamentis tam simplicibus, quàm compositis, pituitam, atram bilem, ichores & sanguinem educentibus.

CAPVT XXXI.

BRASSAVOLVS.

IN his etiam educendis humoribus, nullum simplex mihi succurrit medicamẽtum, quod hos omnes præscriptos humores simul educere aptum sit. RENA. Cõposita igitur, quæ nunquã desunt, referto. BRASS. En medicamentum audito, quod pituitam, atram bilem, ichores & sanguinem leuiter educat.

℞. Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum Indorum
Singulorum ℥ j. ß.
Radicum ebulorum
Centaurij minoris
Periclymeni
Foliorum Tiliæ
Singulorum ℥ j.

Mis. & infundantur in quatuor vncias infusionis senæ secundũ artem: posteà exprimantur, expressũmque zucaro aut iuleb dulcoretur ac bibatur. Pro his verò qui potiones

tiones refugiunt, hæ sunt pilulæ eosdē humores leuiter educentes:

℞. Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum Indorum
Singulorum ʒ ß.
Radicum ebulorum
Centaurij minoris
Singulorum ℈ j.

Misc. & cum syr. ros. sol. fiant pilulæ, quæ omnes vna vice sumantur. nunc medicamētum sequitur, quod pituitā, atram bilem, ichores & sanguinē mediocriter educet:

℞. Agarici ʒ iiij.
Ellebori nigri ʒ j.
Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum Indorum
Singulorum ʒ iij.
Radicum ebulorum
Brassicæ marinæ
Singulorum ʒ j. ß.
Periclymeni
Foliorum Tiliæ
Singulorum ʒ ß.
Cantharidarum præparatarum G̃ iij.

Misc. & cum syr. de corticibus citri fiat electuarium, cuius sumenda quantitas est, à drachmis quinque vsque ad octo. & pro his qui potiones refugiunt (quamuis hoc electuarium posset etiā sumi & non dissolui)

hæ pilulæ cõficiantur, quæ eosdem humores mediocriter educent:

℞. Agarici ℈ ij.
Ellebori nigri
Radicum ebulorum
Singulorum ℈ ß.
Periclymeni
Foliorum Tiliæ
Singulorum Ǧ vj.

Misce. & cũ syrupo rosaceo solu. Tot fiant pilulæ, quot ægrotanti placuerit, & omnes vna vice sumantur, post hæc medicamentũ audito, pituitam, atram bilem, ichores, & sanguinem vehementer educens:

℞. Ellebori nigri
Lapidis lazuli
Singulorum ʒ ij.
Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum Indorum
Singulorum ʒ iiij.
Turbith
Agarici
Singulorum ʒ iij.
Radicum ebulorum
Iridis
Brassicæ marinæ
Lactucæ syluestris
Singulorum ʒ j.
Cantharidarum præparatarum ℈ ß.

Folio

Foliorum Tiliæ
Periclymeni Orobi
Centaurij minoris
Radicum capparorum
Singulorum ℨ ß.
Cinnamomi
Calami aromatici
Nucis moschatæ
Anisorum
Gummi arabici
Mastiches
Salis gemmæ
Camphoræ
Tragacanthi
Colophoniæ
Dauci
Singulorum ℥ x.

Misc.& cũ zucaro fiat electuariũ.cuius sumenda quãtitas est à drachmis tribus vsq; ad sex.Nunc pilulas audito,quæ eosdẽ humores vehementer educere possunt:

℞. Pulpæ colocynthidis ℨ ij.
Turbith
Agarici
Singulorum ℨ iij.
Myrobalanorum indorum
Myrobalanorum chebulorum
Singulorum ℨ iiij.
Ellebori nigri

Lapidis lazuli
Polypodij Epithymi
Singulorum ℥ j. ß.
Cantharidarum præparatarum ℈ ß.
Foliorum Tiliæ
Periclymeni
Centaurij minoris
Orobi
Singulorum ℥ j.
Radicum ebulorum
Brassicæ marinæ
Lactucæ syluestris
Singulorum ℥ ij. ß.
Nucis moschatæ
Calami aromatici
Cinnamomi
Zingiberis
Singulorum ℥ x.
Anisorum
Gummi Arabici
Mastiches
Salis gemmæ
Camphoræ
Tragacanthi
Colophoniæ
Dauci
Singulorum ℥ viij.

Misc. & cũ syr. ros. sol. fiat globus: cuius sumenda quãtitas est à scrupulis duobus vsq; ad

ad quatuor. RENA. Sumúsne in calce eorum, quæ euacuant historiæ? BRASSA. Caput vnum adhuc superest, posteà intentum finem nacti erimus, & quocunque lubuerit, progredi poteris, erimúsque vtrique hoc fasce leuati. RENA. Immortali Deo gratias ago; quòd breui ad optatum finem peruenerimus.

De medicamentis tam simplicibus, quàm compositis, bilem, pituitam, atram bilem, aquositates & sanguinem educentibus.

CAPVT XXXII.

BRASSAVOLVS.

NVlla alia relicta est euacuandorum humorum complicatiõ prçter illam, qua omnes humores simul euacuari debẽt. RENA. Reperiuntúrne simplicia medicamenta ad hoc peragendum apta? BRAS. Minimè: nisi vnumquodque vehemens medicamentum copiosè præbeamus, vt colocynthis est, quæ primò pituitam educit, posteà ichores, deinde bilẽ, quartò atram bilem, deniq; sanguinem. RE. Et scammonium primò bilem educit, posteà ichores, tertiò pituitã, deinde atram bilem, deniq; sanguinẽ. BR. Et lapis lazuli primò atram

bilem educit, posteà ichores, deinde bilem, quartò pituitã, deniq; sanguinẽ, & eadẽ est de aliis omnibus ratio. RE. Regula igitur est, omnia vehemẽtia medicamẽta omnes subducere humores, & sanguinem ipsum, quando copiosè fuerint sumpta. BR. Imò & leuissima medicamenta idẽ efficiunt, si copiosissimè insumãtur. Vidi ex Rhabarbaro simplici recepto nõnullos excreuisse vsque ad sanguinẽ, imò & sanguinẽ ipsum. REN. Idẽ cõtigisse vidi in vno, qui sanguinẽ excreuit ob marinã, quã ad vncias quatuor insumpserat. Sanguinem vltimũ esse, qui excernitur arbitror, quia à natura cæteris humoribus magis diligitur. BRASSA. Imò ita esse constat, maximéq; ægrè fert natura, cùm id exit, quo ipsa vescitur, & cui innititur. RENATVS. Ad hoc igitur propositũ composita referenda sunt medicamenta. BRASSA. Hoc est medicamentũ compositum bilem, pituitam, atrã bilem, ichores & sanguinem leuiter educens:

℞. Rhabarbari electi ʒ ij.
Agarici ʒ iij.
Polypodij ʒ iiij.
Myrobalanorum luteorum
Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum Indorum
Singulorum ʒ v.

Peri

Periclymeni
Centaurij minoris
Foliorũ Tiliæ Orobi
Singulorum ℥ ij. ß.
Radicum ebulorum
Brassicæ marinæ
Lactucæ syluestris
Singulorum ℥ j. ß.

Misc.& cũ syrupo rosaceo so. fiat electuarium: cuius quantitas sumenda est à drachmis quinque vsque ad octo. Sequũtur & catapotia quæ eosdẽ humores leuiter educere valent:

℞. Rhabarbari electi
Agarici
Polypodij
Singulorum ℈ j.
Radicum ebulorum
Foliorum Tiliæ
Singulorum ℈ ß.

Miscean.& cum syr. ros.solut.fiant pilulæ, quæ omnes vna vice sumantur. Post hæc medicamẽtum mediocre audito, quod bilem,pituitam,atram bilem,ichores,& sanguinem educere aptum est.

℞. Rhabarbari electi
Agarici
Singulorum ℥ iiij.
Polypodij

Epithymi
Singulorum ℥ ij.
Turbith
Ellebori nigri
Scammonij
Singulorum ℈ j.
Radicum ebulorum
Brassicæ marinæ
Lactucæ syluestris
Singulorum ℥ iij.
Periclymeni
Foliorum Tiliæ
Singulorum ℥ j.
Cantharidarum præparatarum Ğ vj.
Misc.& cum syr.rof. sol. fiat electuarium. cuius sumenda quantitas est à drachmis quatuor vsque ad sex. hæ verò sunt pilulæ pro his, qui potiones sumere nequeunt ad eosdem humores mediocriter educendos.

℞. Rhabarbari
Agarici
Polypodij
Myrobalanorum indorum
Singulorum ℥ iiij.
Turbith
Ellebori nigri
Scammonij
Singulorum ℈ j.
Radicum ebulorum

Brassicæ marinæ
Periclymeni
Foliorum Tiliæ
Singulorum ℥ ij.
Cantharidarum præparatarum G̃ vj.
Salis gemmæ
Zingiberis
Anisorum
Singulorum ℈ ß.
Misc. & cum syr. ros. sol. fiat globus: cuius sumenda quantitas sit à drachma vna vsque ad duas. Sequitur medicamentum vehemens bilem, pituitam, atram bilem, ichores, & sanguinem educens.
℞. Pulpæ colocynthis ℥ vj.
Polypodij
Epithymi
Myrobalanorum indorum
Singulorum ℥ ij.
Lapidis lazuli
Turbith
Scammonij
Singulorum ℥ iiij.
Agarici
Rhabarbari
Aloës
Singulorum ℥ j.
Radicum ebulorum
Iridis

Brassicæ marinæ
Lactucæ syluestris
Singulorum ʒ iij.
Periclymeni
Orobi
Foliorum Tiliæ
Centaurij minoris
Singulorum ʒ. ij. ß.
Cantharidarum præparatarum ℈ ß.
Nucis moschatæ
Zingiberis
Cinnamomi
Gariophyllorum
Singulorum Ǧ xv.
Dauci
Anisorum
Carui
Gummi arabici
Tragacanthi
Mastiches
Salis gemmæ
Camphoræ
Singulorum Ǧ x.

Misceant. & cum zucaro quantum sufficit fiat electuarium, cuius sumenda quantitas est à drachmis tribus vsque ad sex. pro his verò, qui catapotia lubentiùs deglutire volunt, pilulæ sequuntur, quę eosdem humores vehementer educere possunt.

℞. Pulpæ colocynthidis
Scammonij
Lapidis lazuli
Turbith
Ellebori nigri
Singulorum ʒ ij.
Rhabarbari electi
Agarici
Aloës lotæ
Myrobalanorum luteorum
Myrobalanorum chebulorum
Myrobalanorum Indorum
Singulorum ʒ iij.
Radicum ebulorum
Iridis
Brassicæ marinæ
Singulorum ʒ j. ß.
Periclymeni
Foliorum Tiliæ
Orobi
Radicum capparorum
Singulorum ʒ j.
Cantharidarum præparatarum ℈ ß.
Carui
Anisorum
Amidis
Seselidis
Cinnamomi
Zingiberis

Cala

Calami aromatici
Nucis moschatæ
Camphoræ Salis gemmæ
Gummi Arabici
Mastiches
Singulorum ℈ xv.

Misc.& cum oxymelite simplici fiat globus,cuius sumenda quantitas est à scrupulis duobus vsque ad quatuor. Cum verò opus erit conformentur pilulæ ex syr. tos. sos. vel ex eo liquore, qui diligenti videbitur medico. RENA. Deo optimo maximóque imortales gratias ago,cùm in huius laboris finem iam peruentum sit.optarem verò vehementissimum scire medicamentũ ad omnes humores educendos,quo quãdoq; vsus es.BR. Visne eo vti in cuculatis,aut Hebræis,aut rusticis?R E.Cur hoc petis? BR. Quoniã ex omni hominũ genere,& omni cõditione nulli inueniũtur,qui vehemẽtius excernere optẽt,quàm cuculati,Hebræi, & rustici.iccirco si his medicamentũ adhibueris quod quater tãtum aut quinquies eduxerit, nihil effectũ esse arbitrãtur, cõqueruntúrq; de medico,qui vehemẽtius nõ præbuerit medicamentũ.aiunt pręthereà se nõ esse perfecte euacuatos,propterea soleo regulã hãc discipulos meos edocere,cũ cuculatis aut Hebręis aut rusticis

medicamentum exhibituri sunt, in tanta semper præbeant copia, vt vehementissimè excernant. si verò non excreuerint vt mente conceperant, de medico conquerũtur, & artem ignorare dicunt, nec medicamentorum vires nouisse. REN A. Cur sunt in hac sententia tres illæ hominum conditiones? BRA. De cuculatis hanc esse rationem arbitror, cum summopere edant, summa etiam indigere euacuatione, quod & ipsi noscentes vehementer excernere optant, neque considerant, an talia purgentur, qualia purgari oportet. de Hebræis verò causa reddi potest, quia cibos edũt crassos, glutinosos, & carnes anserinas quæ crassos gignunt humores, ab illis verò liberari cupiunt. vel causa est timor quem habent, nam omnes melancholici sunt, at ab ægritudine se liberos esse putant, cum vehemẽter euacuati fuerint. de rusticis verò causam esse arbitror ignorantiam. REN. Súntne huius generis & huius sententiæ omnes cuculati, rustici, & hebræi? BR. Minimè omniũ, quia inter cuculatos nõnulli probi reperiũtur, ac morati, licet rari sint, & inter Hebræos nonnulli sunt, qui victu cõuenienti vtũtur. RE. Vt tibi ingenuè fatear in eadẽ sum sentẽtia, quod si medicamentum sumpsero & mediocriter educat,

haud mihi satisfacit. Gaudeo verò cū plurimum subduxerit, neque considero an talia purganda sint, qualia purganda erunt. BR. Multos in hac sententia reperies. Veruntamen vt tibi morem geram, vehemētissimum adducā ad omnes humores educēdos medicamentū. RE. Quātò citius fieri poterit, adducito. BR. Hoc est, quod sequitur.

℞. Scammonij ʒ vj.
Rhabarbari electi
Myrobalanorum luteorum
Aloës lotæ
Singulorum ʒ v.
Pulpæ colocynthidis ʒ iiij.
Lactis alicuius Tithymali, sed præsertim characias ʒ ij.
Turbith ʒ vij. Agarici
Myrobalanorum chebulorum
Singulorum ʒ viij.
Chamæleæ
Thymelææ
Singulorum ʒ iij.
Lapidis lazuli
Armeni
Ellebori nigri
Singulorum ʒ iiij. ß.
Myrobalanorum Indorum
Epithymi

Polypodij
Senæ
Singulorum ℥ v. ß.
Elaterij
Hermodactylorum
Singulorũ ℥ iij. ß.
Radicum Iridis
Ebulorum
Singulorum ℥ j. ß.
Brasicæ marinæ
Lactucæ syluestris
Hemerocallis
Baccarum hederæ chrysocarpi
Singulorum ℥ ij. ß.
Zingiberis
Cinnamomi
Nucis moschatæ
Granorum paradisi
Calami aromatici
Anisorum
Carui
Amidis
Seselidis
Dauci
Amomi
Salis gemmæ
Gummi Arabici
Colophoniæ

Tragacanthi Mastiches
Singulorum ℈ ß.
Omnia singulatim in tenuissimum puluerem redigantur, & simul misceantur. hic puluis solus in iure sumi potest, vel in aliquo liquore, possunt & cum zucaro & hoc puluere fieri placẽtulæ. Sumitur verò puluis à scrupulis duobus vsque ad quatuor. possent & cõfici pilulæ ex syru. ros. sol. quę in eodẽ põdere præbeantur, fieri potest & hoc modo electuariũ, cotoneorũ pulpam abrade, iámque in zucaro coque: deinde
℞. Huius pulpæ ℔ j.
Prædicti pulueris ℥ viij.
Misc. & fiat electuarium, quamuis in maiori copia possit sumi pulpa, vt pulueres melius aptentur, quantitas sumenda est à drachmis quatuor vsque ad sex. Si verò tibi placuerit adhuc vehementius efficere electuariũ, loco pulpæ cotoneorum sume pulpam granorum cici pinsam, & in zucaro coctam, cui adde prædictum puluerem. tunc verò sumenda quantitas est à drachmis duabus vsque ad quatuor: verum tamen quia medicamentum hoc sanguinem non educit, neque sanguis per medicamentum educendus est, at si contingeret extra venas sanguinem esse, per medicamenta educitur bilem euacuantia, pituitam, &
atr

atram bilem. Si quiſpiam verò particulariter illa addere voluerit, quæ ſanguinem educere ſcripta ſunt, ſequentem addat cõpoſitioni puluerem:

℞. Orobi torrefacti
Foliorum Tiliæ
Radicum liliorum
Periclymeni
Radicum capparorũ
Mercurialis
Singulorum ℈ iiij.
Cantharidarum præparatarum ℈ ß

Miſceantur, & fiat puluis ſubtiliſsimus qui prædicto addatur medicamento ſi ſanguis educendus ſit, poteritque catholicum vel diacatholicum medicamẽtum vocari: tum quia omnes ſubducit humores, tum quia ab omni corporis parte tam propinqua quàm minora. Denique confectionem noſtrã huc afferre decreuimus, quæ in publico vſu eſt, & quam impræſentiarum ita aptauimus, vt omnes humores educat præter ſanguinem, qui educi non debet, cùm priùs atram bilem tantum ac pituitã ſubduceret: Eſt verò ſumptu ſuauis & quę ventriculum nihil penitus moleſtat. R A. Illam audire cupio. B R A S. Audito igitur

℞. Turbith ʒ ij.
Gummi arabici

- Picis hispanæ
- Singulorum ℈̃ ij.
- Diagridij ʒ ß. ℈̃ xv.
- Diatragacanthi ʒ iiij.
- Mannæ, scilicet Thuris ℈̃ xv.
- Hermodactylorum ʒ j.
- Succi cotoneorum ʒ iiij.
- Lapidis lazuli præparati ʒ j. ß.
- Zingiberis ʒ j.
- Succi rosarum ℈̃ xvj.
- Mucilaginis carthami ʒ j.
- Polypodij ℈ j.
- Scordei ℈̃ x.
- Zucari ℥ iiij. ß.

Misc. & fiat confectio vel fiant placentulæ. hæ placentulæ omnes educunt humores præter sanguinem. R E. Nihil igitur aliud superest in his contēplandis medicamētis. B R. Nihil prorsus. R E. Immortali Deo gratias ago, quòd ad huius negotij finem peruenerimus. B R. Peruenimus equidem. at ad perfectiorem ac exquisitiorem eorum, quæ dicta sunt cognitionem, hæ regulæ à medicis seruandæ sunt, in primis cùm humor aliquis euacuandus est, cōsiderandum nū id fieri debeat à toto corpore, an à partibus, & si quidē à partibus, illa cōpositionibus cōmiscenda erunt, quæ medicamēta ad illas partes deducere valent, de his verò alio

alio in loco seorsum agemus, vt si medicamétum à capite educere debeat, Amaracũ addemus, stœcadem, saluiam, macim, ac alia, quæ medicamenta ad caput deducunt, & illud roborant. si à thorace educere debeat, addendum est hyssopum, zingiber, capilli Veneris, & alia, quæ medicamenta ad eiusmodi membra deducere sunt apta, quódque in his dixi, idem in aliis omnibus membris intelligendum volo, imò & hoc ipsum medicamentis inest, quòd hæc capiti conferunt, illa thoraci, alia ventriculo, & iecori. RENAT. De his agendum videretur. BRAS. Id alio fiet loco, tiam omnia non sunt vno sermone pertractanda, ac confundenda. & si omnia hæc determinare voluissem, non fuisset huic negotio finis, ac modus. hoc præterea obseruandum est in humorum complicationibus, humores non esse in æquilibrio semper, sed quandoque bilem alios superare quandoque pituitam quandoq; atram bilem, quandoq; ichores, tunc necessarium est diligentem medicum plus addere illius medicamenti, quod superabundantem educit humorem, & in duorum humorum complicationibus negotium facilius est, nam si bilis & pituita leuiter sint educenda, & bilis superet,

plus erit addendum de medicamento bilem educente, vt exempli gratia de myrobalanis luteis, si mediocriter sit educendum de rhabarbaro plus erit addendum. Si verò vehementer sit educendum, de scammonio plus addendum est, econtrario si pituita superet in leui eductione, plus de chebulis myrobalanis addendum est, in medio cri de agarico, in vehementi de turbith, idem iudicium erit si atra bilis superet, in leui eductione plus de myrobalanis Indis, in mediocri plus de polypodio, aut epithymo in vehementi plus de lapide lazuli, aut de nigro elleboro: idem erit & de aquositatibus iudicium, si superent, in leui eductione plus addendum de radice labruscæ, in mediocri plus de radicibus ebulorum, in vehementi plus de brassica marina. Idem verò iudicium in sanguine fieri non potest, quia vel non educitur, vel est inutilis & extra venas, & ita à quocunque educitur medicamento secũdum naturam in quã transiuerit. R E: Cùm verò accidat vt hi humores quandoque plus superent, quandoque minus, quid agere debet medicus in his discriminibus? B R. Hoc prænoscere debet, si diligens sit, & modò plus addere de medicamentis, modò minus, vt ratio ipsa exigit

git. REN A. Modum hunc libenter addiscerem. BR. Non est hic locus hoc pertractandi, sed ad alios spectat libros & ad hominis existimationem, qui tamē per propria indicia in huius rei cognitionem deuenire debet, adsunt verò eiuscemodi indicia quæ ostendunt humorem vnum, alium superare. REN. Video omnino in re ipsa difficultatem & necessariū esse medicum esse sapientem, & diligentissimè arti incubuisse, sed adhuc maior videtur difficultas in trium humorum complicatione. BRA. Omnino longè maior est, quia fieri potest, vt vnus duos superet, & alter reliquum superet, vt exempli gratia quando trium humorū euacuatione indigemus vt bilis, pituitæ & atræ bilis, contingere potest vt bilis reliquos duos humores superet, & pituita atram bilem superet. iccirco illa addere opus erit, quæ bilem magis educant, quàm alios humores, posteà animaduertere quòd medicamentum pituitam educere aptum, in maiori fit copia, vel vehementia, quàm medicamentum atram bilem educēs, tamen sit in maiori quàm medicamentum bilem subducens. itaque secundum omnes complicationes incedendum est, medicúsque nunquam adhibere debet medicamentum, quin educendos hu-

mores & proportionem ipsorum diligenter consideret. si verò sint quatuor humores, qui sint educendi, vt bilis, pituita, atra bilis, ichores, adhuc difficilius est negotiari, nam contingere potest vt bilis omnes superet, & pituita reliquos duos; non autem bilem & ichores ab atra bile superetur, tunc necessarium erit variare, vt hi humores superant ac superantur. RENAT. Chaos quoddam hoc mihi videtur, & maxima confusio, summáque indiget diligentia. BRASS. Propterea medicus huic facultati totis viribus incumbere debet, & nihil aliud agere, quàm medicamētorum negotia tractare. Possem ego libellū quendam conficere de exhibendis medicamentis secundum humorum per magis & minus complicationem, & ita medicamenta disponere vt nullus errare vnquam posit, sed medicamentum esset descriptū vt exhiberi deberet, & preterea mista haberent simplicia, quæ medicamentum ducerēt ad membra à quibus humores educere oporteret. REN. Optarem vt hunc libellum cōficeres, nam magno onere me leuarēt. BR. Sum tot negotiis (nec te latet) occupatus, vt nō suppetat impręsentiarū tempus hæc in vnum colligendi. RENA. Id efficere poteris horis quibusdā succisiuis, & alia quæ-

dam dimittere, quæ sunt minus vtilia. BR. Non possum non tibi morem gerere, propterea cum hyems abibit, & dies producetur hoc agam, téque adiutorem vocabo, nego tot quot erunt scribenda delineare cogar. REN. Surdo fabulam haud cantasti, cum primum dies erunt noctibus equales, vt duodecim sint equinoctiales diei horæ, & totidem noctis, te molestare incipiã, vt compositiones has secundum omnium humorum complicationes scriptis mandes. BRAS. Hoc eo tempore efficere non negabo. Notato autem aliqua esse medicamenta vehementia quæ in minori copia plus educant, quàm imbecilla in maiori copia faciant, propterea & hoc erit à medico cõsiderandum, videlicet medicamentum hoc esse magis vehemens & illud minus vehemens, & quod de magis vehementi minus est adhibendum, vt minus vehemens æquet, imò & ipsi humores considerandi sunt, quia aliqui faciliùs educuntur, alij difficiliùs, & qui faciliùs educentur, faciliori indigebunt medicamento, qui verò difficiliùs, vehementiori, vt bilis facilè educitur, pituita glutinosa difficilius. RE. Arbitror hæc difficulter posse comprendi. BRA. Tamen comprenduntur, licet bilance careamus, qua hæc recta trutina pendi
poss

posſint, at recto iudicio, rectâque ratione ponderari poſſe non dubito. Huic verò noſtro examini finem faciemus, ſi prius addiderimus aliquos eſſe humores, qui ex propria hominis natura non ſunt, vt in pituitoſo corpore bilis: & aliquos eſſe qui ſunt naturæ proprij vt in biliofo corpore bilis: & ita de aliis, hi humores qui extranei ſunt & nõ ſecundum naturam faciliùs educuntur, quàm illi qui ſunt ſecundum naturam, ſemper verò intelligito cũ præparati ſunt, hæcque de humorũ omnium tam per ſe quàm cum aliis cõplicatorum purgatione ſint ſatis. RENA. Mihi prorſus videtur in expurgandis hominibus deinceps non poſſe decipi, neq; vllum committi errorem.

BRAS. Minus te erraturum non dubito.

FINIS.

Lugduni,
EXCVDEBAT
IACOBVS
FAVRE.